SCRIPTA HISTORICA ISLANDORUM

DE REBUS GESTIS

VETERUM BOREALIUM,

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM

SEPTENTRIONALIUM.

VOLUMEN SEXTUM.

HISTORIÆ REGUM MAGNI BONI, HARALDI SEVERI ET FILIORUM EJUS.

HAFNIÆ, 1835.

TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.

HISTORIÆ

REGUM MAGNI BONI, HARALDI SEVERI ET FILIORUM EJUS,

EX VETERE SERMONE

LATINE REDDITÆ

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTÆ,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

OPERA ET STUDIO

SVEINBJÖRNIS EGILSSONII,
COLLEGÆ SCHOLÆ BESSASTADENSIS
IN ISLANDIA.

HAFNIÆ, 1835.
TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.

Periodus historiæ Norvegicæ ab initiis Magni Boni, regis Olavi Sancti filii, usque ad Sverrerem, Birkibeinum factioni præfectum, annos complectens circiter centum et quinquaginta, hoc et sequenti volumine continetur. Codices membranei, qui hanc historiæ partem seorsim continent, hi sunt:

1) Fundamenti loco positus est cod. membr. forma maxima, inter manuscripta legati Arnamagnæani num. 66 (h. l. notatus lit. *A*), manu certa et bona, abbreviationibus cum modo indulgens, orthographia accurata, atque tali, ut quædam peculiaria habeat ad pronuntiationem veterum illustrandam pertinentia, quæ primus observavit b. Raskius[1]. Secundum præmissum Arnæ Magnæi testimonium seculo decimo quarto[2] descriptus est ex alio exemplari adhuc antiquiore, cum hic illic occurrant breviores lacunæ, vetustiore exemplari oculos librarii fallente[3]. Exscriptum hujus cod. membr. est in forma maxima, num. 41., not. lit. *B*.

2) Codex membraneus, qui magnam regiam Bibliothecam ornat, dictus *Hrokkinskinna*, num. 1010, in forma maxima, duabus columnis distinctus, h. l. notatus lit. *H;* proxime quidem ad cod. *A* accedit, sed multo recentior est, minorique diligentia exaratus, sæpius singulis vocibus per incuriam librarii omissis. Hic codex, etsi orthographiam non ubivis optimam exhibeat, tamen formas vocum interdum vetustiores asservavit[4].

3) Codex Flateyensis (*F*), ornamentum magnæ regiæ Bibliothecæ. Hic tantum continet historias Magni Boni et Haraldi Severi, nec non aliquot membra historica eodem pertinentia; quæ in hujus cod. parte secunda (col. 755 ad 840) rudiore quam cetera calamo descripta sunt. Historia de filiis Haraldi Severi in cod. Flateyensi non exstat, nam ipsius Haraldi historiam in cap. 122 (col. 821) desinentem excipiunt membra historica, quæ suis locis textui inseruit cod. *A*. Ce-

---

1) *Fornms.* 7. præfat. p. 6-7; *Oldnordisk Læsebog ved R. Rask*, Havn. 1832, præf. p. 8-9. 2) initio sec. 14., ex mente Raskii, *Fornms.* l. c. pag. 6. 3) *Hk.* T. 6. pag. 309. 4) *Kortfattet Vejledning til det oldnordiske Sprog, ved R. Rask*, Havn. 1832. p. 50. §. 127.

terum hic codex, qui dictionem non parum diversam servat, eadem tamen permanente sententia, in hac editione in primis adhibitus est ad supplendam copiam variantium lectionum, qua textus carminum certius constitueretur.

4) Cod. membr., dictus *Morkinskinna* (*M*), ex magna Bibliotheca regia, num. 1009, forma maxima, pervetustus, et ad orthographiam quod attinet antiquissimis codicibus æmulus, sed multis foliis hic illic abruptis mancus. Ex hoc codice desumta sunt membra historica, quæ ad calcem voluminis secundi adjiciuntur, nempe de Einare Skulii filio, Sigurdo Slembere et Gregorio Dagi filio.

Ex membris historicis, quæ in cod. *A* historiæ Norvegicæ inseruntur, sequentia de Islandis agunt:

1) de Arnore dynastarum poëta, hist. Har. Sev. c. 24.
2) — Asæ-Thordo, hist. Sigurdi Hierosol. c. 24-25.
3) — Brando liberali, hist. Har. Sev. c. 96.
4) — Gisle Illugii, hist. Magni Nudip. c. 15-19.
5) — Haldore Snorrii, hist. Har. Sev. c. 42-46.
6) — Hallio aspero, ibid. c. 101-105.
7) — Oddo Ofeigi f., ibid. c. 106-107.
8) — Polyhistore Islando *, ibid. c. 99.
9) — Rafne Rutfjordensi, hist. Magni Boni, c. 46-51.
10) — Reidare stulto, hist. Har. Sev. c. 26-29.
11) — Sigvato poëta, ibid. c. 66.
12) — Stuvo Thordi, ibid. c. 110.
13) — Thorgrimo Fljotensi, hist. Magni Boni, c. 18-20.
14) — Thorvardo Krakunevo, hist. Har. Sev. c. 100.
15) — Ödune Vestfjordensi, ibid. c. 72-75.

Quorum quædam per se seorsim exstitisse partim constat, partim ex modo, quo ceteræ narrationi intexuntur, intelligi potest. De Norvegis sequentia inveniuntur ἐπεισόδια:

1) de Carolo misero, hist. Magni Boni c. 3. sequ.
2) — Einare Arcipotente et Kalvo, ibid. c. 15.
3) — Thorkele Dyrdele, ibid. c. 43.
4) — Ulvilda, regis Olavi Sancti filia, Ottoni duci Brunsvicensi collocata, ibid. c. 30-31. 35.

---

*) Hic Thorsteinis nomine venit in P. E. Mulleri *Sagabibliothek*, Vol. 1., et ejusdem de Snorrii fontibus disquisitione, *Hk*. T. 6. p. 324. not. ***).

5) de Reghuso Vendo, ibid. c. 33. coll. c. 44.
6) — literis ab rege Magno ad Jatvardum Angliæ regem datis, ibid. c. 42.
7) — amoribus Magni Boni, ibid. c. 52.
8) relatio de fuga Haraldi Severi ex pugna Stiklastadensi, hist. Har. Sev. c. 1.
9) de uxore Erlendi, ab Haraldo sanata, ibid. c. 6.
10) — miraculo Olavi Sancti, Constantinopoli edito, ibid. c. 7.
11) — serpente ab Haraldo necato, ibid. c. 13.
12) — Thrando Oplandico, ibid. c. 21.
13) — Thorere, fratre Magni regis, ibid. c. 23. 38.
14) — adolescente, consilio Haraldi sanato, ib. c. 25.
15) — cæco homine, miraculose sanato, ibid. c. 44.
16) — Thorfinno mercatore, ibid. c. 58.
17) — Ulvo divite, ibid. c. 92.
18) — Ingibjarga, ab Haraldo rege sanata, ibid. c. 97-98.
19) — percussore Tryggvii Olavi filii, ibid. c. 109.
20) — humanitate Olavi Tranquilli, hist. Ol. Tranq. c. 3. fin., c. 4. fin.
21) — Ivare Fljodensi, hist. Sigurdi Hierosol. c. 27. 32.
22) — calumnia in Sigurdum Ranii, unde lis inter reges Eysteinem et Sigurdum orta, ib. c. 28.
23) narratio Sigurdi Ranii, ibid. c. 36.
24) de Erlendo Gapamunno, ibid. c. 48-50.

Qua ætate hæc historiæ Norvegicæ pertractatio confecta sit, concludi posse videtur ex loco, qui occurrit in historiæ Haraldi Severi cap. 114. Nimirum hic commemoratur scrinium regis Olavi Sancti, ex quo ab Haraldo Severo, in Angliam profecturo, occlusum sit, ætate demum regis Magni Hakonis filii et Jonis archiepiscopi apertum fuisse. Loquitur h. l. scriptor Jonem, archiepiscopum Nidarosiensem, dictum Rufum, qui ad dignitatem archiepiscopalem anno 1268 evectus, anno 1282 in exilium concessit*. Quod comma cum ab exscriptore additum esse probari posse non videatur, sequitur hanc historiæ recensionem post annum demum 1268 confectam esse.

Ut citationes quædam, in septimo volumine occurrentes, melius intelligantur, hæc notanda sunt. Immortalis Raskius textum hujus voluminis cum membraneo

*) Sturl. lib. 4., Hist. eccl. Isl. Tom. 1. p. 443 sq.

A contulerat et a mendis librarii immunem reddiderat, variantesque lectiones non solum cum membraneis *H* et *M* et textu Heimskringlæ (*Hk.*) contenderat, sed etiam, cum textus *Hk.* hic illic minus accuratus videretur, duos consuluerat membraneos, quorum ductu textus Heimskringlæ olim constitutus fuerat, nempe membraneos num. 45 et 47, utrumque forma maxima, e collectione codicum legati Arnamagnæani, ex quibus ille in septimo volumine nostro, ut in *Hk.*, notatur lit. *E*, hic, qui in notis textui *Hk.* subjunctis notatur litera *A*, in nostro textu insignitur litera *Á*; nam ut litera *A* in textu *Hk.* non commode adhiberi poterat, quod hæc nota alium codicem in præcedentibus *Hk.* voluminibus designaverat, ita neque in nostro volumine commode poterat adhiberi, quod in sexto alius codex eadem litera insignitus fuerat. Ceterum vir immortalis, quæ fuit ejus cum permultarum lingvarum vasta cognitio, tum antiqui sermonis danici exquisitissima peritia, hanc collationem tanta cura ac diligentia instituerat et perfecerat, ut ullum esse codicem antiquum dubitem, cujus textus accuratius ac subtilius constitutus editusque sit. Sed absoluto hoc opere, editisque permultis immortalibus ingenii monumentis, vir egregius, mihi amicitia et literarum commercio junctus, decessit 14. Nov. 1832, patriæ, omnibusque, qui doctrinam, humanitatem veriqne indagandi studium amant, desideratissimus. Cujus quidem de patria lingua merita et laude mea majora, et orbi literato notissima sunt. An vero commentarium in Eddam Snorrianam, in primis in carmina eo in opere occurrentia, et Lexicon poëticum veteris lingvæ Norvegicæ, de quibus edendis cum cogitasse testatur præfatio Eddæ Snorrianæ, ab ipso Holmiæ 1818 editæ, absolverit, nescio. Hoc scio, eum primas lineas Glossarii critici in carmina in primis Heimskringlæ jam dudum adumbrasse. Nam cum me explicandis antiquis carminibus occupari audiret, hunc mihi libellum, ipsius manu danico sermone scriptum, amicissime misit; quem cum aliquot annis apud me retinuissem, paulo ante mortem ejus remisi, animadversionibus Doct. H. Schevingii in loca quædam difficiliora, meisque notulis, auctiorem. Quod opusculum nunc in possessionem Bibliothecæ Universitatis Havniensis pervenisse audio.

HISTORIA REGIS MAGNI BONI.

Cap. 1.*

Constat, regem Jarizleivum et reginam Ingigerdam, regis Olavi Sveci filiam, omnium feminarum sapientissimam formæque venustate conspicuam, regno Gardorum imperasse. Rex Jarizleivus eximiam sibi aulam struendam, auroque et gemmis ornandam curaverat; quam absolutam, pretiosaque bysso velatam ac decentissimis ornamentis instructam, cum viris, fortitu dine armorumque ac vestium ornatu conspicuis, frequentasset, splendido apparato convivio, illustrissimos quosque regni sui proceres ad se invitavit; cumque elegantissimi principes aulam complevissent, ipse regio indutus ornatu, in solio consedit. Reginam Ingigerdam, splendido matronarum cœtu comitatam ingredientem in aulam rex adsurgens comiter salutavit, deinque locutus est: ubi, quæso, regina, talem vidisti aulam, quæ primum cœtu talium, quales huc convenere, virorum, deinde tam sumtuoso ornatu tam egregie instructa sit? Cui regina: hæc aula, domine, bene quidem instructa est, rarumque esse credo, ut ei similis ulla reperiatur, tantusve pe cuniæ sumtus, totve virorum dignitate et fortitudine præstantium in unam domum congressus; ea vero aula, in qua rex Olavus Haraldi filius sedet, quamvis solis trabibus innixa, melius instructa est. Quibus dictis iratus rex: ista con-

*) Hujus historiæ septemdecim prima capita et initium decimi octavi ex *H* desumta sunt.

tumeliose dicta sunt, inquit, atque majorem in regem Olavum, quam in me amorem ostendis. Quæ dicens alapam ei duxit. Heic regina: te inter atque illum plus interest, quam ut verbis condigne exprimere possim. Extemplo irato animo ex aula egressa, amicis aperit, se velle ex regno Jarizleivi regis excedere, neque sæpius ab eo talem capere contumeliam. Amicis, ut iram remitteret animumque ad regem adjiceret, hortantibus, se facturam prius negavit, quam rex hac de re sibi satisfecisset. Mox ad regem allatum est, eam abire statuisse. Qui viris benevolis intercedentibus, et ut facilem se præberet hortantibus, obsecutus, ab ea gratiam petiit, quam se, tribuendo quod petisset, mereri velle ostendit. Ea, hac conditione accepta, locuta est: navem in Norvegiam ad regem Olavum, cui gnatum[1] esse parvo natu audivi, mittito, atque hunc alendum et educandum ad te invitato; nam quod ad te et regem Olavum attinet, verum est illud a veteribus dictum: inferiorem esse, qui alterius gnatum educet. Cui rex: hæc, quæ postulas, impetrabis, nam et æquum est, ut Olavum mihi anteponi, æquo animo feram, neque si gnatum ejus educavero, dedecori existimo. Post hæc rex navem et legatos in Norvegiam misit; qui ad regem Olavum delati, mandata regis et reginæ exposuerunt. Quibus ille: hanc oblatam conditionem lubens accipio, nemini enim gnatum meum magis commendatum volo, quam regi Jarisleivo et reginæ Ingigerdæ, quam excellentissimam feminam esse, mihique optime cupere, comperio. Itaque Magnum filium legatis commisit, quem rex Jarizleivus ac regina Ingigerda læti exceperunt. Apud quos non minori amoris affectu, quam ipsorum filii, educatus est.

[1]) nothum, add. *M.*

Cap. 2. Brevi interjecto tempore exstiterunt, qui eum invidia exosi, regi dicerent, indecens esse, peregrinum regis filium ibi educari; sed frustra; rex enim his dictis aures non præbuit. Magnus ludendo se adsvefecit, multaque ludicra et artes jam puer calluit: per mensas, ut ejus temporis adolescentibus mos erat, magna agilitate[1] incedebat, atque in eo, ut aliis rebus, artis peritiam ostendebat; [quæ res plerisque scitu digna videbatur[2]. Aulicus aliquis, ætate nonnihil provecta, apud ceteros parum gratiosus, ei obtrectavit. Accidit die quodam, eum puer per mensas incedens prope hunc aulicum veniret, ut hic porrecta manu eum detruderet, se tumultum ejus nolle dicens. Magnus de mensa delapsus est. Quæ res varie æstimata est, dum alii aulicum, alii puerum verbis defenderent. Magnus hanc rem parvi faciens, eodem vespere, postquam rex cubitum iverat, in aula relictus, aulicis inter vina sedentibus, hunc eundem aulicum, qui eum deturbaverat, aggressus parva securi plaga mortifera percussit. [Quidam ex contubernalibus cæsi puerum capere et vindictam ab eo expetere volebant, alii eum defendentes, quantopere rex eum amaret, scire cupiebant. Tunc aulicorum aliquis, sublato puero accurrit[3] ad cubiculum, in quo rex dormiebat, puerumque in lectum conjiciens: tu altera vice stolidum huncce puerum diligentius serva. Rex: vos sæpius in eum mala et contumeliosa verba jacitis. Aulicus: hoc jam satis promeritus est, unum enim aulicorum occidit. Regi, ut res gesta esset, percontanti, puer verum aperuit. Hic rex ridens: regium facinus, alumne! ego pro te cædem expiabo. Dein pue-

[1]) manibus, add. *M.* [2]) plerisque maturos profectus ejus laudantibus, *M.* [3]) Quæ ab signo sunt, in *M* legi nequeunt.

rum in gratiam cum cognatis [cæsi reduxit et cædem pecunia expiavit. Magnus, hic educatus, quo magis ætate et prudentia profecit, eo magis omnium animos sibi conciliavit[1].

Cap. 3. Post casum regis Olavi Sancti, bellum inter regem Jarizleivum et Sveinem Alfivæ filium, qui tunc imperium Norvegiæ capessiverat, erupit, quod rex Jarizleivus Norvegos Olavum mala fide prodidisse existimavit; quare omni inter eos sublato commercio, mutuis cædibus alteri alteros, prout occasio se tulit, infestaverunt.

Cap. 4. Vir erat nomine Carolus, fratrem habens nomine Björnem. Hi, licet humili loco nati, in negotiis gerendis strenui erant; [nam cum antea salarii fuissent, jam pecuniam lucrati, mercaturam exercere cœperant, quorum uterque etsi ingenio esset ad magna adspiranti, tamen Carolus excellentior erat. Horum res in eum jam venerant locum, ut itineribus mercatoriis se darent, partim in terram Saxonum, partim in regnum australe profecti, commerciorum fide omnibus probati. Æstate quadam in Daniam delati, cum in Angliam trajicere cogitarent, Carolus sociis navalibus: palam vobis facere volo, quod mihi consilium sit; statui, mercandi causa in mare Orientale excurrere, quæ profectio, tam ob minas regum, Jarizleivi ac Sveinis, quam ob bellum, quod inter eos est, minus tuta forte videbitur. Quam ob rem, cum certum mihi sit hanc profectionem suscipere, hoc (consilium) vobis nunc aperio; dabo quidem vobis hanc veniam, ut alias naves, quæ hic constitutæ in varias terras sunt navigaturæ, conscendatis, et quo maxime placuerit, proficiscamini: omnibus vero gratiam habeo, qui potius me sequi, quam alio concedere malint. Heic vir quidam Norvegus: hæc

[1]) Ab signo omitt. *M.*

quidem nobis insperantibus acciderunt, neque vero tibi nos socios addidissemus, si hæc primo statim tempore nossemus; cum autem insigni sis in rebus gerendis strenuitate, et verosimile sit, fortunam cœptis tuis adspiraturam, tuæ fidei res nostras committere non dubitamus. Hinc omnes ejus navis conductores, renovata cum eo societate, vela fecerunt et ad emporium aliquod in regno australi situm appulerunt, ut res necessarias coëmerent. Incolæ vero, cum Norvegos esse comperissent, impetum in eos facere minati sunt, ut parum abesset, quin confligerent. Heic Carolus, sentiens rem in anceps discrimen adductam, incolas his verbis alloquitur: vos, omnium judicio, summæ temeritatis crimen incurretis, si injussu regis vestri exteros homines, qui sine ullo maleficio iter facientes merces suas huc exportant, mutilabitis aut occidetis; sed majoris prudentiæ est, sententiam regis de hac re exspectare. Quæ dicta etsi impetum maxima ex parte averterent, tamen Carolus, intelligens ipsis eo loco tuto manere non licere, iter ad regem Jarizleivum ingreditur. Quo cum venisset, regem adit et salutat. Rex quærit, quis esset. Ille: sum Norvegus, humili loco natus, qui hanc terram pacate ingressus sum. Rex: cur adeo audax eras, ut huc te conferres? num te putas majori quam ceteros fortuna usurum in promerciis agitandis, cum alii non vitam quidem obtinuerint? enimvero vos Norvegi non adeo duriter a nobis tractamini, ut pejora non sitis promeriti. Carolus: fui salarius humilis conditionis, etsi nunc pecuniam fecerim; parva quidem efficere potui, verum nec animo nec re Olavo regi adversatus sum. Rex: puto te, inquit, ut ceteros Norvegos, malæ indolis specimen daturum; eumque comprehendi et in vincula conjici jussit:

quod factum est. Dein rex Magno, alumno suo, rem aperit, eumque consulit, quo pacto in Norvegos istos consulendum esset. Cui Magnus: raro me, alumne! ad hoc tempus consilii ergo adiisti; verum opinor, Norvegiam sero in potestatem redactum iri, si omnes inde oriundi, qui mei subditi jure vocari possunt, interficiendi sunt[1]; [aliam puto rationem ineundam, si regno Norvegiæ potiri conabor[2], quam ut omnes hujus regni incolas odio persequar. Tunc rex: pulcre dicis, inquit; seque ejus consilio usurum pollicetur. Postero mane rex Carolum ad se adduci jussit, eumque sic allocutus est: vultus tuus mihi intuenti persvadet, te prospera usurum fortuna; quare, cum Magnus, alumnus meus, te vita donatum velit, duas tibi propono conditiones: unam, ut tibi ad navem redeunti vinum et cibum præbeam, vosque pro lubitu merces vestras permutetis, ipsi vero, a me libertate donati, vos ab ceteris incolis tutos fore præstetis: alteram, ut ad me concedas, et hiemem apud me agas, certus, ubi vernaverit, tibi aliquod negotium difficile injunctum iri. Carolus: etsi mearum virium minime sit, tale quid in me recipere, tamen conditionem tam honorabilem non aspernabor, sed tua fretus fortuna periculum faciam; fieri enim potest, ut res prospere exeat, etsi non careat periculo. Posthæc Carolus ad aulam regis Jarizleivi se confert; quocum rex sæpe sermones miscuit, eumque virum sapientem esse animadvertit.

Cap. 5. Die quodam (insequentis) veris, cum Carolus ac rex inter se colloquerentur, rex: hic pecunia est, quam accipere debes, simulque quod additum est difficile negotium suscipere: hac

[1]) Quæ ab signo [sunt, in *M* adeo sunt detrita, ut legi non possint. [2]) aliud faciendum censeo, *M.*

nempe pecunia præfectos Norvegiæ, omnesque, in quibus [aliqua spes auxilii[1] est, quique regi Magno Olavi filio amici esse volent, corrumpito; nam sapiens es, quamvis parvo loco natus. Cui Carolus: hæc res meæ facultatis non est; is, cui talia mandata perferenda, tantisque defungendum negotiis est, cum tantæ sint adversæ factionis vires, et illustri loco natus et prudentia insigni esse debet. Rex: tu, me judice, ad hanc rem bene idoneus es, neque tamen dubito, quin in summum periculum venturus sis, neque facile dispecturus, salvus sis evasurus, nec ne; hæc vero si facere non vis, fieri potest, ut necesse non habeas præsentius discrimen exspectare. Carolus: faciam, inquit, tua felicitate et consilio fretus, suscipiendi hujus negotii periculum. Eodem vere Carolus ab oriente in Daniam profectus, habito convectorum concilio, socios ita allocutus est: notum vobis est, nos nulla impetrata venia in terras orientales navigasse, quare magnopere metuo, ne delatos in Norvegiam rex Svein hac de re nos criminetur: itaque mea sententia est, ut dissoluta ad tempus societate in Angliam aliave emporia concedatis, remque sic instituamus, ut singuli in Norvegiam veniamus; sic enim minor erit adventus nostri suspicio; alias periculum erit, ne vitam resque nostras amittamus: ego vero primum in terram egressus sodalem quendam, hoc loco incolentem, conveniam, merces autem, quæ mihi sunt, vestræ fidei curæque committo. Björn, frater ejus, eum secreto allocutus: plane nescius eram, inquit, tibi hic ullum esse amicum, quare puto dolum aliquem subesse, de quo me certiorem facias velim. Tum Carolus, omni exposita rei ratione, suas ipsiusque merces ejus curæ commendat. Qui cum

[1]) aliquid momenti, *M.*

diceret, nolle se ab eo tanto in periculo disjungi, Carolus: magis expedire censeo, me solum commissam pecuniam curare, fieri tamen potest, ut expediat utrumque nostrum proficisci, si res cum fide agitur. Dein ambo una iter faciunt; in Vikam delati, brevi cognoscunt, qui principes regi [Magno Olavi filio[1] amici sint, quibusque ejus ratio minus probetur. Inde in Upplanda contendunt, neque prius itinere desistunt, quam in Thrandheimum perveniunt. Conveniunt Einarem Arcipotentem, pecunias proferunt, adjectis certis indiciis et mandatis regis Magni Olavi filii. Einar respondit: abominor largitiones istas, quibus proceres corrumpantur, ex quo rex Knutus Potens idem fecit; verumtamen operam meam regi Magno lubenter oblaturus sum, quare meo nomine certo polliceor, me proximo vere ante festum pentecostes orientem versus ad eum adfuturum. Inde Nidarosum proficiscuntur, eoque ante dominicam palmarum perveniunt, et devertunt ad virum quendam, nomine Grimum, cognomine Vafrum, rumore aliquo de profectione eorum jam tum ad viros illustriores perlato. Hinc Grimus colloquium cum fratribus orsus, quærit: numquid certi accepistis de hominibus istis, qui aliquamdiu hanc terram ignoti peragrarunt, et principes pecunia corrumpunt? ideo vero hæc loquor, quod his hominibus statura et vultu perquam similes estis. Illi se nihil certi de eis accepisse significaverunt.

Cap. 6. Proximo die conventu indicto, quæstor regis verba faciens dixit rumorem allatum, homines, qui regnum ab eo proditione alienare vellent, tunc in oppido versari, atque hospitio Grimi Vafri usos fuisse: vitæ periculum subituros, qui hos celarent. Grimus domum reveniens

[1]) Sveini, *M.*

quæ dicta fuerant, fratribus aperit: quod si vos homines isti estis, e re vestra fuerit, mihi verum expromere; ut enim semper amicus fui regi Olavo, ita filio ejus Magno esse volo. Cui Carolus: verissime conjicis (rem acu tangis), nos eos ipsos esse. Itaque quam citissime vos hinc abripite, ego vero [partes responsoris suscipiam[1]. Carolus: minime oportet te huic exponi periculo; immo alter ex nobis remanebit, noster enim reditus nihil ad rem facit, si modo Magnus regis filius certo cognoscat, quid administratum sit, quique ei hac in terra amici sint. Björn: equidem abs te non digrediar, sive hic remanere, sive hinc discedere velis. Haud ita licet, ait Carolus, alteruter nostrum abito[2], tuque si vis remane. Björn: ad hoc multo minus idoneus sum, tu enim nostrum prudentior et in rebus gerendis strenuior es. Neque Carolus remanere recusavit, quanquam neutra ratio exoptabilis erat. Itaque Björn clam in orientem profectus, auspicioque sancti regis Olavi et fortuna Magni, filii ejus, itinere feliciter defunctus, regi Jarizleivo et Magno, quæ gesta essent, qui principes pecuniam ab eo missam accepissent, quosque amicos exspectare posset, exposuit. Rex multa esse hac in re diligenter administrata, multaque adhuc superesse administranda, dixit.

Cap. 7. Post paulo quam Björn Nidaroso profectus esset, nuntiatum est, regem Sveinem in oppidum venisse; mox omnes ædium habitatores ex oppido in Eyras classico evocati, comitiaque constituta. Rex Svein surrexit, et sic verba fecit: fieri potest, ut quæ res olim voluptatem nobis attulit, eadem nunc dolorem nobis afferat: accepi adesse in oppido homines, qui

[1]) laqueis inhærebo (periculo me objiciam), *M.* [2]) ut rem Magno regis filio aperiat, scire enim ei necesse est, add. *M.*

principes ac præfectos pecunia corrumpant, nosque per fraudem regno exuere velint; relatum est mihi, hos ad Grimum Vafrum devertisse; quod si ita est, nunc optimum factu est, eos tradere; putamus enim nonnisi ab ignaris fraudum hospitio exceptos. Grimus negare, eos domi suæ esse. Rex: jam res pejus quam opinatus eram cecidit, certo enim novi, eos ibi esse; quare restat, ut ad verum fatendum extorqueare. Grimus: hoc in præsenti penes te fuerit, ego vero plura quam velim non eloquar. Heic Carolus, intelligens, perfectum iri quæ minatus rex erat, surrexit ac locutus est: adest, rex Svein, is, quem forte verbis tetigisti; verum ea, de quibus mentionem injecisti, plus verbo valent quam re, solent enim talia sæpius supra modum exaggerari, quod hic quoque usu venit. Rex: probe novi te, qui sis, multis in rebus gerendis strenuissimum; [qui si aperueris mihi, pecuniam qui acceperint, faciam tibi gratiam criminis. Cui Carolus: si vilioris tantum notæ homines pecuniam acceperunt, nihil refert: si potentiores, respublica jacturam videtur multorum virorum factura; quamobrem hanc rem edere nolo. Rex: at vero inter gravia tormenta dices coactus, si sponte non vis. Jubet comprehendi Carolum et ferreis vinculis includi, additis quatuor viris, qui eum in æde aliqua custodirent. His actis concio dimissa, rege Grimi Vafri nullam curam habente. Carolus in vinculis sedens, custodibus infit: malam et inutilem vitam agitis, qui me vigiles custodientes[1] nihil habeatis, quo animos recreetis; an rex tam parce vobis pecuniam dat, ut nihil habeatis quod bibatis? Illi contra: nolumus[2] de illo detrahere, verum haud par est

[1]) Quæ ab signo [sunt, conspici non possunt in *M.* [2]) Hic desunt sex folia in fragmento membraneo *M.*

exspectare, ut omnibus affatim det pecuniæ. Carolus: mihi veri simile videtur, fore ut ex pecunia exiguam utilitatem capiam; en pauculos nummos, quibus cerevisiam ematis. Faciunt ita; consident et potant. Max potum ei offerunt, quo ille degustato: hic potus malus est; hoc argentum accipite, mulsumque vobis emite. Sic faciunt, dicentes, magnopere dolendum esse, quod tali viro tam cito moriendum esset. Brevi tempore elapso, Carolus: vinum est præstantissimus potus; fructus ex pecunia, dum facultas erit, capiendus: ite, juvenes, vinumque nobis emite! Illi paucos esse, qui instantem mortem eo animo exciperent, confirmaverunt. Dein vinum potari cœptum, neque prius desitum, quam omnes custodes somno sepulti corruissent. Manus Caroli post tergum revinctæ erant, pedesque vinculis constricti; qui cum se ad locum, ubi securis unius eorum jacuit, movisset, rostrumque securis, ut sursum spectaret, invertisset, tergum ei admovendo, vincula dissecare manusque eo pacto expedire potuit.

Cap. 8. Dein fugam tentans, ad pontes maritimos descendit, et latrinam aliquam, quæ accessu æstus marini subluebatur, ingressus est. Quod vero catenæ erant laxæ, iis se liberare potuit eo pacto, ut abscissa calce pedem extraheret, catenasque pedi alligaret, quo facto remota e pavimento tabula in mare se dejecit, et navibus, quæ pro pontibus stabant, adnatavit, ubi se per noctem mari continuit. Custodum unus, somno experrectus, cum vinctum abesse animadverteret, foras se eripuit, ad pontes decurrit et in eandem latrinam pervenit, vidensque tabulam e pavimento remotam, eo se demisisse vinctum suspicatus est; unde in aream recurrens palam fecit, vinctum aufugisse. Mox homines conve-

nere, tubæque cecinere; fit concursus totum per oppidum et ad naves, fugitivum quærentium. Tum rex Svein præmio proposito ad eum occidendum invitavit, et ubique locorum, qui eum comprehenderent, quocunque devenisset, subornavit. Lucescente vero mane, cum in oppido tumultus consedisset, Carolus videns hominem in fluvio Nida scapha vehi, eo adnatavit, inscioque vectore conscensa scapha necopinantem in mare deturbavit, remigandoque aufugit. Quibus hoc modo digressis, nulla fama de Carolo ad præsens percrebuit; cujus nomini jam agnomen Miseri additum est.

Cap. 9. Rex postero mane, acto in oppido conventu, quo in periculo respublica versetur, quibusque dolis ipse petatur, oppidanis aperit, palamque facit, se e regno in Daniam profecturum, socios itineris nominans Kalvum Arnii filium, aliosque qui aderant viros principes. Rex Knutus Potens Kalvo dynastæ dignitatem, si regem Olavum regno vitaque spoliasset, pollicitus fuerat. Hic apud regem Sveinem omnium præfectorum maximo in honore fuit, ut quocunque in portu staret, navem suam juxta regiam constituere ei licitum esset. Accidit aliquo die, cum rex ac præfecti portum quendam adveherentur, ut Kalvum tardius paratum rex navigando præcurreret. Mox cessante vento Kalviani, remigationem orsi, scapham aliquam aquis viderunt innatantem, in qua amiculum jacuit, sub quo delitescens Carolus subito surrexit, et in aquas se præcipitans, natando ad terram contendit. Kalvus navem ad scapham direxit, conscensamque remis ad terram concitavit. Carolus in terram jam egressus loca superiora cursu petebat. Quem cursu insecutus Kalvus manere jussit. Cui Carolus: fidem tibi non habeo, decepisti enim eum,

quocum tibi major intercedebat necessitudo, quam mecum. Kalvus contra: non tamen decipiam te, Deum testor et sanctum regem Olavum. Itaque rem in discrimen committam, ait Carolus, tu enim plus amittes, quam ego, si me occides. Tum Kalvus eum receptum in tutelam, tuiturum pollicitus est: meis vero, inquit, non omnino confido, si navem nostram juxta regiam statuimus, ne te prodant; quare navem nostram solito remotius constituemus. Sic fecerunt. Tum rex misit, qui Kalvum arcesserent; cui ad navem regiam advecto, rex: navem tuam in ordinem solitum colloca. Cui Kalvus: hoc nimio honori est, naves virorum illustrium mihi statione decedere, quanquam fieri patiendum, si eodem tempore illi et ego advehimur in stationem. Rex: an hodie Carolum Miserum deprehendisti? tibi sane, ut exspectari poterat, fortuna egregie favet. Kalvus se deprehendisse negavit. Rex: nonne me nunc decipis? Ego vero minime, ait Kalvus. Rex: viden' securim, aureis lamellis ornatam, quæ ad latus navis posita est? i et affer mihi similem ex Anglia! Kalvus dicto iratus: hæc periculosa missio est, sed in magna spe sum, propediem secures tibi non defuturas, undecunque afferantur, quanquam non omnes aureis lamellis ornatas. His dictis Kalvus ad navem suam reversus, suis dixit: jam proras pelago obvertamus, satis enim diu malis consiliis impliciti huic regi paruimus, exiguaque præmia retulimus, præ quam quod promissum nobis ab rege Knuto fuit; nunc, Carole, te deprecatore apud regem Magnum Olavi filium utemur, cui de omnibus in patrèm commissis satisfaciemus. Posthæc orientem versus in regnum Gardorum profecti sunt ad regem Jarizleivum et Magnum, qui adventu Caroli lætati sunt. His de itineribus suis expo-

nit; deinde Magno exposuit de re ad Kalvum pertinente, quam opem sibi præstitisset. Cui Magnus: hæc res multo gravior est, quam ut cito transigi possit, et aliquanto, quantum ad tuas vires, tractatu difficilior; nam culpa interfecti patris mei vulgo Kalvo imputatur. Cum vero Einar ceterique amici nostri e Norvegia huc orientem versus mox venturi exspectentur, cum his de iis, quæ pollicitus Kalvo es, deliberandum est, quandoquidem horum studio et opera regno potiri poterimus: virum autem Kalvo astutiorem in provincia Thrandheimensi novi neminem, a quo caveri difficile poterit. Carolus respondit: Kalvus illatam ab se patri tuo necem ejurare vult; spero autem, [cum in his proceres Norvegiæ studium et fiduciam repositam habeant[1], te multum opibus valiturum. Quod vero regi Magnoque Carolus profectione et laboribus exantlatis bene de se meritus visus est, eo deprecante pax Kalvo concessa est, ea lege, ut jurejurando confirmaret, se regi Olavo necem non intulisse, insuperque Magno omne studium et operam navaturum.

Cap. 10. Nunc illuc revertar: comitiis Nidarosi edictis, cum nulli ex Thrandis adesse vellent, Sveiniani suspicati sunt, Thrandos secunda vice dolos adversus regem machinari. Qua re factum est, ut rex Svein austrum versus classe tenderet. Thrandis vero consilia conferentibus, decretum est, ut viri præstantissimi, in quibus Einar Arcipotens et Svein Bryggjufotus (Sublica), quibus multi alii principes se adjunxerunt, ad profectionem e regno deligerentur, ut Magnum, filium regis Olavi, e regno Gardorum reducerent. Postquam enim Deus sanctitatem regis

[1]) modo devinctos tibi habeas Norvegos, *F*; ceterum in textu pro *þèr* legendum putavi *þér*.

Olavi conspicuam reddiderat, hi homines admissum ab se crimen agnoverunt, pœnitentiaque moti, quod eum vita regnoque spoliassent, quod in ipsum deliquerant, hoc filio ejus satisfacere voluerunt. Hi non prius itinere destiterunt, quam in regnum Gardorum pervenerunt; regeque convento mandata et tesseras procerum Norvegiæ protulerunt, quod Magnum, filium regis Olavi, in regnum Norvegiæ restituere vellent. Rex Jarizleivus, probata re, neminem ex Norvegis esse, cui potius crederet, quam Einari, testatus: metuimus tamen, inquit, quam sincere fidem Magno datam præstituri sint Norvegi, qui se adeo infidos patri ejus præbuerint. Mox rem coram regina Ingigerda exponit, his verbis usus: adsunt ex Norvegia multi viri magni nominis, qui Magnum in regnum hereditarium reducere regiumque ei nomen adserere volunt. Cui regina: mihi sane volenti acciderit, ut regnum Norvegiæ Magno deferatur; cum vero isti in patrem ejus tam crudeliter consuluerint, dubitamus, an, adversantibus Knutidis et Alfiva, regnum velint Magno concedere; quare diutius hac de re disputabimus, firmiorique stipulatione ratam faciemus, antequam Magnum in manus eorum tradamus. Ubi vero Norvegi rem segnius transigi animadverterunt, regem adierunt, petentes, ut Magnum, regis filium, ipsis traderet, prout ipse primo constituisset. Quibus rex: vos quidem profecto meo jussu adestis, et ipse magnopere cuperem, Magnum, alumnum meum, digno honore potiri, valde autem timeo, quæ Alfivæ malitia, quæ regis Knuti potentia est, etsi bene cupiatis, ne Thrandi eum, velut patrem, prodant. Einar respondit: concedendum quidem est, domine, te nostro de consilio sollicitum esse, sed et necessitas et honor adolescentis postulat, ut suam hæreditatem reci-

piat, et omnium Norvegiæ incolarum voluntas est, iniquum servitutis jugum, quo totus populus premitur, excutere. Tunc regina: hunc adolescentem, propter amorem, quo eum complectimur, a nobis disjungi non pateremur, nisi eum tanta dignitas mansura esset. Cum vero tu, Einar, sis spectatæ virtutis, neque intra regnum constitutus fueris, quo tempore cecidit rex Olavus, multumque opibus valeas: si tu undecimque optimi viri vestrarum partium fidem interposito jurejurando obstringere vultis, te ei nutricium fore, ejusque regiam auctoritatem omni nomine adserturum: eum potius in manus vestras tradere audebimus, quam committere, ut nos honori ejus officere dicamur, quo minus regno hereditario potiatur. Einar respondit: quanquam sunt, quibus justo iniquius videatur, tam firmum jusjurandum in terra ignota ab nobis postulari, tamen, utcunque hæc sive ab hujus terræ sive aliarum incolis æstimentur, libenter volumus jurejurando fidem nostram obstringere, quo magis Magni honori, omniumque nostrum societati et commodis consulatur. Quibus hoc modo constitutis, datisque juramentis, aliquantum temporis Holmgardi commorati, consilia inter se contulerunt. Proxime sequenti hiemi Magnum Olavi filium e regno Gardorum secum abduxerunt[1], et [per glaciem[2] ad mare profecti sunt, receptisque navibus [per mare[3] in Svethiam navigarunt, classeque Sigtuna usque penetrarunt, unde terrestri itinere in Helsingiam contenderunt. Sic Arnor dynastarum poëta:

Jam bellicosus princeps, qui aciem
gladii in pugna sævientis tingit,
militibus imperavit. Hoc cum certo

[1]) comite Rögnvaldo Brusii filio, add. *F.* [2]) Sic *F;* ab Eyris, *A.* [3]) Sic *F;* vere ab oriente, *A.*

sciam, famam sequi opus non habeo.
Liberalis princeps, fortis Hördorum
amicus, annum ætatis undecimum
non compleverat, cum naves bellicas
ab oriente ex Gardis ornatas duceret[1].

Hoc loco commemorat poëta, regem Magnum undecimam hiemem egisse, cum ab oriente redierit, quod accidit principio hiemis; tum classem Sigtuna usque duxit, teste Arnore:

Juvenis princeps, gladium cruentans,
milites armis instructus evocavit;
alacres præliatoris satellites
armamenta ad scalmos portarunt.
Fortis populi rex, ab oriente
profectus, tabulis convexis
sal secuit: venti ferentes
auri largitorem Sigtuna vexerunt[2].

Hic rex Magnus in terram egressus, pedestri itinere in Norvegiam proficisci paravit; sic Arnor:

1) Ordo: *Nú hykk rjóðanda rógörs a) hneitis eggjar b) réðu c) seggjum; þegi segja seimstafir d), þriat veit gjörfa.* [*Hati armsetrs var-at allra ellifu vetra e), þá er hraustr f) Hörða vinr glæsti g) herskip or Görðum.*

a) Sic scribendum putavi, ut ad Vol. 5, p. 124; *rögaurs, H.* *b*) *eggja*, in plur., acies, *F.* *c*) Sic scribendum duxi, vide l. c.; *reiðu, H*; *ráða*, imperat., *F, Hk.* *d*) *seimstaðar, F*, prave. *e*) A signo absunt in *H*; desumta sunt ex *F, Hk.* *f*) *hraust, F*; vide mox *g.* *g*) *glæstu, F*, i. e. *þá er glæstu hraust herskip or G.*, cum firmæ naves ex G. adornarentur.

2) Ordo: *Hinn úngi hervæðr a) eggrjóðandi bauð þjóðum út; fim hirð ara bræðis b) bar þing í hömlur c). Hraustr þjóðkonúngr skar salt hveltum d) húfi e) austan: brún veðr báru brimlogs f) rýri at g) Sigtúnum.*

a) *herveðrs, F*, i. e. *bar herveðrs þing í hömlur*, armaturam ad scalmos portarunt. *b*) *breðja, B, F*, qs. a *breði*, id. *c*) *at hömlu*, eod. sensu, *Hk.* *d*) *heltum, B, F*, aut id. q. *heldum*, densis, aut *héldum*, pruinosis. *e*) *húfum*, in plur., *B.* *f*) *beimlogs, F*, prave. *g*) *af*, ab (Sigtunis), *F*, prave.

Adversarius Sveinis, magnanimus
Olavi filius, qui nil nisi præclare
gessit, ab oriente proficiscendi cupidus,
navi in Sveciam egressus est.
Fideles comites interdiu noctuque
dominum Jadarensium opperiebantur;
rex dixit, animum, domum redeundi cupidum,
sibi præsidium fore adversus tempestatem[1].

In carmine dimetro[2] mentio fit, Magnum Olavi filium, e regno Gardorum profectum, naves bellicas, trajecto mari Orientali, in Svéthiam duxisse. Quæ profectio ibidem sic describitur:

Rex, naves bellicas ex prædura falanga
in mare orientale extrusisti:
Russica armatura indutus, navem
tabulis coaxatis ventruosam conscendisti.
Minime hæsitasti, malis trementibus,
cum pluteus, pruina conspersus,
fatiscebat, ornata capita demergebantur,
unda ruebat, proraque concutiebatur[3].

---

1) Ordo: *Sökki Sveins, er vann fremd eina, gekk á Svíþjóð; afkárt hjarta Ólafssonar fýstist austan. Dygg ferð beið drottins Jaðarbyggja nótt ok dag; gramr bað fýst gífrs veðr hlífa sèr í geystu a).*

a) conjicere liceret: *síst bað gramr í geystu gífrs veðri sèr hlífa*, i. e. *gramr bað síst hlífa sèr í geystu gífrs veðri*, i. e. minime petiit, ut sibi parceretur in sæva tempestatis vehementia.

2) *Hrúnhenda*] carmen strophis octostichis dimetris, vide Edd. Snorr. p. 255-256, *Nord. g. Digtek.* p. 62, *Anvisn. t. Isl.* p. 263 §. 501 et p. 268 §. 506. Ceterum et h. l. et paulo inferius scribendum est: *hrunhenda* (non *hrúnhenda*) et pag. 67 et 85 *hrynh.* (non *hrýnh.*).

3) Ordo: *Skjöldúngr, vantu geyst herskip af karða stinnum hlunni í Saltit eystra, stètt með girzku a) skrúði á skeiðarhúf, hveldan skörum. Vafðir lítt, en vendir bifðust: verða b), hrími stokkin, hrökk, en búnar grimur nam sökkva niðr: bára geystist, en hlýr hristist.*

Cum in Svethiam venerat, incolæ ad eum confluentes polliciti sunt, eum comitaturos; quod testatur Arnor in carmine dimetro:

Bellator! deinde rubros clypeos
per Svecica territoria portasti,
haud exiguum militum numerum
nactus es, populo ad te confluente.
Populis note, qui luporum ora
cruore rubefacis! lecti viri
albis cum clypeis et hastis bracteatis
ad prælium ab oriente festinabant[1].

Cap. 11. Ubi Magni ex oriente adventus fama in Norvegiam perlata est, magna hominum multitudo obviam ei profecta est, principe profectionis Kalvo Arnii filio, quem multi alii, regi Olavo olim adversati, comitati sunt. Tunc Kalvus et Einar, qui in provincia Thandheimica maximæ erant auctoritatis, consiliarii Magni regis facti sunt. Erat Einar in præliis acer, animique præsentissimi, Kalvus vero prudentia insigni. Superata Carina cum in Thrandheimum descendissent, magna adhæc multitudo ex pagis ad eos confluxit, inimici vero fuga se subduxerunt. Cujus rei meminit Arnor:

Qui corvi plumas rubefacis! maxima
terroris galea tectus, territoria

a) id. q. *gerzku*, ut cap. 24, 1, var. l. b) vox mihi ignota; puto esse tabulas lateribus navis, ad excipiendos fluctuum assultus, applicatas; mallem *varða*, qs. tabula defensoria.

1) Ordo: *Rimmu yggr! bárut síðan rauðar randir í svænskar bygðir; eigi gaztu lágan liðskost, landherr sótti til handa þér. Úlfa ferðar túngu rjóðr, kuðr öldum! teknir menn þorðu a) austan til tírar þínga við hvíta skjöldu ok hin b) reknu c) dörr d).*

a) Sic dedi pro *þorðut*, *H.* b) *hinn*, *H.* c) *rekna*, *lik.*, cum *dörr* sit masc., *darr*, neutr. d) Nesciunt has strophas *B, F.*

Thrandica intrasti, ab oriente veniens;
inimici tui animum despondisse dicuntur.
Rex juvenis, luporum aviditatem sedans!
audivi res eorum in locum iniquum
adductas. Bellicæ navis instructor,
infesto animo, e regno aufugit[1].

Posthæc rex Magnus copias Nidarosum duxit, confestimque edicta comitia Eyrensia, quo ex singulis pagis provinciæ Thrandheimensis magna hominum frequentia pervenit. His comitiis datum Magno Olavi filio nomen regium, qui, adsumtis aulicis, magna inter gaudia et oblectamenta, frequentique multitudine circumdatus, in oppido commoratus est.

Cap. 12. Rex Svein et Alfiva mater, qui in australi parte regni agebant, his cognitis rebus, dimissa sagitta belli nuntia, comitia edixerunt. Quibus comitiis cum rex significasset, novum regem a Thrandis creatum, opem ad regnum defendendum poposcit, copiasque militares pagis imperavit, finemque faciens orationis, petiit a populo, ut postulatis benigne responderet. Sed oratio regis admodum varie excepta est: multi fuere, qui se adversus Magnum Olavi filium pugnaturos negarent; quidam dixerunt se quas pendere deberent belli impensas regi soluturos, ipsos vero nusquam pedem moturos; quidam nihil in medium proferebant. Tum rex iterum orationem orsus: juvenili ætate sum, dicendique

---

1) Ordo: *Yggjar máss fiðri-rjóðr! Komtu austan með allra hæstum a) ægis hjálmi í þrænzkar b) bygðir, en kvoðu fjandmenn yðra fálma. Úngr úlfa gráðar öðlíngr c)! fráig þraungva þeirra ráði; skjöldúngr skeiðar brands stökk or landi fyrir þér með skæðan þokka d).*

a) Sic *Hkr.*; *hraustum, H.* *b)* Sic *Hkr.*; *Svænskar, H.* *c)* Præstat lectio *úngan fráig þik cyði &c.*, vide F. 5. 119, 3. *d)* Nescit hanc stropham *F.*

parum peritus, ab his autem auxilium mihi non exspectandum esse reor, qui ipsi me audiente negant, se adversus regem Magnum pugnaturos; alii tacent, quos eadem voluntate ac ceteros esse intelligo. Itaque non est, cur ab his, qui huc convenere, quicquam auxilii sit exspectandum; quare cum rege Magno non pugnaturus sum, si copias fideliores non consecutus ero. Posthæc principes Dani, qui cum rege Sveine versabantur, unus post alterum verba fecerunt, quamvis frustra, Norvegos graviter increpantes, quod regem Sveinem flagitiose prodidissent, dicentesque, ei nihil esse reliqui, nisi ut in Daniam reverteretur, ibique novis auxiliis comparatis, adjuvantibus fratre Knuto Hördeusi aut patre Knuto Seniore, bellum Norvegis inferret. Hinc id consilii captum, ut rex Svein cum matre Alfiva, omnesque Dani, qui apud eum in Norvegia fuerant versati, in Daniam reverterentur.

Cap. 13. Posthæc rex Magnus totam Norvegiam, quod ejus patri fuerat, in potestatem suam redegit, regnumque sine armis adeptus est, incolis universoque populo volentibus; omnes enim regi Magno salva libertate parere, quam Danorum insolentiam et injurias pati, maluerunt. Sic Arnor in carmine dimetro:

Virorum amice! tota Norvegia
ad fines usque regni potitus es;
nullus alius rex præstantiorem
possessionem sibi subjicere potest[1].

[1]) Ordo: *Gotna spjalli a)! namtu b) eignust allan Noreg til landa-mæris c); gramr! mangi annar mildingr þèr d) ryðr e) mæra f) óðal g) þegna.*

a) spjalla, F. *b) nam þú*, id., *F; nam, B.* *c)* Sic dedi; *mæri, F; æru, H.* *d)* Etsi jungi potest *annar þèr*, eod. sensu ac *annar en þú*, tamen malo pro *þèr* legere *sèr*, i. e. *ryðr sèr*, quod in versione exprimere conatus sum. *e) er yðr, F.* *f) mæta, F.* *g) odd ok, F; þjóð ok, B,* invito metro.

Memorat quoque carmen in honorem Magni compositum, regem Sveinem, Magno regnum ingrediente, e Norvegia aufugisse; ibi sic est:

Rex inclytus se gravi iræ
monarchæ fuga subtraxit;
liberalis rex ab nostro
divite amico præceps fugit.
Bonus ille princeps, in pugna
audax, regem non passus est diu
imperio Norvegiæ frui: ille
Sveinem ex paterno regno expulit[1].

Proximo post hæc anno rex Svein morbum sibi letalem in Dania nactus est.

Cap. 14. Ferunt, Knutum potentem, cognito, regem Magnum in Norvegiam pervenisse regemque esse creatum, in hæc verba erupisse: fieri potest, instante æstate desidendi facultas nobis futura non sit, si progenies Crassipedis[2] in Norvegiam pervenit. Eadem hieme Knutus Senior in Anglia obiit, quo mortuo Haraldus filius ejus in regno (Angliæ) successit, alter vero filius ejus, Knutus Hördensis, denuo rex totius imperii Danici creatus est. Deinde Knutus Hördensis gravem contentionem cum rege Magno agitavit, et bellum adversus eum fecit, causatus, regem Magnum regnum suum hæreditarium, in-

---

[1]) Ordo: *Framr fylkir flýði a) rama reiði þjóðkonúngs b); armsvells c) hati stökk gella d) fyrir e) okkrum auðvin f). Nýtr sókndjarfr þengill lètat g) gram h) leingi njóta Noregs i): hann k) rak Svein af sínum l) föðrarfi.*

a) flúði, id., *Fagrsk.; fylldi, F,* advers. metr. *b)* Sic *Fagrsk.; -konúngr,* cet. *c) arnsvelgs, F,* prave. *d)* Sic conjeci; *gellir, H, Fagrsk.; hersir, F. e)* Sic *Fagrsk.; frá, H. f)* Sic *Fagrsk.; öðrum, H; öðum, F,* utrumque prave. *g)* Sic *F; leitat, H,* ut *reiðu* pro *rèðu,* supra. *h)* Sic *F, Fagrsk.; gramr, H. i) Noreg, F. k)* Sic *F, Fagrsk.; þat, H. l) sinn, F.*

[2]) i. e. Olavi Sancti.

sedisse, Knutum enim Seniorem, patrem suum, totam possedisse Norvegiam dictitavit; rex autem Magnus sui officii duxit, ab Danis, atque inprimis Knutidis, ulcisci populationes et vexationem, quam patri suo Olavo fecerat Knutus Senior, qui eum e patria expulerat, regnumque ejus sibi injuste subjecerat, dolisque effecerat, ut vita regnoque spoliaretur; quæ omnia se, fortuna et ope regis Olavi Sancti, patris sui, auxilioque adjutum Norvegiæ incolarum, ulturum minatus est. Hinc utrique reges, quamdiu odium inter eos duravit, populationibus et cædibus mutuo illatis gravia damna civibus attulerunt. Quarum inimicitiarum cum cives utriusque regni pertæsi essent, consilio virorum prudentissimorum utriusque regni factum est, ut de gratia reconcilianda agi cœptum esset. Quæ res in eum locum deducta est, ut, cum reges juvenes essent et suis consiliariis dicto audientes, conventus pacificatorius in Albi, ubi superiores reges consilia de pace reconcilanda habere consverant, inter utrosque constitueretur. Huic conventui utrique reges, Magnus ac Knutus, interfuerunt, et optimis viris auctoribus pacem fecerunt, his conditionibus, ut utrique jurejurando fidem suam obstringerent, alterum alteri, quoad ambo viverent, omnibus in rebus fratrum loco fore: cui juramento ea lex adjecta est, ut, utercunque sine prole decessisset, qui superstes esset, alterius hæres ex asse esset, tanquam frater germanus, tam terrarum quam bonorum mobilium. Ibidem duodecim potentissimi viri utriusque regni jurejurando sanciverunt, hanc transactionem et pacem, dum quisquam eorum in vivis esset, perpetuam fore: iidem cum ex regibus, qui diutius viveret, opibus adjuvarent, sed usque eo utrumque æque. Quæ pax facta est ad exemplum

ejus, quam Knutus Potens et Jatmundus in Anglia fecerant. Quibus actis Knutus Hördensis in Daniam, rex Magnus in Norvegiam rediit.

Cap. 15. Ferunt, Kalvo Arnii filio et Einare Arcipotente cum rege Magno in convivio in Vika una versantibus, cum Einar convivas disponeret, Kalvum interea sedem ejus a rege secundam occupasse. Quo viso Einarem scapulis Kalvi insedisse, jactantem: vetustum taurum prius stabulo recipiendum esse, quam vitulum. Quibus dictis Kalvum tantum remisisse, ut Einari locum inter se ac regem concesserit; deinde rem in medio relictam. Præterea accidit, cum litora prætervecti in terram escendissent, ut [magnam multitudinem[1] adversum tendentem præ se conspicarentur, incerti, pacate adventarent, nec ne. Centuriones copias dissipari vetuerunt, et quid faciendum esset deliberarunt. Einar auctor erat, ut aciem instruerent, et in incertum casum parati essent; cujus consilio rex obsecutus est. Instructa acie Einar circumspiciens, cum Kalvum inter ordines non esse animadverteret, ad eum quærendum secessit, atque in loco quodam sylva obsito reperit, gladium vibratum tenentem, eumque manui quam artissime loro adligantem. Einari, cur hæc faceret, interroganti: hujus terræ incolæ, inquit, mihi non irridebunt, quod armis relictis aufugerim, quod ne fiat, vitæ periculo cavebo. Cui Einar: haud dubium est, tibi non defore contentionis studium, atque persvasum est mihi, dicta abs te re probatum iri. Qui vero adversum tendebant, cum hostes non essent, regi obsequium suum detulerunt.

Cap. 16. Harekus de Thjotta post necem regis Olavi domi in prædiis suis se continebat, donec rex Magnus rerum potitus est; ad quem

[1]) exiguum globum, F.

conveniendum Harekus in Thrandheimum profectus est. Quem navi egredientem Asmundus Grankelis filius, qui cum rege versabatur, conspexit agnovitque, confestimque regem adiens: nunc, domine, inquit, Hareko necem patris mei rependere in animo est. Rex sedens latrunculis[1] ludebat, accedente vero Asmundo, collusor (aliquam) calcem regis nominabat; rex qui securim manu tenebat crassam et acutam, Asmundum non aspiciens, ut videre posset: suamne vellet? interrogavit. Collusor calces captas intelligi ab rege putavit, Asmundus vero securim e manu regis cepit, altera relicta, statim exiit, et Harekum in pontibus obvium habuit, cujus capiti securim tanta vi incussit, ut in cerebrum descenderet, quo vulnere Harekus exspiravit. Asmundus in oppidum regressus regem adiit, securim, cui tota exciderat acies, gestans. Qua visa, rex: suspicatus sum, dura esse ossa capitis senis istius: cui, quæso, usui tibi fuisset securis illa tenui acie? nam hæc mihi inutilis facta videtur. Post hæc rex Magnus beneficia et præfecturam in Halogia Asmundo dedit; atque multæ et memoratu dignæ narrationes exstant de rebus, quæ Asmundum et filios Hareki intercesserunt.

Cap. 17. Rex Magnus magnam auctoritatem et gratiam civium sibi conciliavit, prius robore et prudenti administratione, quam annis maturus. Erat forma excellenti, bonis amicorum consiliis obtemperabat, malorum vero hominum calumnias surdis auribus accipiebat. Illi vero, qui regem Olavum Sanctum comitati fuerant, Thrandos aliosque cives, qui ei fuerant adversati, tanto in odio habuerunt, ut rex vulgo humiliter sentire existimaretur, quod horum nonnullos consiliis adhiberet, ut Kalvum Arnii filium. Quorum homi-

[1]) In textu *hneftafl*, ludi genus mihi ignotum.

num hortationibus factum est, ut rex Kalvo aliisque, qui patrem vita regnoque spoliandi principes fuerant, minus familiariter uti cœperit.

Cap. 18. Thorgrimus Hallii filius nomen erat viro Islando. Hic, pecunia dives et gratia florens, Brunastadis in Fljotis habitavit; idem aulicus fuerat regis Olavi Sancti, eximiaque ab eo munera acceperat. Æstate quadam dimidiam navem a Norvegis mercatoribus emit, cujus alteram dimidiam partem duo Islandi, filii Halbjörnis Skevilis e Laxardalo, quorum alteri nomen erat Bjarnius, alteri Thordus, possederunt; quo facto Thorgrimus se ad peregre proficiscendum parat, cum[1] filio Illugio et duobus comitibus, Galtio, viro ingentis staturæ ac virium, et Kolgrimo, exiguæ staturæ, at vegeto. Acciderat præcedente hieme, jejunio quatuor temporum ante festum Jolense, ut Thorgrimus, negotia sua curaturus, cum uxore ac liberis domo profectus esset. Hi in itinere tanta nivosæ tempestatis vi obruti sunt, ut filius Thorgrimi, nomine Asbjörn, vehementia tempestatis ad necem affligeretur; ipse vero Thorgrimus tanto studio suis auxilium ferre adnisus est, ut morti proximus sensusque expers sub dio inventus sit. Unde domum quandam relatus calidoque lacte recreatus est. Jam eo res venerat, ut ante dictum est, ut proxima æstate navem pararent, paratamque pelago committerent. Bjarnius ac Thordus Thorgrimum carminibus cavillati sunt; quod ille se scire dissimulavit. Secundis usi ventis in Thrandheimum appulerunt. Rex Magnus Bonus, qui regnum Norvegiæ tunc administravit, eo tempore in Dania versabatur. Kalvus Arnii filius, qui absente

[1]) H. l. altera pagina Cod. *A* incipit, prima pagina omnem lectionem refugiente, unde præcedentia ex cod. membr. *H* desumta sunt.

rege summam auctoritatem in provincia Thrandheimensi exercebat, in emporio constitutus, Islandos ad se invitavit; apud quem Bjarnius ac Thordus, nec non Thorgrimus cum suis hiemem transegerunt. Kalvus Thorgrimo sedem contra se, Bjarnio vero et fratri ejus juxta se designavit.

Cap. 19. Hac hieme Thorgrimus pauca loquebatur, vultuque ægritudinem præferebat, superiori tempore et gratia regis Olavi Sancti sæpius in memoriam recurrentibus; fratres autem clamosi et compluribus de rebus multiloqui erant: Kalvum magnopere laudabant, Thorgrimo iniqui erant, eumque obtrectabant. Hi aliquando cum Kalvo collocuti, ita dixerunt: sensistine, Kalve, Thorgrimum tibi minime ex animo favere, omnique studio ad regem Olavum inclinari, nos contra concessum hibernum hospitium condigne accipere? Kalvus: sensi, Thorgrimum mihi minime amicum esse. Bjarnius: composui de te carmen, cujus recitandi veniam consequi velim. Kalvus: carmini tuo, poëta, aures præbebo, eleganter enim compositum esse oportet. Bjarnius hoc carmen coram frequenti multitudine recitavit; in quo carmine prælii Stiklastadis commissi frequens mentio facta, resque ibi gestæ in laudem Kalvi commemoratæ. Recitato carmine, Thorgrimus: mirum facis, Kalve, vir tantæ prudentiæ, qui honori tibi ducas, scelera tua atque nefanda flagitia, contra regem Olavum insurgentis, ab aliis carmine celebrari. Cui Bjarnius: tace, scelus! simulatum morbum in Islandia jejunio quatuor temporum mentitus es, usque eo donec lac faucibus tuis infusum est. Thorgrimus e cubiculo egressus, eo, ubi dormire solebat, concessit, dicens: indignum est, ista audire, convicia in regem Olavum, probra in me;

age, Illugi, ingredere et Bjarnium occide! Cui adolescens: non audeo, quo nunc loco constituti sumus. Tunc Thorgrimus, irrumpens in cubiculum, Bjarnium mortifero vulnere sauciavit. Thordus, frater ejus, ad arma volavit, ceteris intercurrentibus. Kalvus iussit: hoc malum facinus est, quo etsi neque honori nostro neque hospiti parsum sit, tamen hæc tota res secundum leges agetur. Dein comitia indixit, omnesque adesse sine armis jussit. Galtius robustus, comes Thorgrimi, arrepta securi lignaria atque inter vestes occultata, ad comitia se contulit. Constitutis comitiis, Thorgrimus corona virorum circumdatus est. Tum Kalvus: quamnam satisfactionem offers, Thorgrime? Ille: omnem causam regis sententiæ subjicio. Kalvus: rex jam longinquius abest, quam ut hanc causam judicare possit. Novi, ait Thorgrimus, te cupere hanc causam tuo judicio committi, quod ego pernego; et plane video, quo spectes, nempe meam cum rege Olavo amicitiam mihi crimini vertis. Hoc verum non est, ait Kalvus, sed tamen causa nunc dijudicabitur, nisi Thordus aliud pacisci velit. Thordus se ullas ab eo oblatas conditiones accepturum negavit. Kalvus: itaque eum criminis reum judicate et condemnate! Quod auctoritate regiorum præfectorum factum est, ob cædem Bjarnii. Tum Thorgrimus: nunc res, ut opinatus eram, cecidit; et tu, Kalve, jam providisse tibi videris, ne qua satisfactione cædes mea expietur, quod tamen quominus fiat, haud facile caveris, si modo aliqui auxiliatores se dabunt. Mox Thordus accurrens necem ei attulit. Tum Kolgrimus Parvus, comes Thorgrimi: ulciscere eum, Galti! tu securim habes. Ille se non audere dixit. Quod tibi male vertat! ait Kolgrimus, tu haud mediocris ignaviæ es, quæ tibi est

corporis ac virium magnitudo, qui nullum animum in pectore habeas; atque da mihi securim. At neque hoc facere audeo, inquit ille. Kolgrimus, „itaque faxo, ut neque eam retinere audeas" dicens, eripit ei securim, atque tergum Thordi ingenti ictu percutit, quæ plaga mortifera erat. Tum comprehensum Kolgrimum Kalvus ferreis compedibus custodiri jussit, nolens eum interfici, priusquam cognitum esset, an Thordus revalesceret. Sed eodem temporis momento, quo rex Magnus e Dania reversus in Thrandheimum pervenit, Thordus vulnere, quod ei Kolgrimus inflixerat, mortuus est.

Cap. 20. Kalvus regi convivium apparaverat. Rex Magnus, antequam adiit convivium, aliquam famam de his cædibus acceperat. Kolgrimus compede vinctus in vestibulo sedens regem ingredientem compellavit: audax tibi, domine, forte videbor, qui vinctus opem tuam imploro, eam maxime causam afferens, quod carmen de rege Olavo Sancto, patre tuo, composui. Rex subsistens: fuisti cum Thorgrimo Hallii filio? Fui, domine, inquit. Rex: an necem ejus ultus es? Kolgrimus: tentavi quidem, inquit, sed tanti viri manibus nimis parce parentatum esse existimo, ego enim loco iniquiori, quam qui adversum erant, steti. Fieri potest, ait rex; laxate compedes ejus, ut cubiculum intrare possit. Ingressum rex jussit carmen recitare: ille sic fecit, et carmen audacter pronuntiavit. Sub finem carminis nonnihil tetigit causam, cur Thorgrimus interfectus fuisset, totiusque rei mentionem fecit. Unius strophæ versus sic erant:

Rectoris populi auxilio indigeo;
dimidium potestatis Kalvus habet.

Tum rex: pro re non iniqua petis, poëta. Perducto ad finem carmine, idem: hoc primum erit

carminis præmium, Kolgrime! quod te liberum esse jubeo; et verum est, Kalve, te neque cognatis meis neque mihi fidelem esse velle: quamvis autem Thorgrimum reum criminis judicari atque condemnari jusseris, tamen cædem ejus multa expiari jubeo, perinde ac si insons occisus fuerit; quam multam Illugius de ea pecunia sumat, quæ Bjarnio ac Thordo fuit; tu vero, Kolgrime, hanc pecuniam curato, donec Illugius in Islandiam pervenerit, tibi autem pro strenuitate tua dimidiam partem ejus navis, quæ dimidia Illugio est, donabo. Kolgrimus respondit: nunc, domine, uti semper, summam liberalitatem ostendisti. Quæ autem perficere teneor, non tacenda sunt; quippe votum feci religiosæ peregrinationis, qua mihi profecto defungendum est. Kolgrimus Romam profectus est, Illugio interea sub cura regis in Norvegia remanente; reversus vero, navem, quæ utrisque erat, in Islandiam trajecturam paravit, qua parata in altum vela dederunt et in ostium Kolbeinsaæ appulerunt. Illugius Brunastadis rei familiari operam daturus, sedem fixit, partemque navis, quæ ei fuerat, Kolgrimo vendidit, qui inter Islandiam aliasque terras commeans, optimæ notæ mercator habitus est.

Cap. 21. Paulo post rex Magnus Högi in Veradalo convivio interfuit unacum Einare nutritore et Kalvo Arnii filio; et aliquo die rex Einari: hodie Stiklastados equitemus, rerum ibi gestarum monumenta visuri. Einar: his de rebus parum, domine, referre habeo, non enim præsens adfui: jube Kalvum tecum equitare, is de his rebus exacte referre poterit. Tum rex Kalvo: mecum Stiklastados equitato, mihique de rebus ibi gestis accurate exponito. Cui Kalvus: esto, si lubet, domine; at mihi hoc facere necessum non esse duco; nimium quam animo hæret ista-

rum rerum memoria, quamvis nova mentione non refricetur; atque magis tibi expediverit, fiduciam amicorum retinere, qui, uti decet, fidem et officium erga te perfecte colunt, quam eorum animos irritare. Rex locutus est: tu vero ito, Kalve. Tum Kalvus ei, qui sibi a calceis erat, loquitur: quam citissime Eggjam propera, meosque jube navem longam, quæ mihi est, tanta celeritate instruere, ut hac vespera omnia vasa in navem comportata habeant. Ubi vero rex Magnus cum suis Stiklastados pervenit, quó loco prælium commissum fuerat, rex Kalvo: quo loco cecidit rex Olavus, pater meus? Kalvus, protenso hastili: ibi jacuit. Rex quæsivit: ubi tunc fuisti? Kalvus: hic, ubi nunc sto. Rex: itaque securis tua ad eum pertinere potuit; quæ dicenti regi facies valde rubuit. Haudquaquam mea securis ad eum pertinuit, ait Kalvus; atque in equum insiliit et et avectus est, rege cum suis Högum revertente. Kalvus domum Eggjam revectus, extemplo navem omnibus rebus paratam conscendit et per sinum enavigavit, indeque oceanum transvectus Orcadas attigit, ex quo tempore ille ac rex Magnus nunquam alteri alteros conspexerunt.

Cap. 22. Post hæc rex severitatem in Thrandos exercere cœpit, ut quidam illustres viri ob tyrannidem ejus e regno aufugerent, alii pecuniis multarentur. Quæ ægre ferentes coloni, frequentes conventus inter se agere, dicentes: annon rex iste modum servare noverit in imponendis oneribus et severitate erga homines? annon meminerit, Thrandos minoribus de causis, quam violandis legibus, ab Hakone Bono datis, ingentia ausos? Scilicet fortuna patris utetur, si hæc facere non desinet, nisi plane degeneraverimus a majoribus nostris, qui non passi sunt leges ab regibus ita violari; inaudita enim exempla rem-

publicam invasere, quod Thrandi iniquiori jure utantur, quam ceteri cives. Thrandheimica provincia diu appellata fuit caput Norvegiæ, nunc vero hæ regiones pro hostili terra habentur. Thrandi olim principes ceterorum civium existimati fuere, nunc servi regiorum subditorum facti sunt in ipsorum patria. Intererant huic conventui aliquot ex regis amicis, qui in colloquium congressi, ad unum censuerunt, incertum esse, an Thrandi rem passuri forent otiosi, si rex in ista severitate perseveraret; necessum esse rati, regem de hoc fremitu Thrandorum quam primum certiorem fieri. Quæ cum regi aperire auderet nemo, unusque ad alterum hoc negotium rejiceret, tandem sortiri placuit, quis rem referret, consilioque factum est, ut res ad regem deferenda Sigvato poëtæ sorte obtingeret; qui tunc apud regem Magnum magno in honore fuit, ejusque ministeriis addictus. Tum Sigvatus carmen composuit, dictum Parrhesiæ; cujus carminis principio, oratione ad regem Olavum versa, ejus strenuitatem et res præclare gestas commemorat, his verbis usus:

Fui cum rege, qui aurum
donavit, per totam ejus ætatem;
is viris, domino fidis, arma,
corvisque prædam suppeditavit.
Vidi satellites gladiis cadere;
strenuo lupo, acri prædito
visu, multam prædam dedit[1].

---

[1]) Ordo: *Ek var með gram, þeims bauð goll, þess konúngs æfi; hann fèkk drottinhollum gumnum vápn a), en hröfnum hræ. Ek sá verðúng b) falla sverðum: konúngs son gaf fullkerskum c) fráneygjum gránum vargi margan val.*

a) *nafn*, *F*, hoc ordine: *Ek var með gram, þeims bauð drottinhollum gumnum goll, en hröfnum hræ; hann fèkk nafn þess konúngs æfi*, i. e. is celebre nomen suæ ætati (suo im-

Testatur quoque Sigvatus, se cum rege Olavo præliis interfuisse:

Patrem tuum, rex, liberalem, qui
meam operam magni fecit,
fideliter comitatus sum. Nunc
cives læti pace fruuntur.
Non vacuus erat locus, quem
gladio cinctus tenui in ejus
cohorte media: proceris arboribus
in colle sitis frutex interserendus est[1].

Idem porro cecinit:

Tuus, Magne, pater, magno
præditus animo, cum copiis
suis aciem pervasit hostium,
ubi cohortes præliabantur.
Olavus regnum a majoribus
possessum tam strenue defendit,
ut animosa corda palpitarent:
adeo fortem ille se præbuit[2].

perio) conciliavit. *b*) *verðund*, *F.* *c*) *fullkeskum*, id., *H*; *fullköskum*, id., *F.*

[1]) Ordo: *Gramr a*), *ek fylgða vel fèmildum feðr þínum, þeim er vildi mína fylgju: nú eru þegnar fegnir frið b). Var-at hlið, þar er ek stóð með hjärvi í c) miðjum flokki hans: þjokkva d) skal e) hræsinn f) við g) á h) hal með hrísi i).*

a) *gram* (dat.), *F.* *b*) *friðar* (gen.), *F.* *c*) omitt. *H.* *d*) Sic conjeci; *þjokkra, A; þokka, F, H.* *e*) *ek*, add. *H.* *f*) *þræsinn*, invito metro, *F.* *g*) *vel, H.* *h*) *þar, H.* *i*) Sensus est: non spernendi tenuiores, nam etiam hi aliquam operam præstare possunt.

[2]) Ordo: *Faðir þinn, Magnús, gekk liði sínu við a) mikla móðinn allt í gegnum ferð, þar er b) flokkar c) börðust. Ólafr varði hart jöfra erfðir d) en hugfull hjörtu skullu e) við þat f): (hann) rèð g) at hverfa svá fram.*

a) *með*, eod. sensu, *F.* *b*) omitt. *H.* *c*) *flotnar*, milites, *F*; *Fjónar*, (forte) viri, *H.* *d*) *erfviðr*, difficilis, strenuus, *F*; minus apte h. l. *e*) *sýslu, F*, advers. metro. *f*) *því, H.* *g*) *lèt, F.*

Deinde Sigvatus orationem ad superiores principes convertit, qui leges civibus datas religiose custodiverant, atque ob id gratiam populi sibi conciliaverant:

Hakon, qui Fitis cecidit,
cum in cives facilis vulgo
haberetur et hostiles rapinas
puniret, a civibus amatus est.
Postea semper populus leges
Adalsteinis alumni, perquam affabilis,
constanter observavit. Nondum coloni
hujus memoriam deposuerunt[1].

Præterea memorat, populum eam ob causam utrumque Olavum promto animo reges creasse, quod hi colonos, quamdiu leges ab iis positas observarent, passi sint possessiones suas liberas et securas retinere. Qua de re sic verba facit:

Ego colonos recte censeo elegisse
Olavos, quod hi possessiones
civium, nec non dynastarum,
securas esse jusserunt.
Probus ille Haraldi hæres et
Tryggvii filius, cognomines, jusserunt
manere eximias illas leges,
quas subditi ab iis acceperant[2].

---

[1]) Ordo: *Hákon, sá er fèll á Fitjum, hèt fjölgegn ok rèð hegna heiptar rán, en firar unnu a) hánum. Síðan hèlt þjóð fast á lögum fjölbliðs b) Aðalsteins fóstra; búendr c) eru enn seinir d) af því minni e).*

a) Sic Fornm. S. 5, cap. 244; *undu, A*; *undar, F.* *b*) *fjöldrif, F*; obscure, et contra metr. *c*) *bændr*, id., *F, H.* *d*) *seinni* (compar.), *F.* *e*) *inni, F.*

[2]) Ordo: *Ek hygg karlfólk knáttu kjósa rètt, af því at Ólafar a) gáfu frið eignam lofða ok svá jarla b). Hvardyggr c) arfi Haralds ok sonr d) Tryggva lèt þau laukjöfn e) lög haldast, er lýðar þágu at þeim nöfnum.*

a) *Ólafi, F.* *b*) *jarlar, Hkr.* *c*) *hvarfdyggr, F,* insolenter. *d*) *son*, id., *F, H.* *e*) *logjöfn ok, F.*

In hoc carmine memorat Sigvatus, quantopere universi cives primo Magni in Norvegiam adventu lætati sint, sperantes, si regnum capesseret, fore ut a jugo servili, quod aliquanto tempore sub Sveine rege et Alfiva perpessi fuerant, liberarentur. Qua de re sic:

Tecum, rex juvenis, fui eo
autumno, quo ab oriente venisti;
potes, rex, solus totum regnum
defendere: ea fama circumfertur.
Incolæ regni se putaverunt
cœlum serenum attigisse digitis,
quando, orte regibus, in vivis
fuisti atque imperium poposcisti[1].

Deinde Sigvatus in eodem poëmate commemorat, se olim cum rege Olavo versatum, de dolis adversus eum structis certiorem factum, hos regi aperuisse:

Patrem Magni certiorem feci
de occultis, quibus circumveniebatur,
adversariorum dictis, quæ
auribus nostris percepimus.
Ego ei cuncta negotia sincero
animo aperui, quamvis inde
mihi periculum metuerem; nam
fidem domino datam fallere nolui[2].

---

[1]) Ordo: *Úngr a) þengill! [ek var b) með þèr þat haust, er komt austan; máttu, stillir, einn c) hegua alla jörð: svá fregnist d). Lofðúngs burr! landfólk þóttist e) þá f) hafa tekit höndum heiðan g) himin, er lifðir ok h) krafðir landa.*

a) omitt. *F.* *b*) *vorum,* fuimus, *F.* *c*) *úngr*, juvenis, *F*, refer. ad *stillir.* *d*) *fregnar, F* *e*) Sic *H; þóttust* (3. plur.), *F; þóttumst* (1. plur.), *A.* *f*) omitt. *F.* *g*) *heiðar, F.* *h*) *er, H.* *i*) *krafði* (3. sing.), *F.*

[2]) Ordo: *Ek lèt föðr Magnúss fregna, hve fólgin orð jöfurs a) dólga b) þau er or c) eyru heyrðu, fóru á svik. Ek*

Hinc regem ejusque consiliarios orat, ne sibi irascantur libere loquenti, sermonesque colonorum aperienti, jactantium, videri sibi regem, quas primo regnum adiens iis pollicitus sit leges, non servare. Ille sic:

Ne consiliarii tui, o rex,
irascantur libere loquenti!
hæc enim dicta viam muniunt
ad tuam, domine princeps, gloriam.
Coloni (nisi populus mendacium
dicat) confirmant, se aliis pejoribus
legibus uti, quam quas olim
dedisti civibus in Ulvasundis[1].

Monet regem, ut cautionem adhibeat adversus minas, ab colonis jactatas, si in sævitia et severitate perseveret: decere enim eum promissis stare, pacemque servare, quam civibus pollicitus sit, neque rapinas et populationes exercere, quamvis ab infestis hominibus instigatum. Ille sic dicit:

Oppressor furum, cautionem adhibe
contra incertum hominum
rumorem, qui hic nunc volitat;
manus justo modo amputanda.
Amicus tibi sum, et te moneo.
Tu vero qui exhilaras alitem,
calidorum vulnerum fonte gaudentem,
rusticorum postulatis aures præbeas[2].

---

bar hvert mál af heilum hug, þvíat brugðumst eigi ossum d) lánardrottni: ek vissa þó e) ótta f).

a) jöfur son, regis fili! *H.* *b) bólga, F*; prave, ut puto. *c) ör*, id., *F, H.* *d) ossa, F.* *e) þá*, tunc, *F.* *f) ótt á, H.*

[1]) Ordo: *Ráðgjafar yðrir a), konúngr, skulut reiðast við bersögli; þat b) orð ryðr til dýrðar drottins, döglíngr. Búendr kveðast hafa önnur verri lög, enn þú hèzt mönnum endr í Úlfa c) sundum, nema landherr ljúgi.*

a) yðvar, id., *H.* *b) því at, F, H.* *c) Úlba*, id., *F.*

[2]) Ordo: *Veltir þjófs a), gjalltu varhuga b) við þeim hölda*

Quis te hortatur, administrator prælii,
ut subditorum pecora mactes?
nimium sibi sumit rex, quicunque
hoc intra fines regni facere audeat.
Nemo antea tale consilium
juveni principi dedit. Tuos
rex, subditos rapinarum pertæsos
esse credo. Indignatur multitudo[1].

Atque porro cecinit:

Periculosum est, quod omnes cani
senes regi se opponere statuerunt,
quemadmodum audivi; cui rei
aliquo consilio occurrere debes.
Perquam formidolosum, quod
comitiales capita conferunt,
et nasos in pallia demittunt;
silentium præclusit vocem civium[2].

---

kvitt, er nú ferr hèðra; hönd skal of-stytta í hófi. Ek em c) vinr, býðk vörnuð: en hlýðið til, teiti varmra d) benja e) tár-mútaris f), hvat búmenn vilja.

a) Sic Fornm. S. 5. c. 244; *þjóf*, h. l. omnes. b) *varöga*, id., *F.* c) omitt. *H.* d) Sic *F*; *varma*, *A*, cet. e) Sic *F*, *H*; *bemja*, *A*, prave. f) *múteris*, id., *F*; *materis*, *H*, minus recte.

1) Ordo: *Hjaldr-gegnir a), hverr eggjar þik höggva bú þegna? jöfri b) er of-rausn, at vinna þat innanlands. Aungr c) hafði áðr ráðit svá úngum bragníngi. Ek hygg rán leiðast þínum rekkum, konúngr. Herr er reiðr.*

a) Sic Fornm. S. l. c.; *gegna*, bellicosos, ut referatur ad *bú-þegna* (una voce), colonos; sed obstare videtur sequ. semistropha, ubi tantum de rapinis sermo est. b) *ræsi*, id., *F.* c) *úngr*, *F*, prave.

2) Ordo: *þat er hætt, er allir hárir a) menn ætla á móti skjöldúngi, er ek heyri; áðr skalt b) ráða hót við því. Heldr greypt, er c) þíngmenn hnepta d) höfðum ok stínga nösum niðr í feldi; slegit hefir þögn á e) þegna.*

a) *Haralds*, *F*; *hárr*, *H*; utrumque minus recte. b) *skaltu*, id., *F*; *skal*, occurrendum est, *H.* c) *þat er*, id quod, add.

Quis te hortatur, princeps,
in expetenda vindicta severe,
qui sæpe tenues enses rubefacis,
ut datam a te fidem migres?
Virorum rex, fidem semel datam
constanter servare debet.
Victoriis præclare, bellicose princeps,
te minime decet violare promissa[1].

Sigvatus significat, hunc esse omnium hominum sermonem, incertum esse, si talia facere pergat, an imperium retinere queat, his verbis usus:

Hoc uno ore omnes conqueruntur:
meus dominus fundos avitos
subditorum suæ possessioni adserit;
exasperantur illustres coloni.
Colonus odiosas rapinas ea ratione
cohibebit, si in temere latam
sententiam inclyti regis
suam iram effundit[2].

F, H; tum illud er valet „est." *d*) *hneypta*, id., *H.* *e*) *yfir*, eod. sensu, *F.*

[1]) Ordo: *Heiptarstrángr harri, hverr eggjar þik at gánga á bak málum? (þú) rýðr a) opt þunn stál b) þýðum c) þegnum d). þengill firða skyli vera fastorðr. Feugsæll hjaldrmagnaðr! þér* e) *hæfir aldri at rjúfa heit.*

a) *reynir*, experiris, *Hkr.* *b*) *sta, A*, prave. *c*) *þinum, F, Hkr.*, refer. ad *málum.* *d*) *þú, Hkr.* *e*) omitt. *F.*

[2]) Ordo: *Eitt er mál, þat mæla: minn drottinn lèt a) sína eign á óðal þegna b); göfgir búendr öfgast c). Seggr mun dvelja d) fulleið* e) *rán fráus f) konúngs g) í því, ef h) selr út sína reiði i) at fellidómi.*

a) *leggr*, eod. sensu, *Hkr.* *b*) Sic *F, Hkr.*; *þinu, A, H.* *c*) Sic *F*; *öflgast*, vires colligunt, *A.* *d*) *telja*, dicet, *Hkr.* *e*) *fulleiðr* (masc.), *F*; *föðrleifð*, *Hkr.* *f*) malui *fraus*; *fárs, F*; *flaums, Hkr.* *g*) *konúngr, F.* *h*) *er*, cum, *Hkr.* *i*) *greifum, F.*

Sequentia addunt *B, F:*

Idem porro cecinit:

Rex Magnus his Sigvati admonitionibus animum advertit, existentibus multis viris excellentibus ac benevolis, qui hæc salutaria consilia auctori-

Olavi filio felicem rerum conversionem
precor: quæ enim nos intercedunt, omnia
tam sancta sunt; negotium cunctatoris
ad seram vesperam differri ajunt.
Sumus, o Magne, in te conniventes.
Tecum, rex gratiose, perpetuo
vivere velim et mori. Tu
Haraldi regnum gladio defendis[1].

Deinde exponit, quanto se honore affecerit rex Ólavus, dum apud eum versatus sit:

Olavus, regiis clarus facinoribus,
me annulis cohonestatum dedit;
copia rerum pretiosarum Crasso
illi regi sufficiens erat.
Hujus principis aurum perpetuo
per totam ætatem in utraque
manu gestavi; raro molesta mihi
fuere munia militaria[2].

Idem sequentia addidit:

Animus Sigvato est, in aulam
Hördaknuti, quem convenit,
se conferre, nisi liberalis rex
Magnus poëtam bene excipiat.
Cum utriusque horum patribus
Versatus sum, id temporis omnino
imberbis; mihi enim lingva
adolescenti aurum comparavit[3].

[1]) Ordo: *Ek bið syni Ólafs snúðar a) mála b); meðal okkar er c) allt svá háligt d); kveða óframs sök biða sið aptans. Magnús, vèr erum vegnir. Ek vilda ei e) lifa ok f) deya með þèr g) mildum: þú varðar hjörfi hauðr h) Haralds.*

a) Sic *Hkr.*; *segja, B, F.* *b*) Sic *Hkr.*; *máli, B, F.* *c*) add. *Hkr.* *d*) Sic *Hkr.*; *hagligt, B, F.* e) *æ*, id., *Hkr.* *f*) Sic *Hkr.*; *at, B, F.* *g*) add. *Hkr.* *h*) Sic conjeci; *heyk, B, F, Hkr.*; *hauc*, var. l. *Hkr.*; sed verbum *varða* in servandi aut

tate sua confirmarent, regique in memoriam revocarent, primo statim tempore, cum rex creatus fuisset, omnibus pacem et securitatem concessisse; orantes, ut data civibus promissa, legesque, a patre, Olavo rege, positas servaret. Hinc factum est, cum rex esset prudens, in amicos benevolos facilis, ingeniique moderati, ut has admonitiones et salutaria consilia æqui bonique consuleret. Mox frequens concilium colonorum edixit, in quo concilio primo quidem eos, qui gravissimis criminibus impliciti videbantur, asperis verbis compellavit, iniquiores pœnas colonis minitans. Tum colonorum quidam, nomine Atlius, in comitiis surgens, in hæc verba erupit: indurescens calceus adeo mihi pedem urit, ut nusquam proferre pedem queam. Quo dicto residens plura non locutus est. Quæ dicta regis ac consiliariorum animos in se converterunt. Hujus diei comitia ita exiere, ut rex omnes in posterum diem convenire juberet. Insequenti die positis comitiis rex hilari vultu apparuit: surrexit et cives multo quam pridie mitioribus verbis allocutus est; senseruntque omnes, animum regis divina ope ita esse immutatum, ut iniquam acerbitatem in clementiam erga colonos verteret, et omnibus civibus pacem, dignos honores et pri-

---

defendendi notione cum dativo rei positum non invenio; *hauðr Haralds*, terra Har. (Pulcricomi), i. e. Norvegia.

[2]) Ordo: *Ólafr, órýr jöfra dýrða, lèt mik framast með hríngum: þíng ens digra drottins urðu drjúg. Ek bar gull flotna sendis jafnt um allan aldr á hvorutveggju hendi, ok herverk (voru) sjaldan hrygg.*

[3]) Ordo: *Hugir Sigvats* (eru) *í garði Hörðaknúts, er hittig, nema mildr Magnús konúngr fagni mjök vel skáldi. Ek fór með feðrum beggja þeirra, var ek þá enn með öllu óskeggjaðr; túnga fèkk a) mèr úngum b) gulls.*

a) *ek*, add. *B, F*; ego omisi. *b*) Conjeci pro *úngan, B, F.*

vilegia polliceretur; quam fidem satis superque præstitit, unde apud proceres et plebem tantam iniit gratiam, ut ab eo inde tempore Bonus appellaretur.

Cap. 23. Rex Magnus Rögnvaldo Brusii filio titulum dynastæ dedit, eumque in Orcadas in dynastiam misit, dato quantum opus esset copiarum ac navium. Ille in insulis considens, imperium, duas partes Orcadum et Hjaltlandiæ, aliquantum temporis quietum habuit, donec Thorfinnus dynasta, patruus ejus, provincias ei ab rege Magno concessas postulavit. Inde dissidia et bella inter cognatos orta, quemadmodum in historiis dynastarum commemoratum est; tandem Rögnvaldus dynasta, ab Thorfinno dynasta vi pulsus, ex insulis in Norvegiam profugit ad regem Magnum, qui eum iterum navibus adjuvit, manumque ex aulicis lectissimam dedit. Dedit et literas sigillo munitas ad Kalvum Arnii filium, qui, postquam ex Norvegia profugerat, in occidente apud Thorfinnum dynastam, affinem suum, versatus fuerat: duxerat hic in matrimonium Ingibjargam, dynastarum genitricem, filiam Finni Arnii filii. Quarum literarum argumentum erat, Kalvum omnes possessiones suas in Norvegia recuperaturum, regisque Magni amicitiam promeriturum fore, si Rögnvaldo dynastæ in bello, quod inter eum et Thorfinnum dynastam erat, auxilium ferre vellet. His vero cognitis literis, Kalvus, oblatis conditionibus parum motus, in hunc modum respondit: admodum incertum esse opinor, inquit, quam constans animi rex Magnus sit: etenim olim, cum omnibus rebus ejus gratiam mereri studui, obtrectatum est mihi, ut ex Norvegia profugerem, saluti consulens. Rögnvaldus dynasta locutus est: haud dubie audivisti, regem omnibus civibus jam ignovisse grave illud

crimen, quo potissimum in se delictum esse existimavit, et nunc cujusvis hominis gratiam sibi peperisse; quocirca dubitari non potest, te magnos honores ab rege adepturum, si in ejus congressum veneris; est enim in omnibus bonis promissis constans. Quæ dicta Kalvus vento dedit. Ubi vero Thorfinnus dynasta accepit, Rögnvaldum dynastam in insulas advenisse, magna collecta manu, obviam ei movit. Congressi loco, dicto Rödahjargis, prælium commiserunt, ubi cum Rögnvaldo dynastæ plus faveret fortuna, tandem Kalvus, hortationibus et precibus Thorfinni dynastæ permotus, sex aut septem justas naves ei auxilio misit; quo facto Thorfinnus superior discessit; res vero dynastas intercedentes ita gestæ sunt, ut in ipsorum historiâ relatum est. Hoc confecto prælio Kalvus Arnii filius populationes exercere cœpit et piraticam in regnis occidentalibus fecit.

Cap. 24. Sed illuc revertendum. Æstate quadam rex Magnus naves et copias paravit, ex Thrandheimo profecturus. Primo austrum versus litora prætervectus est, ut Arnor dynastarum poëta[1] testatur:

> Deinde accidit, ut rex magnam classem
> austrum versus secundum litora duceret;
> tunc navi facultas currendi data.
> Bisons a septemtrione lapsus est.
> Præcepit rex, ut galeæ Pictavicæ ad quodque
> interscalmium conferrentur: metum
> incussit amictus Gjukiæ gentis: navis
> Russico ære conspicua apparuit[2].

---

[1]) Sic dictus, quod dynastas Orcadenses, Rögnvaldum et Thorfinnum, carminibus laudaverat, Edd. Snorr. p. 174, al. loc.

[2]) Ordo: *Síðan [var þat, er a) siklingr ýtti miklum flota suðr með láði b): þú var skorðu skiði of-auðit skriðar: vísundr rendi norðan. Bað Peitu c) hjálma samnast til hverrar hömlu:*

Rex Magnus, cursu continuato, in Daniam navigavit. Sic Arnor:

> Celsa puppis spumea maris aspergine
> fœdata est; rutilum aurum supra
> navis rectorem micabat; vehementer
> ventus abietem ruentem inclinabat.
> Rex firmas proras a borea ducens
> Stavangriam prætervectus est, recedentibus
> gurgitibus; apices navis, igni similes,
> in Danorum regno sublimes fulgebant[1].

Rex Magnus classem ad Limafjördum constituit. Cujus adventu cognito, Knutus Hördensis cum optimis principibus et aulicis obviam progressus, eum ad convivium cum suis omnibus invitavit, quod ille comiter accepit. Tum omnes una equitarunt, lætitia gestientes. Aulam regis Daniæ adpropinquantibus occurrunt progressi ex urbe varii fidicines maxima cum oblectatione. Rex Danorum Magnum regem summo honore et benignitate accepit; cumque venissent ad aulam,

---

menn hræðast við klæði Gjúka d) ættar; eiki þótti göfugt gerzkum e) málmi.

a) *vann þá, F.* b) *landi, F, H,* eod. sensu. c) *pètu,* id., *F.* d) i. e. armatura; *gjúku, F.* e) *girzkum, F.*

[1]) Ordo: *Ljótu a) lavdri b) varp c) utan á lypting; gullit rauða bifðist d) of e) skeiðar stýri f); fýris ángr g) hneigði fastliga h) geystri i) furu. Hèlt k) stirðum stálum norðan fyrir l) Stafángr, álar bifðust fyrir m); typpi elmars n), glík o) eldi, glóðu uppi í Danaveldi.* Vide *Hkr.* Tom. 3. p. 25, *Nord. g. Digtek.* p. 44.

a) *ljótir, H,* prave. b) *lavðir, H,* prave. c) *dreif, Hk.,* sensu eod. d) *bifðust* (plur.), *H.* e) Sic *Hkr.*; *ok, A.* f) *stýra, F,* qs. a *stýri,* m. g) *garmr,* canis, eod. sensu, *Hk.* h) Sic *F, H*; *fastligr, A, Hk.,* refer. ad *garmr.* i) *glæstri,* splendidam, *Hk.* k) *hèltu* (2 pers.), *F, Hk.* l) *um,* id., *Hk.* m) Sic *Hkr.*; *fýri, A*; *fýris, F.* n) *elmás,* eod. sensu, *F, H.* o) *glíkt,* eod. sensu, *F.*

rex Knutus infit: tu, domine rex Magne, prior introëas, tibique omne officium et honor priori præstabitur. Cui rex Magnus: ego, qua ratione hæc res fieri debeat, pervideo; quando in Norvegia versor, tuque me convenis, ego antecedam et omni in officio anteponar; nunc autem, cum in Daniam venerim, tu antecedas, superiori loco sedeas, prior bibas, omni in officio et honore mihi anteponendus; nam utriusque populus suum regem maximo amore complectetur. Rex Knutus rem ejus arbitrio permisit. Dein ingressi sunt, Knuto rege in solio considente, rege Norvegico juxta illum ab exteriori parte adsidente. Mox Alfiva aulam ingressa regem Magnum comiter salutavit, cui se omnem honorem præstare velle testata est; splendidum cornu, eximie ornatum, ei infudit, bibere jubens. Cui rex Magnus: prius regi Knuto infundendum, omneque præstandum officium. Tum Alfiva Knuto Hördensi cornu tradidit, quod ille ebibit, projectoque cornu: non debuerat, inquit. Plura loqui non potuit, atque ad necem exclamavit. Tum apparuit, quam fraudem Alfiva regi Magno cogitaverat. Rex Magnus extemplo ab convivio abscessit et ad naves redire paravit. Ante vero quam egrederetur, surgens verba fecit: Deum et regem Olavum Sanctum testor, me proxima vice, cum in Daniam veniam, totum imperium Daniæ subacturum, aut alioquin occubiturum. Quod memorat Arnor dynastarum poëta:

Facundia, quam princeps nactus est,
mature insignis evasit;
dicta regis, lupum esca
delectantis, effectus sequebatur.
Rex enim se velle dixit, aut
Dania potiri, aut properæ morti
destinatum, sævo in strepitu

clypei, ungvibus corvi succumbere[1].
Quibus dictis rex Magnus in Norvegiam rediit, atque ibi hiemem transegit.

Cap. 25. Hoc eventum, obitus Knuti Hördensis, accidit sexto anno imperii Magni regis. Duobus ante annis in Anglia obierat Haraldus, frater ejus, qui patre Knuto Potente mortuo imperium Angliæ adierat; tumque Knutus Hördensis, mortuo Haraldo, in imperium Angliæ successit, et duos per annos et huic regno et Daniæ imperavit. Sed post mortem Knuti Hördensis, eodem vere, Jatvardus Bonus, filius regis Adalradi, rex Angliæ creatus est: qui frater uterinus erat Knuti Hördensis; horum nempe mater erat Emma, filia Richardi, dynastæ Rothomagensis, soror Roberti Longospatæ, patris Viljalmi Nothi. Jatvardus solenniter coronatus est prima festi Paschalis feria. Eadem æstate rex Magnus magna classe in Daniam profectus est, ducens ipseque gubernans navem, quæ regi Olavo fuerat, Visundum appellatam. Tota cum classe in Jotiam navigavit; sic Arnor:

Referam, ut bisons, in latus inclinatus
et salsa aspergine turgidus,
vexit alacrem principem
Sognensium a septemtrione.
Comis ille rex proras navium
ad latam Jotiam applicuit;

---

[1]) Ordo: *Orðgnótt, sú er drottinn hlaut, varð árla a) afkárlig b); efnd fylgði c) því d) er e) ángrtælir ylgjar réð mæla. Ræsir lèzt f) fúss at falla feigr framm und g) kló h) hrafni í grimmum i) grafnings gný, eða eiga Danmörk k).*

a) jarla, F, Hk., i. e. *jarla drottinn*, dominus dynastarum. *b) ákaflig*, eod. sensu, *F.* *c) fyldi, F*, sec. prolationem. *d) sú, F.* *e) at*, id., *H.* *f)* Sic *F, H, Hk.; lèt, A.* *g) odd, F.* *h) fló, H.* *i) grimman, F.* *k)* Prothysteron pro *lèzt fúss at eiga Danmörk eða falla.*

cujus incolæ lubenter accepere
bellicosum pugnæ concitorem[1].

Rex Magnus Vebjarga profectus, comitia edixit; quibus comitiis rex salutatus est. Mox multas regni partes obiens, mores populi correxit, principesque, qui suo nomine regnum custodirent, constituit. Hiemem in Dania transegit, universo populo ad eum transeunte; sic Arnor:

Posthæc regi eximio, fortitudine
claro, toti Daniæ et Norvegiæ
imperare contigit: virorum
domini potentia crevit.
Nullus rex alius tantillæ
ætatis tam amplum imperium
antea sibi subjecit; potentiam
regis fortuna non frustrata est[2].

Insequenti æstate in Norvegiam rediit.

Cap. 26. Cum rex Magnus classem in Albi ad Konungahellam constituerat, nobilis quidam juvenis ex Gothia ad eum pervenit: hic erat Svein, natus Ulvo, Sprakaleggi filio, et Astrida, sorore regis Knuti Potentis et regis Olavi Sveci. Pater Astridæ erat rex Svein Furcobarbus, ma-

---

[1]) Ordo: *Ek a) mun segja, hve Visundr, hallr hlèborðs ok b) hrími c) sollinn, bar snarfenginn d) Sygna þengil norðan. Blíðr e) gramr setti branda f) at breiðu g) Jótlandi; öld tók fús við æsi brynþings h) meginhringa i).*

a) omitt. *H.* *b*) Sic *Hk.*; *var*, *H*; *varð*, *A.* *c*) *hreti*, *Hk.* Tom. 6, nescio qua auctoritate. *d*) *snarfengan*, id., *F*, *H*, *Hk.* *e*) *bjóðr* (i. e. *brynþings*), *Hk.*, appositum *τῷ gramr.* *f*) *brandi*, id., *H.* *g*) *beiðu*, *H.* *h*) *brymþings*, *B*; *byrðings*, *F*, prave. *i*) *meginþinga*, *F*, prave; *fetilstinga* (gladii), *Hk.*

[2]) Ordo: *Síðan náði snjallr dýr siklíngr at stýra Norvegi ok allri Danmörk: máttr drengja drottins óx. Öngr annar barnúngr þengill hefir áðr stúngit a) und b) sik svá nógu láði; bráskat þroska c) bragníngs.*

a) *þrúngit*, eod. sensu, *F.* *b*) *við*, adjecit, *H.* *c*) *þroski*, *H.*

ter vero Sigrida Imperiosa, filia Sköglæ-Tostii; regi Sveini nondum nuptam in matrimonio habuit rex Svionum Eirikus Victoriosus; quorum filius Olavus Svecus. Svein Ulvi filius cum rege Önundo, affini suo, (aliquantum temporis) commoratus fuerat. Hic, blanditiis usus, amicitiam Magni regis collegit, memorans, Ulvum patrem diu in Dania dynastam fuisse, magnaque potestate ab affini, rege Sveine, auctum, se vero pro cæde patris nullam accepisse ab avunculo rege Knuto satisfactionem; jam regi Magno, si se aliquo beneficio ornare vellet, exiguum petens, integram fidem et amicitiam pollicitus est. Rex Magnus, amicis hisce alloquiis aures præbens, animadvertit, Sveinem prudentem esse vultuque spectabili, putavitque eum in promissis tam firmum, quam blandiloquum, tamque in fide constantem, quam vultu spectabilem; quare frequentes cum eo sermones habuit.

Cap. 27. Die quodam, cum in symposio accumberetur, rex Sveini togam suam, ex pretiosissima purpura nuper concinnatam, dedit, missa insuper patera, mulso plena, mutuo congressui[1] bibendo gratari jubens: hoc ipso, addidit rex, do tibi, Svein, dynastæ titulum, tantamque in Dania præfecturam, quantam constituam, cum eo pervenero. Svein, togam accipiens, valde rubuit, eamque statim alicui suorum dedit, [ipse vero vestem levidensem cineracei coloris sumsit. Qua re visa Einar Arcipotens: nimius, nimius dynasta, alumne! Cui rex indignabundus: parva me gaudere intelligentia putatis, nullamque habere hominum peritiam; at vero mihi imputari non potest, quod alios pro nimiis, alios pro hominibus nihili putetis. Proximo post die, ante missam cantatam, rex Magnus scrinium, in quo sanctorum

[1]) *mótsminni*] *njótsminni*, *B*, *H*.

reliquiæ conditæ erant, proferri jussit, Sveinemque eo accedere, ut ipse jurejurando fidem suam obstringeret; quod ille jussu regis fecit. Rex Magnus Sveini, manus scrinio imponenti, juramentum præivit in hæc verba, ut fidem regi Magno datam præstaret, ejus imperium omni ex parte augeret, eique omnibus in rebus subjectus et obnoxius esset, quoad ambo viverent. Sic Thjodolvus poëta:

Ipse rex Skaniorum ad orientem
in Albi adfuit, ubi splendida
ei promissa dedit Ulvi filius.
Ibi Svein, manibus scrinio
impositis, juravit, Olavi filio
jusjurandum illi præeunte;
sed hæc eorum pacificatio
justo brevius duravit[1].

Posthæc Svein cum rege Magno versatus est. Cum processerat æstas, in Daniam profecti sunt, tunc rex Magnus dynastæ (Sveini) provinciam, cui præesset, Jotiam dedit; hæc ab Norvegia remotissima est, proxima Vendis et Saxonibus, qui id temporis Danos magnopere vexabant. Jotia est pars validissima Danici imperii. Proximo autumno rex Magnus in Norvegiam rediit, litora legens, et in Thrandheimum pervenit paulo ante festum Jolense, atque hiemem Nidarosi transegit. Eadem hieme, post festum Jolense, Svein dynasta Danos Vebjarga convocavit, positisque

[1]) Ordo: *Skánúnga gramr var sjálfr austr í a) Elfi, ok Úlfs b) mögr hèt c) hánum fögru; þar rèð Sveinn at sverja, sínar hendr at skríni. Sonr Ólafs rèð eiðum; þeirra sáttir hafa átt skemra aldr, en skyldi.*

a) *við*, *B, H, Hk.* b) *Úlbs*, id., *F.* c) *Hkr.* Tom. 6. legendum svadet *hèlt*, i. e. *ok hèlt sínar hendr at fögru skríni.* Ego comma post *sverja* posui, et ante *sínar hendr* subintellexi præpos. *með* vel particip. *hafandi.*

comitiis surgens, verba fecit: æquum esse opinor, Dani, inquit, vos mihi potius quam regi Norvegorum parere; etenim nostis, gentem meam avitasque possessiones hac in terra esse, neque ignoti vobis sunt mores mei et ingenium: Norvegorum autem imperio subjectos esse, Danis magnam creat difficultatem. Etsi rex Magnus bene sit ab artibus liberalibus instructus, tamen, ratione generis, nullum jus habet Danici imperii; ego vero, quanquam rege non natus, jure majorum ad hoc imperium natus sum, quippe qui regis Sveinis ex filia, regis Knuti ex sorore nepos sim. Nunc a vobis peto, ut titulum gentilitium mihi concedatis, vobis vicissim meum præsidium, condignos honores, jura auctiora et munera pollicens. Quibus comitiis is finis fuit, ut Sveinem regem Danici imperii salutarent.

Cap. 28. Rex Magnus, cum hæc vergente hieme cognovisset, extemplo misso per totam Norvegiam[1] nuntio, dimidiam partem universi regni militum et commeatum imperavit, et hunc exercitum prima æstate in Daniam trajecit. Ubi vero Svein de adventu ejus certior factus est, paucitati suorum diffisus, relicta Dania in Svethiam ad Önundum, sobrinum suum, regem Svionum, se contulit, ibique copias per æstatem contraxit. Rex Magnus, cum in Daniam venit, incolis graves pœnas, quod novum sibi regem sumsissent, irrogavit, complures pecunia multavit, quosdam possessionibus ejecit, quosdam occidendos curavit. Quibus gestis classe in Vindlandiam trajecit, et ad provinciam Jomensem appulit, ubi expositis copiis populationem fecit, pagos et homines incendit, Vendos populationi-

[1]) totum regnum, *B*, *H*.

bus graviter afflixit, multasque res præclare gessit. Hoc memorat Arnor:

Post hæc rex commisit prælium, cujus
memoriam Vindi haud facile deponunt.
Princeps corpora haud paucorum
sceleratorum in Jome combussit.
Cruenta fera truncum subito
assatum ex prunis abstraxit;
flamma, domuum avida deletrix,
in frontes non baptizatas involavit[1].

Quibus gestis exercitum in Daniam reduxit. Cum vero [Renm in Vestlandia[2] præternavigarent, naves piraticas, quæ complures ad terram stabant, adorti prælium commiserunt, eo exitu, ut rex Magnus victor discederet. Qua de re hi versus agunt:

Rex certandi cupidus durum
piratæ conventum in Reo egit,
et ante latam Vindlandiam
gladios virorum rubefecit[3].

---

[1]) Ordo: *Siðan vann koningr vápnhríð, þá er Vindr umminnir; stillir a) sveið b) hræ ófám c) illvirkja at d) Jómi. Blóðugr vargr e) dró búk bráðla steiktan af f) glóðum; allfrekr bani hallar rann á óskirð g) enni.*

a) *stilli, F.* *b*) *svefns, F.* *c*) Sic *H*; *of ám, A*; *ofan, F.* *d*) *af, F.* *e*) *vargi, F.* *f*) omitt. *F.* *g*) Sic dedi; *óskrið, A*; *óskirð* sive *okskirð, H*; intelliguntur pagani.

[2]) Vestlandiam, *H.* Vestlandia, terra occidentalis, h. l. est occidentalis Vindlandiæ pars; *Re*, i. e. Rugia, v. hist. Knutidarum. Omitt. mentionem hujus pugnæ *Hkr.* et *Knytl.*; *Fagrskinna* sic habet: *á því sama sumri sigldi hann aptr til Danmerkr, hitti fyrir Re á Vestlandi víkinga, barðist við þá ok fékk sigr.*

[3]) Ordo: *Fúss ræsir a) lét háit rammþing glamma b) á Re c); gramr rauð d) virðum e) branda fyrir víðu Vindlandi f).*

a) Sic *H, Hkr.*; *hræsir, A.* *b*) i. e. prælium. *c*) i. e. insula Rugia, vide *Fornm. S. II*, 378. *d*) Sic *H, Hkr.*; *rautt* (2.

Ubi rex in Smalanda venit, milites Norvegicos remisit, ipse vero cum exercitu non magno eo loco remansit.

Cap. 29. Eodem autumno rex Magnus in Jotia constitutus erat, cum per speculatores cognovit, adventare exercitum Vindorum, qui populationem proxima æstate factam ulcisci cupiebant. Itaque rex confestim, missis per totam Daniam nuntiis, copias evocavit, ipse cum militibus, quos nactus est, nocturnis fere diurnisque itineribus adversus Vindos contendit, eam ob causam iter tantopere maturans, quod Vindi, ut primum regni fines ingressi sunt, populationem effusissime fecerunt, omnes tractus habitatos incenderunt, et quicquid nacti sunt hominum interfecerunt.

Cap. 30. Hoc loco paulisper ordo narrationis abrumpendus, et quæ antea acciderunt repetenda. Erat in Saxonia dux quidam, nomine Otto, vir potens et pecuniis prædives, cognatus et educator imperatoris Saxoniæ, eique amicissimus; idem bellator insignis equesque eximius. Erat Magno Norvegiæ regi soror, cui nomen erat Ulvilda, regis Olavi filia legitima, excellenti sapientia et formæ pulcritudine. Aliquando cum imperator et dux inter se colloquerentur, dux se comperisse significavit, filiam regis Olavi Sancti omnes homines[1] pulcritudine superare: quæ si esset, qualis diceretur, hanc conditionem imperatori Saxoniæ honorificam esse, ratione prudentiæ ac venustatis. Hujus adhortatione motus propriaque cupiditate impulsus imperator ducem in Norvegiam misit ad regem Magnum, ut, si

pers.), *A.* e) *valska,* Gallicos (enses), *Hk.* f) *Vinlandi* (rectius *Vinnlandi*), *F*; *Vestlandi*, *Hk.*

[1]) virgines, *B*, *H.*

virginem coram adspiciens æque prudentem et urbanam, atque fama ferebat, judicaret, negotium procuraret. Dux sine mora se paravit, atque in Vikam contendit, quo cum venisset, ibi non aderat rex Magnus; Alvilda vero, mater ejus, quæ eo tempore in Vika se continebat, convivium duci adparavit. Et die quodam convivii quæsivit dux, an in Vika esset soror regis Magni. Quod cum Alvilda certo confirmasset, dux se ostendit eam videre cupere; non renuit illa. Et die quodam Alvilda filiam splendide ornari jubet; hæc eodem atque rex Magnus patre nata non erat. Hæc duce accumbente in triclinium introducta et juxta eum collocata est. Qui cum eam adspexisset et cum ea fabulatus esset, neque sermonem ejus neque prudentiam magnopere admirandam esse, neque formæ gratiam opinioni suæ respondere animadverteret: talem conditionem imperatore non dignam judicavit. Quare non exposita re, cujus gratia missus fuerat, revertit; et conveniens imperatorem, confirmat, quam vidisset virginem, neque pulcritudine neque prudentia, quali ad eos fama tulerat, præditam; seque eam ob causam non petisse virginem imperatori, quod hanc conditionem tam claro principi parum honestam judicavisset. Cui imperator: tuam ob fidem nostramque intimam amicitiam et cognationis necessitudinem, volo, ut iterum nostris cum mandatis ad regem Magnum proficiscaris, atque ipse tibi hanc virginem petas: potest enim fieri, ut tibi rex hujus conditionis faciat potestatem. Dux profectus est, et delatus in Norvegiam regem Magnum convenit. Qui ducem comiter excepit: hujus enim fortitudinis et prosperæ in rebus gerendis fortunæ fama multas terras pervaserat; et lautissimas ei epulas apparandas curavit. Et die quodam, cum potu exhi-

larati considebant, quæsivit dux, ecqua regi soror esset. Rex respondit: mihi vero soror est, cui nomen est Ulvilda, filia regis Olavi Sancti, patris mei, et Astridæ reginæ. Cui dux: oro, domine, ut mihi potestatem facias videndi hanc feminam, et cum ea colloquendi. Rex: hanc rem tibi libenter permitto. Postero die rex Magnus et Otto dux eo se contulerunt, quo loco regis filia poculis indulgebat. Ea regi Magno, fratri suo adsurrexit, eumque comiter salutavit. Dux juxta adsidens, cum ea sermonem conferre cœpit, brevique intellexit, hanc feminam multo esse et venustate et prudentia præstantiorem illa, quæ prius ei ostensa fuerat. Hic eum, quamdiu libitum erat, consedissent, regressi sunt. Jam sentit dux, voluisse Alvildam, matrem regiam, priore tempore se consilio circumvenire. Reputabat animo, hujus virginis nuptias sibine, an imperatori, peteret; perspiciebat enim, hoc conjugium omni nomine esse imperatore dignum. Sed statuebat apud animum, se ipsum hac conditione non fraudare, si potestas esset; quare rem cum rege Magno communicat. Rex Magnus ita respondit: nostro quidem judicio soror nostra sero compari potietur connubio, verum tamen cum propter tuam fortitudinem et potentiam, tum propter intercessionem ac commendationem imperatoris Saxoniæ, hujus rei habenda ratio est, si ipsa virgo et mater ejus, aliique nostri summi consiliarii consentiant; nulla enim res meam cum ea conjunctionem dirimet, nisi hæc aut alia quædam nobilis conditio ei fuerit prospecta. Sive vero longiori sive breviori tempore hæc res transacta fuit, factum tandem est, ut virgo Ulvilda duci magna cum dignitate et honore locaretur. Quibus actis in Saxoniam profecti sunt. Dux in regno suo permansit, ne-

que imperatorem adiit. Præ ceteris hominibus divitiis abundabat, liberalitate omnes anteibat; summa in præliis et in omni contentione strenuitas, in pace mansvetudo, in colloquio hilaritas[1], summa apud optimum quemque gratia, in republica administranda diligentia aeris, in malos homines duritia. Paulo post venerunt ad eum missi ab imperatore cum mandatis, ducem amice invitari, velleque imperatorem cum eo colloqui. Dux autem sibi non licere dixit ob negotiorum multitudinem suorumque necessitates, prædones enim regnum suum vehementer infestare. Missi reverterunt, et imperatori, quæ dux responsa dedisset, renuntiarunt. Sed dux Otto domi Brunsvikæ se continebat et pacem regno conciliabat.

Cap. 31. Vespere quodam dux Otto cum aulicis et principibus accubuit, potu exhilaratus; ab altero latere ejus sedebat domina Ulvilda. Ipse paulo ante ex prælio redierat, in quo gravia vulnera acceperat; summam enim in præliis strenuitatem exhibere, neque vitæ suæ in ullo discrimine parcere solebat. Magna erat in aula hilaritas convivantium. His visus est vir aliquis danicum pileum capite gerens, fores ingredi, paululumque resistere[2], moxque e conspectu subduci. Tum dux locutus est: hunccine hominem nosti, filia regia? Haud equidem certo scio, inquit ea, sed mystax, qui ex ora pilei pependit, patris mei similis visus est: potest fieri, ut rex Magnus frater meus, auxilio indigeat. Cui dux: et vero nos, quantam possumus, regi Magno opem feremus. Illa: tu ad eam rem ob vulnera parum idoneus es, nisi te sanctus rex Olavus sanet. Haud obstabunt vulnera, inquit,

[1]) comitas, *H.* [2]) et intro ad ipsam sedem celsam procedere, atque deinde egredi et discedere, *F.*

confestimque e sede surrexit, et equites principesque omnesque, quotquot apud eum erant armis idonei, armare[1] se jussit. Tum filia regia cingulo, quod patri suo fuerat, vulnus ducis alligavit, atque statim omnis dolor et morbus depulsus est. Quo facto cum copiis quam citissime boream versus in Daniam contendit, donec regem Magnum in saltu Lyrskogensi[2] ad australe latus Heidabœi[3] deprehendit. Cujus adventu rex lætus, affinem liberalissime excepit. Tum Vindi in adversum e propinquo tendebant, tantumque pagani copiarum habuere, ut non pauciores quam sexaginta[4] pagani singulos regiorum circumsisterent. Dani male fremere cœperunt, dicentes, regem eos perducturum in locum ineluctabilem, nec aliud ei restare, quam fuga salutem quærere. Rex, etsi magna afficeretur sollicitudine, mœrorem suorum ac timorem animadvertens, tamen declaravit, se nunquam fugiturum, si aliqui vellent secum consentire[5]. Dux Otto ad prælium committendum hortatus est. Erat cum rege Einar

[1]) armatura inducre, *H.* [2]) Lyskogensi, *F, H.* [3]) *Schöningius* de situ saltus Lyrskogensis: „amnis *Skotborgará* dictus haud procul ab urbe Riparum ad boream in mare occidentale se exonerat, ad cujus amnis ripam septemtrionalem sita est late planities, quæ hic Lyrskogensis dicitur." Tam *Fagrskinna*, quam *Knytlinga* (*Fornm. S. II*, 207 et in carmine Thorleiki pulcri, p. 208) locum prælii ad boream Heidabœi recte ponunt. Errat ergo noster, tam hoc, quam sequenti cap., saltum Lyrskogensem ponens ad meridiem Heidabœi, seductus, ut puto, semistrŏpha Thjodolvi poëtæ, cap. 32, 1., in qua construxit *fyrir sunnan Heiðabý*, ad austrum Heidabœi, et *nær Skotborgará*, prope amnem Skotborgensem, cum construere debuisset *fyrir sunnan Skotborgará* et *nær Heiðabý*, quanquam prior constructio, per se spectata, legenti primo se offert; at non putandus est Thjodolvus, aulicus poëta, situm loci ignorasse. [4]) Sic et *Fagrskinna*; tres, *H*, quanquam admodum dubia lectione. [5]) se sequi, *H.*

Arcipotens, qui secreto cum rege collocutus: diligenter nota, domine, inquit, quid loquantur Dani agantve, ut eorum in prælio fidelitatem perspicere queas. Quare id capiunt consilii, ut demissis operti pileis, alioque simulato vestitu induti, ut omnibus ignoti essent, turbæ militum clam se immiscerent. Audiunt Danorum aliquem contubernali loquentem: ubi commissuros prælium credis? Ille: ad hunc ipsum fluvium. Tum is, qui interrogaverat: itaque ego hic consistere vellem, quo loco nunc sumus constituti, ad hanc sylvam; tunc enim præliabitur, qui præliari vult, [operamque fallere[1], cui id libuerit, licebit. Hic Einar: heic audire licet, domine, hunc Danum multorum loqui voluntatem; quare mea sententia est, ut cohortes ita disponas, ut ne tam cito, quam forte optaverint[2], in sylvam se recipere queant. Ab exercitu brevi spatio exigua erat villa. Einar regem hortatus est, ut ad villam concedentes prospicerent, ne quid incommodi colono a militibus fieret. Ita faciunt. Colonus eos humaniter excepit, bonumque et largum potum eis præbuit; apud quem ea nocte deversati sunt. Rex, curis distentus, ea nocte somno parum indulgebat, sacras preces clara voce recitabat, et sub lucem obdormiscebat. Visus sibi est videre sanctum regem Olavum, patrem suum, candido equo vectum, ita se alloquentem: surge extemplo et aciem instrue; satis habes copiarum, quibus adversus paganos depugnes; adero tecum pugnaturus, [cum tubam meam audiveris[3]. Rex somno expergefactus, Einari nutricio significat, suis promissam victoriam esse. Redeunt statim

[1]) fugere, *H*; se occultare licebit ei, qui desponderit animum, *F*. [2]) studuerint, *H*. [3]) cum pulsatam in Thrandheimo Gladam audiveris, quo facto me diu exspectare opus non erit; ea enim hodie mihi tuba erit, *F*.

ad exercitum. Rex milites excitavit somno, suosque se ad prælium accingere jussit: rex enim Olavus nostrarum partium est, inquit. Versabatur ibi cum rege Magno Islandus quidam, nomine Oddus, Gelleris filius, qui plurimas narrationes de his rebus hanc in insulam attulit.

Cap. 32. Totus exercitus Magni regis in armis sub dio pernoctaverat, nam Vindi prope accesserant. Rex Magnus, ubi instruxerat aciem, milites ad prælium hortatus est, et somnium eis retulit. Quo facto omnes qui aderant campanæ sonitum in aëre audiverunt, cognovitque rex omnesque Norvegi similem esse sono pulsatæ Gladæ, quæ campana Nidarosi erat in Thrandheimo in æde sancto regi Olavo dicata. [Qua simul animadversa visione[1], omnes milites, antea solliciti et timentes, ægritudine ac timore depulso, læti in prælium adversus paganos processere, his prodigiis[2] stimulati, alterique alteros hortabantur. In eo tumultu advenit colonus aliquis, qui per ordines militum perrumpens, se rem habere gravioris momenti, quam cum rege communicaret, dictitavit; quem alii ab se depulerunt, alii progredientem adjuverunt. Einar hominem agnovit, regemque hortatus est, ut quæ afferret, audiret. Rex, quid vellet, quæsivit. Ille respondet: volo tibi quod vidi somnium referre; visus mihi sum regem Olavum videre candido vectum equo, regioque ornatu indutum; hic se promisit opem vobis laturum, longamque aciem instruere vos jussit, ne a Vindis circumeamini; te jussit in media acie versari, eamque partem densissimis ordinibus stipare; dixit quoque se vexillum suum ante aciem monstraturum. Quam relationem rusticus certis indiciis confirmavit, ut rex dictorum veritatem infitiari non

[1]) Quo audito, *H.* [2]) promissis, *H.*

posset; rex ea re lætatus colono eximia munera dedit, Ottonem ducem cum suis in altero cornu collocavit, ipse in media acie versatus est. Jam exercitus paganorum adpropinquavit, cujus tanta erat multitudo, ut eo saltus multis locis contecti essent. Congressi sunt prope amnem Skotborgensem ad australe latus Heidabœi, teste Thjodolvo poëta:

> Meus fortis princeps ad meridionale
> latus Heidabœi victoriam reportavit;
> novi acrem pugnam prope
> amnem Skotborgensem factam[1].

Inde acerrimum prælium ortum, simul ut congressi erant. Rex Magnus vehementissime rem gerebat, et tot occidit hostes, ut numerus cæsorum haud cito iniri potuerit. Sic Thjodolvus:

> Ellæ progenies innumeram Vindorum
> multitudinem cupide prostravit.
> Quo loco homines majorem pugnam
> commissam esse fama noverint[2]?

---

[1]) Ordo, ab auctore hujus historiæ receptus, talis est: *minn snjallr gotna a) spjalli vá b) sigr fyrir sunnan Heiðabý*; *ek frá skarpa skæru nær Skotborgará*; sed quoniam induci non possum, ut credam, Thjodolvum in situ loci errasse (vide supra cap. 31), hunc ordinem præferendum puto: *minn snjallr gotna spjalli vá sigr fyrir sunnan Skotborgará c)*; *ek frá skarpa skæru nær Heiðabý d)*.

a) *gjörvar*, *F*, minus ad metrum et constructionem accommodate; forte cogitavit *gjörva*, nempe: *ek frá sk. skæru gjörva*, novi prælium factum; vel: *ek frá gjörva*, accurate novi. *b*) *var*, *F*, i. e. *minn spjalli var sigrsnjallr*, meus amicus erat victoriosus. *c*) Pugnari cœptum in boreali ripa fluminis, debellatum est in australi. *d*) *Knytl.* c. 22. non procul ab Heidabœo pugnatum esse testatur.

[2]) Ordo: *Ellu konr a) undi at fella ótal Vinda. Hvar hafi gumnar fregit b) meiri geirhrið gerfa?*

a) Forte Alfhilda, mater Magni Boni, ex genere Anglicano ortum duxit. *b*) *framit*, *F*.

Rex Magnus, antequam pugnari cœptum esset, se lorica exuit, nullaque vestimenta, præter indusium bombycinum, gestabat. Sumsit in manus securim, quæ patri suo fuerat, Helam dictam, qua ambabus manibus librata, quem attingere licuit paganorum concidit. Sic Arnor:

Rex, viribus inexhaustus, latam
gestans securim, in pugnam
vasit, abjecta lorica. Circa regem
Hördorum strepitus ensium exstitit:
cum princeps ambabus manibus
manubrium complecteretur
Helæ, pallida crania dissecantis;
Deus de possessione regni decrevit[1].

Cap. 33. Erat in exercitu Vindorum vir quidam, qui statura corporis et virium magnitudine ceteros præstabat. Hic id consilii Vindis dederat, ut noctu potius quam interdiu cum Christianis confligerent; ille tantum magia valuit, ut telo lædi non posset. Idem in aciem Magni regis procedens, ab utroque latere telum vibravit, ut nemini spes salutis integra esset, si quem telo attingere potuisset. Huic viro nomen erat Regbusus; is primus stragem inter Magnianos edere cœpit; cumque multos homines occiderat, fortiter progressus, interrogavit, ubi rex Norvegorum esset. Tum regem Magnum alloquitur vir quidam, qui prope eum adstitit, magna statura, de facie[2] pulcher, quanquam ætate nonnihil provecta: cur pateris, domine, ut hæcce pestis milites tuos concidat? Cui rex: nescio quo

---

[1]) Ordo: *Ódæsinn ræsir óð framm með breiða öxi, ok varp brynju a); hjördyn b) varð um hilmi Hörða, þá er jöfurr spendi tvær hendr of skapti c); Hel klauf fölva hausa; en c) skapvörðr himins skipti jörðu.*

a) *brynjum*, *H.* *b*) *hjördyr*, *F*, prave; *hjördynr* (usitate), *Hk.* *c*) omitt. *H.* [2]) aspectu, *H.*

pacto eum subito possim e medio tollere. Tum vir ille grandævus: tu prius concupiscis dominatione et imperio potiri, quam iis uti didiceris. „Forsitan ita res se habeat, uti dicis; verum ego, si quid in medium proferre habes consilii, lubens audiverim." Tunc ille: itaque nunc, me adjuvante, illum securi Hela percute. Vir ille paganus loricam curtam, capiteque galeam gestavit. Mox pulcher ille vir celeri gradu regem antevertens, galeam ingentis illius viri ex obliquo graviter ferit. Ad quem ictum cum labaret, neque collaberetur, rex, videns coxam ab ictu nutanti retracta lorica nudari, medium hominem securi pæne dissecat; hoc enim, quamvis nullo alio telo, vulnerari potuit. Memorat Einar Skulii filius in Olaviade, regem Olavum ante hoc prælium regi Magno per quietem apparuisse, eique auxilium pollicitum esse. Poëta his verbis utitur:

Munificus terræ imperator
filio suo, eximio illi regi,
in somnis apparens, suum
præsens auxilium pollicitus est:
antequam strenuus ille rex
pugnam adversus gentes paganas
committeret in saltu Hlyrskogensi,
ubi ampla prædæ copia lupo cessit[1].

Post casum Regbusi regem Magnum tantus cepit pugnandi fervor, ut suorum primus in acie esset, neque signa maneret; telum utroqueversum vibravit, et paganos, pecudum instar, con-

---

[1]) Ordo: *Sökkvir straums sólar gekk sínum bur í drauma, valdr foldar kvaðst myndu fylgja framlyndum gram: áðr harðfengr a) jöfurr b) barðist við heiðnar dróttir á Hlýrskógs c) heiði; gyldir fekk gnótt góðs d) eldis.* Vide Radii stroph. 28.

a) *harðlyndr*, fortis, *H.* b) *gramr*, id., *H.* c) *Hlýskógs*, *H*, ubique. d) *góð*, *H.*

cidit; quare Vindi, quibus quidem aufugiendi facultas erat, in sola fuga salutem quæsiverunt[1]. Tunc exercitus in diversum dispersus est, rege Magno in primore acie fugientes insequente. Itaque tanta strages paganorum edita est, ut milites Magni regis multis saltus locis nuda humo propter corpora Vindorum insistere non possent, ingentesque rivi cæsorum acervis obturarentur, ut solito alveo profluere nequirent. Ejus rei meminit Thjodolvus poëta:

Novi Haraldi ex fratre nepotem
primum omnium in acie
stetisse. Corvus præsensit sibi
certissimam prædam datum iri.
Quo Magnus fecit prælium loco,
texere saltum, mille passus latum,
corpora cæsorum. Fugientium
Vindorum strages late patuit[2].

---

[1]) Quod testatur Einar:

Bonus ille Magnus esca data
furvum corvum hilarem reddidit;
rex liberalis rictum oris
prolis aquilinæ rubefecit.
Perterrefacti hostes ceperunt fugam:
fulgidum telum crura secuit.
Uxores Vindicæ dolore affectæ sunt.
Lupi cadaveribus inhiabant. add. *H.*

Ordo: *Hinn góði Magnús lèt jarpleitan huginn a) fagna b) áto; mildingr rauð munu arnar jóðs innan. Fólk var hrætt á flótta: frán egg beit á leggi; vindvesk víf hlutu sorg, en vargar gindu um hræ.* Confer Radii stroph. 29.

a) Sic dedi; *hugan, H.* *b*) Sic *B*; *faga, H.*

[2]) Ordo: *Hykk Haralds bróðurson stóðu framast manna í hundraðs flokki: hrafn vissi sèr hvassast húngrbann. Vinda flótti lá vítt: höggvinn valr varð a) at hylja rastarbreiða b) heiði c), þar d) er Magnús barðist.*

a) *var, F.* *b*) *rastir breiðar, H.* *c*) *heiður, H.* *d*) *þá,* cum, *Hk.*

Cap. 34. Ubi vero turba fugientium ad amnem Skotborgensem pervenit, Vindi paulisper denuo restiterunt. Cum autem universi milites regii advenissent, pagani in fluvium repulsi sunt. Hic tanto numero ceciderunt, ut regii per cæsorum cumulos amnem siccis pedibus transgrederentur. Sic habet carmen dimetrum:

Vindis dolores, princeps, attulisti
ad limpidum amnem Skotborgensem;
eximia erat victoria, rex, quam
inferior copiarum numero retulisti.
Eo loco paulo editior jacuit cumulus
corporum, quam ut eo vagabunda luporum
gens, vulgo nota, conscendere posset; tibi
destinata erat Crassi regis victoria[1].

Rex Magnus Vindos ulterius persecutus est, suis remanentibus, atque fugientes solus pepulit; quidam vero dicunt, eum cum uno comite fugientes pepulisse; tunc denuo tantum hostium numerum occidit, ut corpora cæsorum tam confertim jacerent, ut si cumuli essent maris ejectamentorum. Hoc memorat Arnor:

Alacer princeps adeo altum
aggessit corporum cumulum,
edita strage, ut feminarum
gigantum sonipes, noctu solitus
oberrare, eum, etsi vellet,

---

[1]) Ordo: *Skjöldúngr! lèzt a) valdit b) sorgum Vinda við skíra Skotborgará; Ýngvi! sá förnuðr c) þinn d) var frægr, er fenguð við minna helming. þar lá vare e) hærri valköstr, en viða runnin ætt varga, virðum kunn, mætti of f) klifa; þèr var skapaðr g) sigr hins digra grams.*

a) *lèt*, (3. pers.), *H.* b) *valdi, F.* c) *fornauðr* (i. e. *förnöðr*, id.), *F*; *förnuð, H.* d) Sic *F, H*; *þeim, A.* e) Sic *A*; forte *varo* (*hærri*), ut *váno betr* etc.; *vorru, F*; *vaxi, H.* f) *um, F*, qui una voce scribit *vargaættum*, pro *varga ætt um.* g) *skaptr*, id., *H.*

consccndere nequiret: homines strati
passim jacuere. Celebro, viri,
vitam animosi principis[1].

Posteaque, qui ex copiis paganorum salvi evaserunt, confessi sunt, si plures Christianorum ita fuissent præliati, ut pulcher ille vir indusio bombycino indutus, neminem fuisse salvum inde evasurum. Cum autem animo reputavit rex, quo loco constitutus esset, se incautius progressum sentiens, ad suos se recepit. Quo reverso milites perquam læti sunt, cum antea rege nusquam conspecto, valde timuissent, ne cecidisset. Rex Magnus Deo pro victoria, suis pro exhibita strenuitate ac virtute gratias egit. Vespere festi Michaëlis prælium incepit, neque post diu, quam commissum erat, pagani in fugam se conjecerunt. Hoc prælium omnium in terris borealibus post introductam religionem christianam celeberrimum fuit ingenti ea strage Vindorum, quæ edita ibi est, nemo enim numerum paganorum ibi occumbentium inire potuit. Neque mirum, nam divina providentia factum est, ut quod magno sibi præsidio fore putaverant, hoc in perniciem ipsorum verteretur. Nam cum in primis ordinibus magnum boum numerum constituissent, horumque tergis grandia et firma spicula illigavissent, tabulasque ligneas oculis præligassent, congrediente exercitu prælioque commisso, alia prorsus

---

[1]) Ordo: *Snarr siklíngr hlóð svá háfan hrækõst af úlfa barri a), at all-náttförull b) áleggjar c) yggja d) vífmar* *) *máttið e) klifa yfir, þótt f) vildi g): öld lá vitt. Fírar! hrósag h) æfi hugfulls vísa.*

a) baurri, F. b) Sic *H*; *náttförut, A. c) aðáleggjar, F,* pro *atál. d) hyggjar, F,* prave. *) *vífsmark, F,* prave; *áleggr,* os fluvii, est lapis, saxum, hinc *áleggjar yggjar,* dii saxicolæ, gigantes, quorum *vífmar,* lupus. *e) máttuð* (3. plur.), *H. f) en, H. g) valdi, H. h) hrósig, H.*

parte, atque opinati fuerant, milites Magni regis impetum in eos fecerunt; unde factum est, ut cum fugere cœpissent, boves a tergo haberent. Qui cum angustiis premerentur, in spicula irruentes, bobus firmo gradu resistentibus, fugam diu expedire nequiverunt. Quare alii suis ipsorum armis et consiliis ceciderunt, alii ab rege Magno ejusque militibus, in aperta latera ictus intentantibus, trucidati sunt. Multo vero magis hoc prælium miraculis sancti regis Olavi inclaruit; non enim rex Magnus solus et inermis tam audacter per ordines hostium pervasisset, et ad suos salvus et integer rediisset, nisi paterno auxilio[1] defensus fuisset. Et omnes facile potuerunt intelligere, cum tam exiguis copiis non potuisse adeo immensas paganorum copias devincere, haud ita magno detrimento accepto, nisi ea victoria ei a domino nostro Jesu Christo, excelso cœlorum rege, propter merita regis Olavi sibi carissimi concessa fuisset; quemadmodum sacerdos Einar Skulii filius testatur:

Constat Servatoris amicum
eximium suo præstanti gnato
victoriam concessisse. Facta
regis, bello fortis, celebro[2].

Posthæc prædam diviserunt, ex qua ingenti pecunia rex aliquot annulos, quos pagano illi Regbuso detraxerat, sibi sumsit; hac sola vice pecuniæ cupiditatem prodidit. Rex duci ampla munera, multisque aliis militibus multum pecuniæ dedit; cum autem, qui ei consilium dederat devincendi ingentem illum[3] Regbusum, se con-

[1]) paterna providentia, *H.*

[2]) Ordo: *Raun er, at snjallr lausnara spjalli gaf sínum frömum arfa sigr; ek hrósa verkum vigdjarfs vísa.* Vide Rudii stroph. 30.

[3]) piratam (pugnatorem), *H.*

venire jussit in regnum reducem, tum ei præmia daturum pollicitus. Eo loco affines amicissime digressi sunt, duce austrum versus in Saxoniam revertente.

Cap. 35. Dux Otto in regnum reversus, Brunsvikæ consedit, neque in congressum imperatoris venit. Imperator vero, intelligens, ducem Ottonem se convenire nolle, misit ad eum, se brevi eo venturum. Missi profecti sunt; exponunt mandata. Ille frigidius rem accepit, sed tamen convivium, quo venturum imperatorem exciperet, apparat. Venit imperator constituto tempore, et decenter accipitur. Qui ut filiam regis conspexit, pulcritudine ejus magnopere captus, judicavit, ut res erat, non minori prudentia morumque elegantia esse, ducemque a vero rem declinasse, qui venustatem ejus verbis non extulisset. Qua re imperator suique omnes tristiores facti, unde hoc vespere in aula minor oblectatio erat. Dux ad mensam imperatoris ministrabat; ille indignationem imperatoris animo concipiens, haud protinus eam rem curabat. Ubi vero dux et Ulvilda, regis filia, sequenti nocte lectum conscenderant, illa: unde, domine, proficisci putas, inquit, imperatoris tristitiam? putavi heic amicorum fore congressum, tu enim mihi in Norvegia dixeras, utrumque vestrum intimo amore mutuo diligi, neminemque honori tuo æque favere, atque imperatorem. Jam dic, age, an sit quod arbitror, ut ejus rei aliquid [ad me pertineat[1], tuque eam rem non omni ratione ita tractaveris, uti illi placuerit, tuoque consilio aliqua ex parte factum sit, ut connubio, primo mihi destinato, invidente fortuna exciderim. Quæ si ita sunt, mea sententia est, ut cum eo cras col-

[1]) a me proficiscatur, *H.*

loquare, et quæras, qui tristis sit; et quamvis asperiorem se tibi præbeat, omnem rem tuam meamque ut ejus permittas arbitrio. Quod si bene velit facere, quod futurum reor, bene est; sin secus, ipsius (culpa) est; nimirum omnino necesse est, summum rei arbitrium penes eum esse, etsi hæc non fiant, sed te ita tua ex parte facere magis convenit. Ille ait, facta esse hæc omnia, uti conjecisset: et res ita peragenda est, inquit, uti tu consilium dedisti. Postero die dux imperatori: cur adeo tacitus es, domine? volui te his epulis omni benevolentia et amore excipere. Imperator reposuit: mira tibi audacia est, qui ista quæras, cum ipse facta abs te noveris, quod me fraudavisti. Dux respondit: male accidit, domine, sed ejus rei arbitrium penes te est; misisti me in Norvegiam ad regem Magnum, ut sororem ejus tibi peterem, sed ea vice regem Magnum non conveni. Ibidem virginem vidi, quam sororem esse Magni regis dixerunt, quod et fuisse arbitror; de qua verum professus sum, non visam esse dignam majestate tua. Altera vice me misisti, ut eam mihi ipsi peterem; delatus in Norvegiam regem Magnum conveni, qui mihi hanc feminam, ipsius sororem eodem natam patre, ostendit. Tum vero, domine, ferendum non putavi, tali ut uxore exciderem, præsertim cum te mihi potestatem hujus conditionis fecisse putarem; jam vero rem omnem, uti facta est, et meam et regis filiæ, tuo arbitrio permitto. Imperator[1] respondit: et ego verum existimo, hoc ea de causa ita evenisse, quod Dei sit et voluntas et providentia, te hac eximia conditione potiri; [sed propter fidelitatem tuam et hanc agendi rationem, tibi nulla re quidquam oneris imponam, sed omni nomine tuam dignitatem et

[1]) post aliquantum temporis, add. *F.*

imperium augebo. Dux Brunsvikam totamque suam ditionem ad mortem usque retinuit. Duci Ottoni et Ulvildæ filius erat[1] nomine Magnus, mature staturæ magnitudine et corporis dignitate spectabilis, qui patre mortuo imperium capessivit; a quo familia ducum Brunsvikensium in Saxonia ortum ducit[2].

Cap. 36. Post prælium in saltu Lyrskogensi, rex Magnus copias lustrans, paucos suorum cecidisse, multos vero saucios esse reperit, quorum vulnera obligari jussit; cum vero quot opus erant medici in exercitu non essent, rex Magnus quos visum est ex suis accedens, manus eorum contrectavit et volas manuum demulsit. Quo facto septem viros, quos mollissimas habere manus sensit, designavit, hosque jussit vulnera militum obligare. Quorum etsi nemo vulnus antea obligasset, omnes tamen optimi medici evaserunt. Ex his duo Islandi erant: unus Thorkel Geirii filius de Lyngis, alter Atlius, pater Bardi[3] Selardalensis; ex quibus multi deinde medici originem duxerunt. Hac victoria potitus rex Magnus magnam gloriam consecutus est, vulgique opinio et sermo fuit, nullum regem posse cum rege Magno Olavi filio armis contendere, regemque Olavum ei tam præsenti auxilio adesse,

[1]) et nunc veri simillimum puto, me imperio usum fuisse, dum volupe fuerit; itaque ob hanc omnem tuam agendi rationem, dabo tibi totum imperium, nomenque simul imperatoris omnemque imperatoriam dignitatem. Ego vero me eorum hominum societati adjungam, qui rebus humanis renuntiaverunt, idque muneris a Deo accipiam, quod pro sua benignitate tribuet. Dicitur Otto posthæc imperator Saxoniæ factus esse, eique ac regiæ filiæ gnatus fuisse, *F.* [2]) Is autem, qui imperator fuerat, quod constituerat vitæ genus secutus est; de quo jam finem narrandi facimus, add. *F.* [3]) Nigri, add. *H.*

ut inimici ejus ea causa nullo modo resistere possent.

Cap. 37. Rex Magnus, his confectis rebus arma adversus Sveinem Ulvi filium convertit, quem dynastam suum appellavit, etsi Dani eum regem salutarent; naves comparavit et exercitum ad prælium instruxit. Dein utrique (rex et dynasta) copias frequentarunt. Multi erant in exercitu Sveinis principes, Skanienses, Hallandi et Fionienses; regem Magnum præsertim Norvegi ac Joti comitabantur. Mox copias adversus Sveinem duxit; congressi sunt ad Arenum[1], qua in occidentem vergit, ubi acri commisso prælio Svein in Skaniam refugit, habuit enim tutum in Gothia perfugium, quo se, si opus esset, reciperet; rex vero Magnus in Jotiam reversus, ibi magno stipatus numero militum consedit, navesque suas observavit. Hoc memorat Arnor:

Rex certandi cupidus tumultuosam
pugnam in Reo alte strepére fecit,
et ante latam Vestlandiam
Gallicos enses rubefecit[1].

Cap. 38. Svein Ulvi filius, statim ut rex Magnus navibus egressus erat, classe conscensa,

---

[1]) Sic *A*, *H*. *Hkr.* habet *fyrir Vestlandi á Re*, ut supra cap. 28. *Fagrsk.* nullius prælii inter pugnam Lyrskogensem et Arosiensem facit mentionem. *Knytl.*, quæ expeditionem in pagum Jomensem, supra cap. 28. memoratam, non ignorat, ante pugnam Arosiensem ad Arroam initio hiemis pugnatum esse memoriæ prodit; quare pro *Áren* legendum puto *Erri*. Sed errat Noster, qui unam eandemque semistropham de diversis præliis intelligat.

Ordo: *Fúss ræsir lét rymþing glymja hátt a) á Re; gramr rauð b) valska branda fyrir víðu Vestlandi c).*

a) *háit*, *H*; præstat h. l. legere *rammþing háit glamma*, ut supra cap. 28. *b*) Sic supra l. c.; *hrönn*, h. l. *A*. *c*) *veldi*, *H*, quæ lectio ex siglis male intellectis orta videtur.

quantas potuit copias coëgit, et eo tempore hiemis Sclandiam, Fioniam [ceterasque insulas[1] obiit. Appropinquante festi Jolensis tempore Jotiam accessit, classemque in sinum Limicum appulit, ubi multi ei se adjunxerunt; alios pecunia multavit; alii ad regem Magnum se contulerunt. Rex autem Magnus, cognitis quæ a Sveine gerebantur, confestim naves conscendit, secum copias habens Norvegorum, qui tum in Dania erant, partemque Danici exercitus; et cursum austrum versus secundum litora Jotiæ direxit. Eo tempore Svein Arosi erat, magnum habens militum numerum. Qui cum [classem Magni regis[2] adventare cognovisset, copias ac naves ex oppido eduxit, præliumque apparavit. Ubi vero rex Magnus brevi inter se spatio abesse animadvertit, concione habita, suos his verbis allocutus est: cognovimus, dynastam cum copiis brevi spatio abesse; audivi eum magnam copiam habere; quare meum propositum vobis notum facere volo: volo impetum in eum facere et cum eo confligere, quamvis copiis multo simus inferiores. Omnes auxilium, ut fecimus antea, ab ipso Deo et sancto rege Olavo, patre meo, exspectemus; qui aliquoties antea victoriam nobis prælium committentibus dedit, etsi sæpissime nos pauciores quam hostes copias habuerimus. Jam nostros ad hostem quærendum paratos esse volo, atque ut primum congrediemur, navibus impetum facere et prælium committere; tumque omnes ad præliandum parati sunto. Deinde armatura se induerunt, et se quisque locumque quo erat constitutus paravit; rex Magnus ac sui classem promoverunt, donec copias Sveinis conspexerunt, atque extemplo remis impetum in eos dederunt. Sveiniani se armarunt et naves jun-

[1]) et Færeyas, *H.* [2]) regem Magnum, *H.*

xerunt. Mox acre ortum est prælium, quemadmodum Thjodolvus poëta testatur:

Rex ac dynasta nuper
clypeos conseruerunt;
eo loco acer ensium
ludus viris supervenit:
adeo ut præliatores majorem
pugnam non recordati sint;
milites strepitum gladii,
hominibus infesti, excitarunt[1].

Junctis proris rem gerebant, unde factum est, ut ii soli, qui in proris erant, rem cæsim gerere possent; gæsis petebant, qui [in interscalmiis anterioribus erant constituti; omnes vero, qui[2] malo erant propiores, hastas amentatas aut tela pennata miserunt, quidam saxa aut fissos palos conjecerunt; qui vero pone malum erant, arcubus sagittas emiserunt. Hoc memorat Thjodolvus:

Novi fissos palos multasque hastas
in latos clypeos missa fuisse;
corvus prædam cito nactus est,

---

[1]) Ordo: *Gramr ok jarl lögðu saman randir fyrir skömmu a): þar kom bitr b) brandleikr c) á b) börva glæðis glóðar d): svá at merkendr Hèðins serkjar* *) *mundut meiri orrustu; herr náði e) geira f) gný(ins) mannþúnga g) geirs.*

a) *skammu*, id., *H.* *b*) *bitra, H.* *c*) Sic *Hkr.*; *brandlækr* (forte sangvis, vel potius pro *brandlékr* vel *brandleikr*), *A*; *brandlækir* (plur.), *H.* *d*) *glóða* (plur.), *Hkr.* *e*) Sic et *Hkr.* Tom. 3; *háði, Hkr.* T. 6, forte ex conjectura. *) i. e. tingentes (sangvine) Hedinis indusium (loricam), h. l. milites. *f*) *görva*, id., *Hkr.* *g*) *manþinga, Hk.*; J. Olavius *Hk.* T. 3. construit: *Hèðins man-serkr*, indusium Hjediniæ puellæ (Hildæ), i. e. lorica, et *geirs þinga gnýr*, strepitus gladiorum conventûs, pugnæ; F. Magnusenius *Hk.* T. 6. jungit: *Hèðins manserkjar þing*, Hildæ tunicæ apparatus; facillimum puto: *Hèðins manþing* (plur.), congressus puellæ Hjediniæ (Hildæ), pugna (ut *þingmót Hèðins snótar, Sturl.*), ejus *serkr*, lorica.

[2]) Desunt in *H.*

quo loco prælium commisimus.
Viri in armorum contentione
saxa et sagittas, quam licuit
maxime, in usum convertebant,
hostes vero cæsi jacuere[1].

Idem porro cecinit:

Nulli sagittarii plures inter
præliandum sagittas secum habuerunt;
eo die Thrandos haud cerneres
jaculorum penuria laborare.
Hinc hastæ amentatæ inter
pugnam tam dense volarunt,
ut conspectum pæne intereiperent;
adeo effuse tela emissa sunt[2].

Describit hoc loco Thjodolvus, quam effuse tela conjecta fuerint. Rex Magnus in principio pugnæ se intra coronam clypeatam continuit; ubi vero rem segnius administrari sensit, ex corona per foros navis decurrens, suos alta voce hortatus est; inde in proram, ubi res gladiis gerebatur,

---

¹) Ordo: *Ek frá skotið skeptiflettum ok mörgum spjótum a) á breiðum skjaldi b): hrafn c) fèkk skjótt bráð, þar d) er e) háðum f) hjaldr. Menn neyttu grjóts ok örva sem mest g) máttu, at vápna sennu h), en börvar baugs lágu barðir.*

a) *mörgu spjóti* (sing. collect.), *Hk*, *b*) *breiða skjaldo* (acc. plur.), *Hk.*, magis usitate. *c*) *hramn*, id., *Hk.* *d*) omitt. *Hk.* *e*) omitt. *H.* *f*) *háðu* (3. plur.), *Hk.* *g*) *næst*, *H.* *h*) *spennu*, *H*, eod. sensu.

²) Ordo: *Bogmenn bárut a) fleiri böslar at b) hjörtogni c): mundit þrændi þreyta fyrr at skeytum þann dag. Síðan flugu snæridörr svá þykt um d) skæru e), (at) sátt f) illa á milli: örðrif varð g) látit ótt.*

a) Sic *Hk.*; *báru*, sine negatione, *A*, cet. *b*) *af*, *Hk.* T. 6; nescio qua auctoritate. *c*) malo *hjörtogi* aut *hjör toginn*, in eductione gladii v. educto gladio, i. e. inter pugnam; *at hör tögnum*, tenso nervo (applicuerunt), *Hk.* T. 3. *d*) *of*, id., *Hk.* *e*) *skærur* (plur.), *Hk.*; forte rectius verterim: in crepusculo. *f*) *sáttu*, id., *Hk.* *g*) *var*, *Hk.*, sensu non discrepante.

progressus est. Quo animadverso sui inter se hortabantur, totaque acies clamore repleta est. Sic Thjodolvus:

Magnus, rex placidi mitisque ingenii,
suos in navi constitutos proferre
ulterius clypeos magnopere hortatus est;
dura scuta inter pugnam prensata sunt[1].

Tunc vehementissime pugnari cœptum; quo impetu pars anterior navis, quo Svein vehebatur, circa proram et loca proræ proxima, propugnatoribus nudata est. Inde ipse rex Magnus cum cohorte sua navem Sveinis conscendit, ac deinde suorum unus post alterum; qui tam acrem impetum fecerunt, ut Sveiniani pedem referrent, rexque Magnus eam navem, ceterasque unam ex alia vastaret. Svein cum his, quibus fortuna pepercerat, fugam capessiverunt, multi vero ceciderunt, multis vita data.* Hoc prælium factum

---

1) Ordo: *Mjúklyndr a) Magnús bað mjök rekka [á mar synda a) knýa b) framarr c) böðský: hörð borð þrifust d), er e) börðust.*

a) *mannr rösklega annan, Hk.*, i. e. ex Magni militibus alter alterum hortatus est, ut strenue signa proferrent. *b*) *hnýa, H*, idem. *c*) Sic *Hk.*; *framan, A.* *d*) Num legendum *drifust*, i. e. dura navis tabulata inter pugnam (sangvine) adspersa sunt? *e*) *en, H*; *þar, Hk.* T. 3.

*) Sic Thjodolvus:

Egregius Magnus, navium custos
bellicarum, inter pugnam in
pulcram navis proram processit,
tuncque rem præclare gessit.
Hic res sic gesta est, ut dynastæ
stipatorum numerus decresceret,
regis autem fortuna augeretur,
militibus naves bellicas vastantibus[1].

Tandem eximius ille rex
liberalis vitæ gratiam fecit

est die dominica proxima ante festum Jolense. Sic Thjodolvus:

Acris erat pugna, die solis commissa,
quando vehementis prælii gestores
confligebant; milites celeri gradu
in acrem conflictum processerunt.
Ubi præliatores, properæ morti
destinati, vitam amiserant,
cæsorum corpora, ex navibus
subsidentia, cuique undæ innabant[1].

Eo prælio rex Magnus septem naves Sveinianis ademit. Sic Thjodolvus:

Rex, Olavo Crasso natus, vastatis
nuper septem navibus, victoriam
adeptus est. Feminæ Sognenses

---

adversariis. Milites dynastæ
in fugam se conjecerant[2]. add. *H.*

[1]) Ordo: *Mætr a) Magnús, varðr b) kjalar vagna, gekk at morði i fagran framstafn varar hrafni c): [þá vá frægr d). þar gerði e) svá, at húskarla lið þverði f) jarli, en g) gengi þengils vóx: herr nam at hrjóða h) skeiðr i).*

a) meirr, deinde, *Hk.* *b) vörðr*, id., *Hk.* *c)* Sic *Hk.*, *B*; *nafne*, *H*, prave pro *rafni*. *d) þat var frægt*, id fama celebratum est, *Hk.*, quod præstat. *e) görðum*, effecimus, *Hk.* *f)* Sic *Hk.*; *þorði*, *H.* *g)* Sic *Hk.*; *ern*, strenuus, *H*, quod referri potest ad *herr*. *h) hróða*, *Hk.*, quod mendum esse puto. *i)* Sic *Hk.*; *skæðr*, *H*, id., = *skeðr*.

[2]) Ordo: *Áðr inn a) dýri svanfoldar sólrýrandi a) seldi fjörgrið stöfum hjörfa; ferð [jarls lá b) á c) felli d).*

a) Sic *Hk.*; *sól-rýrandinn*, *B*; *tós rýrandinn*, *H*, prave. *b)* Sic *Hk.*; *jarla*, *H.* *c)* Sic *Hk.*; *at*, *H.* *d) ferli*, id., *Hk.*

[1]) Ordo: *Of-unnin sunnudags a) hildr, sú er viðir hramma harðèls börðust b), varð c) römm d); herr gekk snart at snerru e). þá er feigir stafir f) hjörva gnýs f) lètu fjör, flaut nár á hverri báru: þjóð sökk niðr af nöðrum g).*

a) sunnudag, *Hk.*, sensu non diverso. *b) barðust*, id., *Hk.* *c) var*, *Hk.* *d) röm*, *Hk.* *e) snæru*, id., *H.* *f) gný-stafir*, id., *Hk.* *g) nöðum*, *Hk.*, id.; *nauðum* (i. e. *nöðum*), *H.*

hunc nuntium lætæ accipient[1].
Idem porro cecinit:

Milites Sveinis et redeundi
facultatem et contubernales suos
amiserunt; profectio eorum
majorem in modum infelix fuit.
Unda, vento concitata,
eorum capita et crura
in arenoso maris fundo volvit;
æstus fremit circa viros auro ornatos[2].

Svein statim insequenti nocte cum copiis prælii superstitibus in Selandiam fugit; rex vero Magnus, navibus ad terram applicatis, extemplo suos exposuit; qui primo mane sequentis diei magnam vim animalium mactandorum ex terra reportarunt. Cujus rei mentionem facit Thjodolvus:

Heri videbam ingentia saxa
vi conjecta, quæ impetu
in aciem hostium ruebant;
icta lapide crania patuere.
Proræ navium ad mediam
terram applicuere; nos pecora
mactanda ad litus compulimus; Svein
solis verbis terram sibi non vindicabit[3].

---

[1]) Ordo: *Mögr Ólafs hins digra rauð a) áðan sjö skip: jöfurr vá sigr; konur or sogni fregnat slikt hnipnar b).*

a) *hrauð*, id., *Hk.*, usitatius. *b*) *nipnar*, id., *H.*

[2]) Ordo: *Sverð-gautar a) Sveins b) hafa c) mist heimkvámu ok d) sinna e) förunauta f); för heima er of-orðin g) heldr hörð. Unnr, [æst hreggi, hrærir þeirra hausa ok leggi h) á sandagrunni: sjór þýtr um i) árum auðs k).*

a) Sic *Hk.*; *gotu*, *A*; *götur*, *H.* *b*) *Sveinn*, *H.* *c*) *hefir*, *H*, forte: *Sveinn, sverðgötr, hefir mist heimkvámu ok sína förunauta*, Svein, bellator, amisit, etc. *d*) *enn*, *H.* *e*) *sína*, *H.* *f*) Sic *H*, *Hk.*; *förunautar*, *A.* *g*) Sic *H*, *Hk.*; *horðin*, *A.* *h*) Quæ a signo sunt, ex *Hk.* desumta sunt. *i*) vel supra; *of*, *Hk.* *k*) *H* posteriorem semistropham omittit.

[3]) Ordo: *Ek sá gær a) harðliga kastat stóru grjóti, fór b)*

Rex Magnus confestim classem in Selandiam duxit, Sveinem insecuturus. Cujus copiæ cum Selandiam attigissent, Svein cum omnibus suis aufugit, rege Magno instante et fugientes persequente, et quotquot deprehendisset occidente. Sic Thjodolvus:

Virgines Selandicæ uno ore
quæsiverunt, qui clypeos tinctos
sangvine gestarent; verum est,
tales a multis gestatos esse.
Feminis data facultas est
per transversam sylvam decurrendi;
magna fugientium multitudo
Ringstados celeri gradu petiit[1].

Idem porro cecinit:

Alacer rex, Skaniensium
imperator, quem oceanus
circumfuso sinu cohibeat,
cervicem gessit luto aspersam.
Heri vexilla robusti dynastæ

---

fast á b) fylking þeirra: haus gein fyrir steini. Stafn c) hefir numit staðar d) í c) miðju e) laudi: [vér keyrðu f) strandhögg ofan; [jörð muna of-verða Sveins g) orðum.

a) geir, H, cfr. Scr. hist. Vol. 3, p. 152, var. l. *c.* *b)* Sic *Hk.; færa, A.* c) Sic *H, Hk.; stafni, A.* d) Sic *Hk.; staðr, A.* e) Sic *Hk.; miðjum, A.* *f)* Sic *Hk.; heyrandum, A.* *g) jarð muna Sveinn of-varða,* Svein terram non defendet, *Hk.,* quod præferendum puto.

[1]) Ordo: *Seluuds a) mær spurði einu orði, hver b) bæri blóðroðna c) skjöldu; satt er, at mörg öld átti svá. [Auðtróðu varð auðit at spróga yfir um skóg d); týmargr flótti bar titt iljar e) til Hríngstaða.*

a) Sic *Hk.; Selund, A.* *b)* Sic *Hk.; hver ve, H; hve* (dan. *hvo*), *A.* c) *blóðrauða, H.* d) *aur tráðu vèr áðan yfir of skóginn, gnógar,* lutum nuper calcavimus per sylvam, sat multas, *Hk.;* ubi *gnógar* ad sequ. *iljar* referendum. e) Sic *Hk.; ilja, H; illrar, A;* in *Hk.* existere h. l. lectionem *illra*, verum non est.

per terram et paludes ad mare
ferebantur; tela volantia per
tractum tumulorum spargebantur[1].

Tum Svein in Fioniam refugit, rex autem Magnus, Selandiam armata manu obiens, villas eorum, qui præcedente autumno in partes Sveinis transierant, inflammavit. Sic Thjodolvus:

Hac hieme dynasta sedem
regiam deserere coactus est.
Tu in terra defendenda haud
inanem operam collocavisti.
Liberali Magno contigit
agmini clypeato occurrere;
tum prope factum est, ut Knuti
e sorore nepos opprimeretur[2].

Præterea idem sic:

Thrandorum princeps, omnes villas
igni ac flammæ dari jussisti;
domos incendio absumsisti;
iratus villas delere ausus es.
Intime optimatum amice,

---

[1]) Ordo: *Snarr valdruðr a), harri Skánúnga b), [sem vátr haldi fyrir veigðu skauti a), bar c) saurstokkinn svira. Merki ins d) sterka jarls d) flugu gær c) mold ok mýrar fram at flæði f); flauga- g) dörr dreif um h) hauga i) slóð k).*

a) undr, nema allvaldr Lundar aldrprüðr fýrir haldi, mirum, ni augustus Lundi rex ei resistit, *Hk.* *b) mjök fjarri, H,* vix recte. *c) ber* (præs.), *Hk.* *d) jarlsins, A.* *c) geir* (ex *gæir*), *H,* vide supra huj. cap. stroph. 8. *f)* Sic *H, Hk.*; *flóði,* eod. sensu., *A.* *g) flaugar, H, Hk.* *h) of, Hk.* *i)* Sic *H, Hk.*; *auga, A.* *k)* Sic *Hk.*; *stóð, A.*

[2]) Ordo: *Jarl náði at eyða jöfra setr á vetri; þú lèzt eigi litla landvörn standa af þèr. Mildr Magnús mátti a) hitta i b) flokk c) und skildi; þá d) var nýtum Knúts nefa e), sem hann f) væri nær ráðinn.*

a) máttir, tibi contigit, *Hk.* *b) ok, Hk.* *c) folk, Hk.* T. 6. *d) þar H.* *e)* Sic *H, Hk.*; *næfa,* id. (*æ* = *e*), *A.* *f)* omitt. *H.*

dynastæ sectatoribus voluisti
infesta odia rependere;
illi vero præcipites aufugerunt[1].

Cap. 39. Rex Magnus, ut primum de Sveine rescivisset, copias in Fioniam trajecit. Cujus cognito adventu, Svein naves conscendit, in Skaniam navigavit, inde in Gothiam profectus est, et deinde se ad regem Svionum contulit. Rex Magnus in Fioniam escensione facta, multos incolarum rapinis et incendiis vexavit; omnes qui eo loco Sveinianarum partium erant, in diversa aufugerunt. Sic Thjodolvus:

Ventus flammas ex parietibus
quernis in cœlum subjectat
in terra superborum; accensus
ignis in regione australi furit.
Villæ in Fionia duplo altius
flammas vomunt; tecta corticesque
tectorii vim sentiunt. Norvegi ædes,
præsentibus domesticis, comburunt[2].

---

[1]) Ordo: *Ræsir þrænda,* [*þú lèzt a) gefa hverr b) rönu c) eldi ok d) eisu: namtu hyrfeld hús: þorðir reiðr meiða bæ e). Gjörr* [*vinr gæðinga f), þú vildir gjalda jarls g) fylgjörum h) skæðar i) dylgjur k*); *þeir rendu ört l) undan m*).

a) *lèt* (3. pers.), *H.* *b*) Sic *Hk.*; *hvert, A,* vide *c.* *c*) Sic *Hk.*; *rönd,* clypeum, *A*, i. e. *reiðr þorðir þú meiða rönd,* iratus clypeum lædere (i. e. strenue pugnare) ausus es; tum in sequ. cohærent: *þú lèzt gefa hyrfeld hús eldi ok eisu, namtu hvert.* *d*) *i, Hk.* *e*) Sic *Hk*; *þú, A.* *f*) *greiðlendinga, A,* obscure. *g*) *jall, H.* *h*) *fylgjarar, H*; *fylgara, A*; sequor *Hk.* *i*) Sic *Hk.*; *skeiðum, A*, i. e. *þeir rendu skeiðum undan austr,* illi fugientes orientem versus naves incitarunt; sed cetera non cohærent. *k*) Sic *Hk.*; *dylgju* (sing.), *H*; *dylgat* (forte i. q. *dylkat,* non celo), *A.* *l*) Sic *Hk.*; *austr, A,* vide *i.* *m*) *unda, H.*

[2]) Ordo: *Hregg a) hrindr b) glóðum upp c) í lopt af eiki-veggjum d) á e) hrokalandi f); of-unninn eldr leikr óðr suðr.*

Idem porro cecinit:

Femina! Sveinis milites, postquam
prælium commiserunt, hoc meminisse
et agnoscere debent: tres congressus
cum militibus bellatoris habitos.
Tela rubefacere expedit: in Fionia
pulcrarum feminarum facultas est;
agite, in armorum strepitum
instructo agmine procedamus[1].

His gestis rebus omnes incolæ Danici imperii regi Magno se subjecerunt. Qui, procedente vere, suis cum militibus in Norvegiam reversus est, ibique multum æstatis consumsit. Quo cognito Svein illico in Skaniam revectus est, adductis magnis ex imperio Svionum copiis, quem venientem Skanienses amice exceperunt; unde magna copia et navium et militum denuo auctus, [in Selandiam trajecit, hancque insulam, nec non Fioniam ceterasque omnes in potestatem redegit.

Cap. 40. Quod cum rex Magnus cognovit, extemplo comparatis navibus et copiis[2] in Daniam

Bærr á Fjóni logar hálfu hærra: ræfr ok næfrar þola g) nauð; Norðmenn brenna sali nærr hjónum.

a) *regg*, id., *Hk.* *b*) *rindr*, id., *Hk.* *c*) *af*, *H.* *d*) Sic *Hk.*; *-eggjum*, *A*; *-leggjum*, *H*, utrumque inepte. *e*) Sic *Hk*; *af*, *A*, cet. *f*) vel *hrókalandi*, si per contemtum dicitur, in terra longurionum; *rokalandi*, in terra (incendiis) fumanti, *Hk.* *g*) *þolir* (sing.), *H.*

1) Ordo: *Vefgefn a)! menn Sveins eigu þess at b) minnast ok c) kunna, sizt vágu d): þrennar e) stefnur f) manna víga Freys g). Dugir at rjóða vápn: [ván er h) fagrs fljóðs á Fjóni; verum framm í vápna glammi með fylktu fólki.*

a) *vegefn*, *H.* *b*) omitt. *H*, *Hk.* *c*) *at*, *Hk.* *d*) *voru*, *Hk.*; loquitur poëta prælium ad Arosum. e) Sic *Hk.*; *þeirrar*, *H*; *þar at*, *A.* *f*) *stefnu*, *H*; intelligit populationes in Jotia, Selandia et Fionia factas. *g*) i. e. regis Magni. *h*) Sic *H*, *Hk.*; *at eigu*, *A.*

2) Sic *H*; quæ inde ab signo [sunt, ignorat *A*, haud dubie incuria librarii omissa.

profectus est. Hic cum rescivisset, quo loco se Svein cum copiis continebat, adversus eum contendit. Congressi sunt loco, quod Helganesum dicitur; declinante in vesperum die cœptum est pugnari. Rex Magnus copiis quidem erat multo inferior, sed naves habuit majores multoque strenuioribus pugnatoribus instructas. Sic Arnor:

Fama celebratum audivi,
Helganesum nomen esse loco,
ubi late celeber pugnator
multas naves vastavit.
Primo vespere bellator
clypeos conseri jussit;
per totam autumnalem
noctem duravit prælium[1].

Prælium erat atrocissimum; procedente nocte strages effusius edi cœpta. Rex Magnus totam per noctem tela manu emittebat. Cujus meminit Arnor:

Princeps virorum, sapientia abundans,
hastas ulmeis instructas manubriis
in galeas vi involare fecit; ignem
splendentem mucrones vomebant.
Rex gladio, lima duriori,
durante Högnii procella

---

[1]) Ordo: *Ek hefi heyrt vitt a), at þar hèti Helganes, er hinn b) viða frægi vargleitir c) hrauð marga d) elgi vágs e). Öndvert f) rökkr g) bað h) rygjar i) reggbuss k) leggja saman raudir h); regni rógskýa l) hèlt m) haust- n) nótt gegnum* o).

a) Sic *H*; cerni non potest in *A*; *titt*, sæpe, *Hk*. *b*) *ens*, *F*. *c*) *vargteitr*, *H*. *d*) *margan*, *F*. *e*) *vor*, *F*. *f*) *öndurt*, id., *Hk*., *Edd. Snorr.* pag. 158. *g*) *rekkr*, id., *H*. *h*) Sic *H*, *Hk*., *Edd. Snorr.*; *báðir*, *A*. *i*) *rygja* (plur.), *Edd. Sn.* *k*) Sic *Hk*., *Edd. Sn.*; *regbus*, *A*; *Hk.* hanc vocem pro nomine proprio accipit, ego, Eddam Snorr. secutus, pro nomine appellativo, quo rex Magnus designatur. *l*) *rógskýara*, *H*, prave. *m*) *lèt*, *H*; *hest*, *Edd. Snorr.*, prave. *n*) Sic *H*, *Hk*., *Edd.*; *hirust*, *A*. *o*) posteriorem semistropham ignorat *F*.

non pepercit; tela dense
veprium instar volabant[1].

Sic Thjodolvus:

Sveinis milites hastis confossi
ceciderunt loco, qui dicitur
Helganesum; saucii viri,
morte digni, submersi sunt.
Eximius Mærensium princeps amenta
multarum hastarum tenuit; acer
imperator cuspidem hastarum
fraxineo manubrio instructarum rubefecit[2].

Ut hoc prælium paucis explicemus, rex Magnus victoria potitus est, Svein vero fugit, nave ejus inter proram puppimque defensoribus penitus nudata. Sic Thjodolvus:

Svein dynasta, vacua navi sua
relicta, inde aufugit, ubi Magnus,
populo amicus, periculosum
prælium cum eo commiserat.
Militum imperator aciem gladii
cruore rubefecit; sangvis in acutum
ensem manavit: rex, ut regno
potiretur, prælium commisit[3].

---

[1]) Ordo: *Drjúgspakr harri drengja lèt dörr, skept a) álmi, fljúga af þrek á hjálma: eldr glæddi af oddum. Hilmir b) lètat sparðan c) hneiti, þjel harðara d), Högna e) veðr í gegnum: járn flugu þykt sem þyrnir.*

a) *skeytlr, F*; *skeptr, H.* *b*) *hilmi, F.* *c*) *sparðar, H.* *d*) *arð aðra, F*, prave. *e*) *hugnar, F.*

[2]) Ordo: *Sveins ferð laut a) fyrir kesjum hitzik b) er heitir Helganes; sárir rekkar, verðir bana, sukku. Mætr Mæra gramr hèlt c) í snæri d) mörgu spjóti; örr e) landreki rauð dörrum f) odd studdan aski.*

a) Sic *H, Hk.*; *hlaut*, h. l. prave, *A.* *b*) *hizig*, id., *H, Hk.* *c*) *hlaut, H.* *d*) *snæro*, in pugna, *Hk.* *e*) Sic *F, H, Hk.*; *ara, A*, prave pro *avr.* *f*) Sic *F, H, Hk.*; *döprum, A*, prave.

[3]) Ordo: *Jarl flýði a) þaðan af auðu b) skipi sinn, þar er c)*

Tunc omnes naves Sveinis vastatæ erant, quibus rex Magnus potitus est, quemadmodum testatur carmen dimetrum:

> Strenue rex! prælium, cujus memoria
> semper superstes erit, dum orbis
> habitabitur, commisisti: corvus plumás
> cruentas in pugna Helganesia quassavit.
> Rex populo note! naves eorum
> omnes ad unam expugnasti; tu vero
> postea majori victoria potitus es; nam
> dynasta se regno spoliatum sensit[1].

Sic Arnor:

> Rex, infestus Skaniensibus,
> quot naves Björni fratri erant,

Magnús otvin d) gerði Sveini meinfært morð. Herkonúngr rèð hrjóða e) hneitis egg í sveita: blóð sprændi á brýndan brand f); gramr vá til landa.

a) *hlýði, F,* mendose. b) *öðru, F.* c) omitt. *H.* d) *ottvin, H*; *ættvin, F*; *Hk.* T. 3. habet h. l. *ótyun*, quod vertitur danice *stræbsom* (gnavus, strenuus), lat. contra contendens; *Hk.* T. 6. p. 141. vertit: propositi tenax, non duplex, non hæsitans, certus agendi, quod repetitur ibid. p. 85, ubi vertitur „ingratus," quam interpretationem temere secutus sum Scr. hist. Isl. Vol. 4. p. 178. Sed lectio *ótynn* unius tantum Cod. auctoritate nititur, cum plurimi et optimi Codd. legant *otvin* v. *ottvin.* Nunc persvasi mihi, vocem *otvin*, *ottvin*, secundum pronuntiationem veterum, nihil aliud esse quam *áttvin*, *ættvin* (i. e. amicus virorum, populi), apocopato *r.* e) *rjóða,* id., *F,* usitatius. f) *brandi*, *F,* quod procederet, si ante legeretur *brýnda.*

[1]) Ordo: *Keppinn vantu yggjar veðr, þatz æ mun uppi, meðan heimrinn byggist; valgammr a) skók blóðugt fiðri í vápna rimmu viðr Helganes. Ýngvi, þjóðum kunnr b), fèkktu öll þeirra flaust með hringum, en þú tókt síðan c) við meira sigri: jarl vissi sik missa foldar.*

a) *vargr,* lupus, *F.* b) *kunnt, A*; *kuðr,* id., *H*, *kyrr,* quietus, *F.* c) *siðar, F.*

ad unam omnes cepit; milites
eo tempore istuc remigarunt[1].

Hoc prælio multi ex militibus Sveinis occubuerunt, quidam ex navi se dejecerunt, et in aquis perierunt. Sic Arnor:

Corpora militum Sveinianorum,
arena conspersa, ab austro in litus
ejiciuntur. Cadavera ante latam
Jotiam natantia conspiciuntur.
Lupus acervum cadaverum ex
aquis extrahit, et corpora in maris
recessibus discerpit; filius
Olavi aquilæ famem compescuit[2].

Rex Magnus ac sui magnam ibi prædam armorum et vestium consecuti sunt. Sic Thjodolvus:

Ex acri illa pugna, quæ hac æstate
in Dania facta est, clypeum Gothicum
et præterea loricam, quæ mihi
sorte obvenerunt, domum retuli.
Splendida arma adeptus sum;
sed antea modestæ feminæ
significavi, me galeam obtinuisse,
quo loco rex fortis cum Danis conflixit[3].

---

[1]) Ordo: *Gramr, ballr a) Skánúngum b), tók allar skeiðr Bjarnar bróður c) með hríngum; þjóð reyri þíngat þeirrar tíðar.*

a) hallr, favens, *F,* adverso metro. *b) kann úngum, F,* prave. *c) bróðir* (nomin.), *F*; intelligitur Svein Ulvi filius, qui fratrem habuit, nomine Björnem, vide *Fornm. S. XI*, 183.

[2]) Ordo: *Söndug lík Sveinsmanna rekr sunnan a) at ströndum b): öld sèr, hvar hræ fljóta fyrir c) utan vitt Jótland. Vitnir dregr valköst or vatni, vargr slítr búk í vikum; sonr Ólafs vann bannat ara föstu d).*

a) omitt. *F. b) ströndu* (sing.), id., *H. c) til, H. d) föstum, F.*

[3]) Ordo: *Ek bar ganzkan skjöld ok þó brynju a) heim frá hjaldri: mèr hlaust til þess; rammr b) sverðdynr varð suðr c)*

Posthæc Svein in Skaniam refugit, omnesque sui, qui ex prælio evaserant. Quos fugientes rex Magnus ac sui diu insecuti, ad loca mediterranea pepulerunt, hostibus et colonis parum resistentibus. Sic Thjodolvus:

Olavi filius suos nuper
in terram escendere jussit;
Magnus magno cum splendore
alacer navibus egressus est.
Rex strenuus arma inferri jussit;
strepitus in Dania increvit:
equus per tumulos cito gradu
fertur ab occidente Skaniæ[1].

Dein rex Magnus omnes pagos armata manu circumiit. Sic Thjodolvus:

Jam Norvegi signa Magni proferre
incipiunt; nos sublimia vexilla
cominus sequimur; haud raro
clypeum meum in latere gesto.
Longurio haud vacillante pede
austrum versus per Skaniam
Lundum properat, quo itinere
nullum ego pulcrius inveni[2].

á sumri. Ek gat frið vápn; en ek sagða d) kyrru fljóði fyrr: ek fékk þar hjálm, er e) harðfengr hilmir barði Dani.

a) Sic *Hk.*; *brynjur* (plur.), *A*, cet. b) *ramr*, id., *Hk.* c) Sic *H*, *Hk.*; vox detrita est in *A.* d) *þat*, add. *Hk.* e) *en*, *H.*

1) ex Skania, *Hk.*

2) Ordo: *Nú taka Norðmenn knýa merki Magnúss: vèr a) gaungum nær staungum b); berkak c) minn skjald sjaldan á hlið. Sláni skýtrað d) skeifum fœti e) yfir Skáney f) suðr til Lundar; fár fegri vegr er fundinn mèr.*

a) *vær*, id., *H.* b) *staungu* (sing.), *H.* c) *berkað ek*, id., *H.* d) *ek*, add. *H*, prave; *skýtr*, *Hk.*, omissa negatione, cum optimi Codd. (*A*, *E*) dent *skýtra.* e) Haud intelligi puto regem Sveinem, ut putat *Hk.* T. 3, describitur tantummodo

Hoc idem commemorat Arnor, regem Magnum navibus in Skaniam egressum, populationem fecisse:

Rex eximius, Hördorum
princeps, exscensionem strenue
fecit, et prælium commisit
in concremata Skania[1].

Post hæc pagos incendere cœperunt, incolis huc illuc dilapsis. Sic Thjodolvus:

Nos tela, glaciei instar frigida,
a latere regis satis tulimus.
Jam extremæ spes Skaniensium,
multum creditæ, celeriter vacillant.
Rutilus ignis, nostra opera
excitatus, lata per oppida
vehementer furit; cujus mali
auctores sunt strenui incensores[2].

Idem porro cecinit:

Lucidus ignis habitacula
hominum quam celerrime comburit:
rex magno stipatus exercitu
Daniæ territoria devastat.
Milites, in pugna animosi,
scuta per saltus Daniæ portant.

---

plana via per Skaniam, qua vel inepte gradientes incedere sine offensione possent. *f*) *Skáni*, id., *Hk.*

[1]) Ordo: *Ítr a*) *Yngvi vann nóga uppgaungu: hilmir Hörða b*) *gerði hjörþey á logandi c*) *Skáneyju.*

a) *týr*, *F.* *b*) *harða*, strenuam, *F.* *c*) *log*, *F.*

[2]) Ordo: *Bárum a*) *at æru b*) *ísköld járu á c*) *lið vísa; skeyttar* *) *lokvánir Skáuúnga riða nú skjótt. Rauðr bráðr eldr* [*leikr of breiðan bý d*) *at váru ráði, en ernir atblásendr valda því vási.*

a) *báru* (3. plur.), *H.* *b*) *ærnu*, id., *H*, *Hk.* *c*) *í*, *H*, i. e. in milites dynastæ conjecimus. *d*) Sic *Hk.*; *raun bekkr um breiða*, *A*, quod cum ceteris conciliare nequeo. *) Versio hujus commatis incerta est.

Victoriam obtinuimus; nos saucius
miles Sveinianus insequentes fugit[1].

Præter hæc idem cecinit:

Rex Fjördensis provinciæ campum
Fioniæ antea calcatum
pertransivit; utriusque partis
milites se minime occulte gerunt.
Milites Sveiniani, qui nunc fugiunt,
res insigniter a Magno gestas
negare non poterunt. Hoc mane
multa signa in terram feruntur[2].

Svein orientem versus in Skaniam fugit, rex vero Magnus naves repetiit, ut eum fugientem insequeretur, et magna festinatione iter comparavit. Tunc Thjodolvus:

Nihil, quod bibam, habeo
præter hanc aquam marinam;
principem sequens, potum
ex salso mari haurio.
Latum Skaniæ latus nobis

---

[1]) Ordo: *Bjartr eldr svíðr sem bráðast um búðir seggja: siklíngr eyðir miklum her bygð í Danaveldi. Hjaldrs móðr halr a) berr skjöldu um a) heiði Danmarkar; vèr hlutum sigr, en Sveins menn b) renna sárir fyrir.*

a) Sic *Hk.*; *hölt um*, *H*; *höltum*, *A.* *b)* Sic *H*, *Hk.*; *mönnum*, *A.*

[2]) Ordo: *Fjörð-fylkir lèt verða spornat mó forntraddan a) á Fjóni; lið b) leynist c) lítt miðli skjöldúnga. Menn Sveins, þeir er nú renna, munat synja stórra verka fyrir Magnús: mörg merki fara upp í morgin.*

a) forntroðna, eod. sensu, *H*; sed videtur hæc stropha referenda ad cap. 41, str. 2. *b) liðs*, *Hk.* *c) leynumst*, *Hk.*, i. e. *leynumst lítt miðli skjöldúnga liðs*, ego inter milites principum minime occulte versor. *Hk.* construit: *lítt leynumst fjörð miðli skjöldúnga liðs á Fjóni*, sane non ignota mihi est discordia, quæ erat inter milites principum in Fionia. Ego construxi *Fjörðfylkir*, per Tmesin, pro *Fjarða fylkir*, v. *Firða fylkir*, rex Fjördensis provinciæ, i. e. rex Norvegicus; eodem

in conspectu est. Rusticos
Svecos parum metuimus. Magnum
pro rege laborem perferimus[1].

Svein in Gothiam profugit, indeque se ad regem Svionum contulit, apud quem hiemem magno habitus honore transegit.

Cap. 41. Rex Magnus, ubi ex Skania solverat, cursum reflexit, primoque Falstriam accessit, ubi escensione facta populationem fecit, multosque incolarum, qui ad Sveinem transierant, occidit. Cujus rei meminit Arnor:

Rex pœnas rebellionis
a Danis haud parce sumsit;
animosus princeps copias
Falstriæ incolarum prostravit
Juvenis princeps aquilis
ingentes corporum acervos
cumulavit, satellites vero
bellatorem egregie juverunt[2].

Deinde rex Magnus classem in Fioniam duxit, ibique populationem fecit, et igne ferroque grassatus est. Sic Arnor:

---

modo *fjörðhjörð* ponitur pro *fjarða hjörð*, grex sinuum, haleces, *Hk. V*, 18, 2.

¹) Ordo: *Ekki hefik annat at drekka, en þenna sjó: [ek sýg a) sylg or söltum ægi, er ek fylgi jöfri. Við Skáneyar síða liggr fyrir oss, en uggum allitt Svia körlum; höfum drýkt b) vás fyrir vísa.*

a) *sýkr* (rect. *sýkk*), *H.* *b*) *drjúgt*, id., *Hk.*; *drýkt* tam pro adjectivo, quam pro verbo accipi potest, eodem sensu manente.

²) Ordo: *Allvaldr réð eigi eklu gjalda Dönum svík: fullhugaðr tiggi a) lèt Falstrbyggja b) lið falla. Úngr auðar c) þorn hlóð þúnga valköstu fyrir örnu d), en hirðmenn tæðu hála e) ara grenni f).*

a) *tyggja*, *F*, rectius *tyggi*. *b*) *Flastrbyggva*, *H*, prave. *c*) Sic *H*, *Hk.*; *auða*, *A.* *d*) *örnum*, *H* *e*) Sic *H*, *Hk.*; *hæla*, *A.* *f*) posteriorem semistropham nescit *F.*

Secundum hæc rex virorum, loricam
tingens, cum terram denuo repetisset,
splendida signa rubefecit in Fionia;
incolæ rapinis ab eo vexati sunt.
Dicant homines, qui imperator,
in lividum corvum æque benignus,
vigesimum annum compleverit;
rex animosum cor nactus est[1].

Hoc loco significat poëta, hanc hiemem vicesimum annum ætatis Magni regis complevisse, eumque vere proxime subsequenti viginti annos habuisse. Tum multas per terras magna inclaruit fama ob potentiam et civium gratiam, erga plebem liberalitatem et munificentiam in principes ac potentiores: ex quo tempore dici vere potuit ab universo populo animitus esse dilectus. Rex Magnus ea hieme in Dania se continebat, rebusque quietis utebatur; multa in Dania prælia commiserat, et ex omnibus victor discesserat. Oddus Kikinii poëta memoriæ prodidit, regem Magnum prælium cum Vindis in saltu Lyrskogensi commisisse, et proxime post cum Sveine Ulvi filio paulo ante festum Joleuse conflixisse. Oddus cecinit:

Ante festum Michaëlis prælium,
hominibus noxium, commissum est;
quo Vindi cecidere, corvique
edita strage assvefacti sunt.

---

[1]) Ordo: *Hríngserks lituðr [rauð næst frán a) merki á Fjóni, grâmr dróttar sótti fold; herr galt ráns frá b) hdnum. Minnist c) öld, hverr d) herskyldir e), jafnþarfr blám hrafni, fylldi annann f) tög; hilmir gat ört hjarta.*

a) bar cun framm, adhuc promovit, *Hk.* *b) fyrir*, *Hk.* *c) mluti*, recordati sunt, *F.* *d) hvert*, num, *F.* *e) herskyldi*, id. (ut puto), *H*; *herskildi*, id., *Hk.*, sed membr. *Á*, *E*, *herskildir*, id.; sed forma *herskyldir* metro melius convenit. *f)* Sic *H*, *Hk.*; *anuarr*, *A.*

Paulo vero ante festum Jolense
altera atrox pugna ad anstrum
ante Arosum facta est, sævo
prælio inter viros coorto[1].

Sic Arnor:

Olavo nate, carminis materiam
suppeditasti, quam versibus persequar;
jam poëmatis deducendi facultas est:
tu bellonæ accipitres cruore potas.
Rex streme, qui clypeum
attenuas, quatuor prælia
una hieme commisisti;
tu, rex, præpotens existimaris[2].

Hæc prælia rex Magnus cum Sveine Ulvi filio commisit et ex omnibus victor discessit (ut hi versus testantur):

Prælia feliciter commissa sunt,
quemadmodum Magnus valuit;
rex bellicosus occasionem mihi
præbet victoriæ celebrandæ.
Princeps Thrandorum gladium

---

[1]) Ordo: *Fyrir Mikaels a) messu vas b) manngrimm c) rimma háið d): Vindr fèllu, en hrafnar e) vöndust þar f) valtafni g). En önnur óhlitulig h) varð litlu fyrir jól fyrir sunnan i) Arós: grimm k) gunnr hófst upp með gumnum.*

a) *Mikjáls*, id., *Hk.* b) *H, Hk.; var*, *A.* c) *málmgrimm*, ferro sævum, *Hk.*; *marggrimm*, valde atrox, *F.* d) *háin*, id., *H, Hk.* e) *þjóðir*, viri,. *Hk.* f) *mjök*, *Hk.* g) *vápnhljóði*, armorum strepitu, *Hk.* h) *æhlitulig*, *F*; vertunt: incommoda vel non sufficiens (decretoria). i) omitt. *H.* k) omitt. *F.*

[2]) Ordo: *Hefnir Ólafs, fenguð yrkis efni, ek geri slikt at málum: nú mun kvæðit a) aukast; þù lætr Hlakkar hauka drekka hrælög. Frækinn b) rýrir randa reyrar c) setrs d)! þù hefir gervar fjórar örva hriðir á einum vetri; þù, allvaldr, ert kallaðr ofvægr e).*

a) Sic *H, Hk.*; *kveðit*, *A.* b) *frækn of*, *Hk*, eod. sensu. c) *reyra* (plur.), *Hk.* d) Sic *Hk.*; *setr*, *A.* e) Sic *H, Hk.*; *ofvegr*, *A.* Nescit hanc stropham *F.*

assidue cruentavit. Dein, tribus
commissis præliis, victoriam
præmii loco adeptus est[1].

Post hæc rex Magnus et Daniæ et Norvegiæ imperavit[2].

Cap. 42. Postquam rex Magnus Daniam in potestatem suam redegerat, legatos in Angliam misit. Qui ad regem Jatvardum delati, literas regis Magni sigillo munitas attulerunt; quarum literarum, præmissa regis Magni salute, tale erat argumentum: haud dubie audivisti pactum illud, quod Knutus Hördensis et ego inter nos fecimus, ut utercunque nostrum sine mascula prole supervixisset, is provincias et cives, qui alteri fuissent, possessione et ditione teneret. Nunc evenit, quod sine dubio audivisti, ut totum Daniæ imperium mortuo Knuto Hördensi acceperim; qui cum moriens[3] non minus Angliam, quam Daniam, possideret, Angliam secundum pacta legitima meam esse contendo. Quare postulo, ut mihi regnum cedas; alioqnin id ipse armata manu, tam Daniæ quam Norvegiæ opibus adjutus, repetam; tumque is nostrum, qui victoria potitus fuerit, regno imperabit. Quibus literis cognitis, rex Jatvardus alias vicissim literas ad eum dedit, hujus argumenti: omnibus hujus terræ incolis notum est, me juvenem patre orbatum, rege Adalrado, qui jure hæreditario, tam

---

[1]) Ordo: *Hildr háðist góðu heilli, sem Magnús vildi; sóknstærir a) selr mèr a) færi a) at þylja um sigr. Buðlúngr þrænda rauð iðula brand; síðan bar hann hærra sköld at b) gjöldum, ept þrenniu c) hervíg.*

a) Sic *Hk.*; *sóknsterkr framarr merkjum, A,* qui versus huc non pertinere videtur; *sóknsterkum jöfurr merkjum, H.* b) *á, H.* c) Sic *H, Hk.*; *þrennan, A.*

[2]) Hoc caput in *F* multo brevius est. [3]) antequam mortuus esset, *H.*

apud veteres, quam recentiores recepto, hoc regnum possedit; cum vero tenera essem ætate, frater Jatmundus regiam dignitatem me prior accepit, quod leges hujus terræ postulare novi; erat enim me natu major. Deinde Knutus senior, adducto hanc in terram Danorum exercitu, regnum nobis a majoribus relictum armis occupare studuit; et factum tandem est, ut is unacum fratre Jatmundo rex Angliæ crearetur; neque post ita multo rex Jatmundus mortem obiit, quo sublato rex Knutus, vitricus meus, totum regnum suæ ditioni adseruit. Ego vero etsi filius essem regis Adalradi et Emmæ reginæ, tamen honoris titulo carui; cui cum auxilia ad recuperandum imperium offerrentur, credere malui, benignitatem divinam mihi regnum, quo dignus essem, destinaturam, sed eam ob rem animas christianorum hominum aut corpora perdere nolui. Interim ætas et seculare imperium Knuti regis præteriit, quo exstincto filii ejus reges electi sunt, et primo quidem Haraldus; ego vero etiam tum, ut antea, imperio carui, omnique majorum possessione dejectus fui; atque æquo animo rem tuli, dum [enim in imperio[1] esse Deo placuit; neque multum temporis præteriit, antequam Haraldus fato fungeretur. Tunc rex creatus est Knutus Hördensis, alter filius Knuti senioris, mensque eadem ex matre frater, qui cum rex esset Danici imperii, non sibi visus est auctoritatem quantam voluisset adeptus, nisi tam Daniæ, quam Angliæ rex esset; scilicet eo tempore regnum ita demum justa ratione inter me et illum, fratres, dividi existimabatur. Sicque quartum accidit, ut, creato Angliæ rege, nullo honoris titulo ornarer, tanquam equitis alicujus pedissequus essem; neque tamen quemquam esse puto,

[1]) rem sic, *H.*

qui dicere possit, me pejus [aut superhius[1] fratri, regi Knuto, servivisse, quam qui [generis ratione[2] nullum habuere jus imperii. Paulo post frater Knutus Hördensis obiit; tunc universus populus auctor erat, ut rex crearer: fui in solio collocatus et rex solemniter inauguratus; inaugurandus jusjurandum interposui, me jus divinum et civile observaturum, pro legibus et justitia moriturum, potius quam malorum insolentiam perpessurum; sic auctoritate Dei et legum civilium huic regno sum præpositus, ut suum cuique adjudicem et vim reprimam. Jam vero, rex Magne, si hoc me regno, quod mihi hæreditarium est, spoliare cogites, ea de causa, quod tibi non amplum satis videaris imperium habere, qui Norvegiæ, regno a patre relicto, solus imperes, et jam imperium Danicum ditioni tuæ adjeceris: jam si meum regnum (inquam) concupiscis, et bellum mihi inferre cogitas, probabilius est, me exercitum contra te non contracturum, verum regis Angliæ titulum gerere tibi non licebit, neque ullum tibi obsequium ab incolis præstabitur, nisi mihi caput præcideris. Legati ad regem Magnum reversi, has ei literas reddiderunt. Cum vero rex Magnus cognovisset, quantam ægritudinem, quam diuturnas difficultates rex Jatvardus, antequam rex factus esset, honoris adipiscendi gratia, pertulisset, atque intelligeret, quantopere Deum amaret: a suscipienda hac expeditione destitit, verissimum esse testatus, satis sibi amplum imperium esse, si Deus hujus fructum sibi concederet, illudque solum accessurum, si augendo curam adjiceret, ut vicissim rem multo majoris pretii, salutem et spem in Deo omnipotenti reponendam, amissurus foret, si Jatvardum, tam egregium principem Deoque

[1]) omitt. *H.* [2]) si cetera spectantur, *H.*

carum e medio sustulisset. Exinde uterque regum suum regnum magno honore ad mortem usque administravit.

Cap. 43. Tradunt virum quendam, præfectum Magni regis, ipsique cognatum, nomine Thorkelem Dyrilem, falso apud regem delatum fuisse: huic crimini datum est, quod quanta regi debebantur vectigalia non reddidisset. Rex multis comitatus, ad villam Thorkelis, ipso nec opinante, profectus est, quod eum crimini voluit implicare neglecti convivii. Verum res aliter cecidit; nam Thorkel regem optime excepit, et magnificentissimum instauravit convivium. Rex subtristis erat. Quare Thorkel die quodam[1], remotis mensis, regem adiens sic locutus est: ægre fero, domine, quod tam tristis es, te enim bono animo excipere volui. Jam accedas velim, si tibi oblectamento est, cædere boves aut capros, quos ad convivium mactare opus est. Cui rex: quidni experiamur? Exeunt; veniunt ubi ingens stabat hircus. Rex cervicem capri ense ferit, telo ad secandum inutili. Heic mira res accidere visa: excussi ex hirco nummi aliquot argentei. Qua re iratus rex, infit: hoc equidem verissimum crediderim, te, Thorkel, admodum cupere, tam parvis quam magnis in rebus, me afficere contumelia. Thorkel respondit: haud ita est, domine; ego jam senex sum et canis albeo; aliquot regibus, quo potui studio, apparui: primo regi Olavo Tryggvii filio, cognato meo, quem omnium hominum maxime amavi; deinde cum patre tuo versatus sum, qui sane de me non suspicatus esset, fore, ut filium ipsius defraudarer. Jam vero cum experientia doceat, multa aliter se habere, quam sermo tulerit, fieri potest, ut non tam infidelis reperiar, quam ad te

[1]) convivii, add. *H.*

invidiosi homines detulerunt. Nam post cædem patris tui, domine, in mala tempora incidimus, tyrannidem Alfivæ, qua regnante nullius non hominis facultates in periculo versabantur. Hic ego metuens, ut possessiones regias, meæ fidei commissas, conservare possem, cum scirem harum reditus ac vectigalia jure tua esse: hoc ego consilii cepi, ut hanc pellem caprinam argento complerem; quo factum est, ut pecuniam ab Alfiva ejusque rapinis intactam servare potuerim. Accipe nunc, o rex, vectigalia tua; ego vero mihi non videor pecunias tuas depeculatus, ut calumniatores tibi indicarunt. Rex, videns hanc ingentem esse pecuniæ summam, eum adfatus est: amo te, quod hæc tam fideliter et probe curasti; volo te meum esse procuratorem et præfectum, ut antea; incertum enim est, an vir pari virtute in tuum locum sit successurus. Sic reconciliata gratia digressi sunt, amicitiam, quoad utrique vixerunt, non dissolventes[1].

Cap. 44. Accidit aliquo tempore, ut vir quidam magnæ staturæ et ætate aliquantum provecta regem Magnum adiret, petens, ut sibi aliquantum pecuniæ daret, quod nimis liberalis appellatus esset. Quæ mihi tecum necessitudo? rex ait. Ille: non magna quidem, domine, sed pro dignitate tua. Rex dimidiam jussit sumi selibram (argenti) ponderatam, eique dari. Qua accepta ille: liberale munus, domine; plus tamen in saltu Lyrskogensi exspectaveram. Rex: tune is es, qui mihi consilium dedisti obtruncandi Regbusi, magni illius viri pagani. Ille se cum esse confirmavit. Rex: itaque hanc armillam dono accipe; detractamque brachio armillam auream ei porrexit. Vir: regium munus, domine;

[1]) Thorkel eo tempore magno natu erat, et semper in bonis viris est numeratus, add. *H.*

sed nulla me cogit necessitas, ut accipiam. Hæc dicens brachio detrahit tres eximias armillas aureas, regique loquitur: peto, domine, has armillas a me ut accipias, quas tibi dono, quod tam liberaliter et humaniter obsecutus es consiliis meis, quæ tibi nimia usus libertate dedi; ceterum longo tempore cum patre tuo militiæ versatus sum, quem ut memet ipsum amavi: ubi vero tui nominis celebritatem quotidie audivi, cupido me cepit tui visendi, quod scire volui, quantum ejus ingenium referres; ego gnatique mei in amicitia tua esse cupimus, pecunia vero non egemus. Cujus sermonem et munera rex benigne accipiens, suam ei integram amicitiam pollicitus est; quo facto digressi sunt.

Cap. 45. Erat vir nomine Thorstein, filius Halli Sidensis; is regnante Magno Bono ab Islandia in Norvegiam trajecit, et in numerum aulicorum adscitus, regem sibi amicissimum expertus est. Accidit aliquando, ut Dublinum mercandi gratia peteret, non impetrata regis venia, neque persoluto, quod quæstor regius exegerat, portorio. Thorstein dixit, neque se debere, quod aulicus esset, neque comites suos, portorium solvere, quare pecunia remissius exigebatur. Ita comparata re, rege ea vice non convento, in Islandiam reversus in villa sua consedit. Rex Magnus, omni re cognita, se ipsi Thorsteini remissurum portorium, non comitibus ejus dixit: neque memini, inquit, me [id pollicitum esse[1]; illud vero majoris momenti judico, quod nostra venia non impetrata profectionem Dublinum suscipere ausus est; quam ob rem Thorsteinem extorrem declaro, ut alios deterream, ne leges violent, etsi magni nominis sint. Proxima post æstate Thorstein ab Islandia in Norvegiam pro-

[1]) sic antea fecisse, *H.*

fectus, gregem equarium eximiæ bonitatis adduxit; navem in Thrandheimum appulerunt. Incolæ, dictis regiis permoti, se alieniores ab Thorsteine præbuerunt, quare hic solus cum suis se intra parietes continuit; grex equarius extra oppidum [in campis Ileusibus[1] pascebatur; huc Thorstein se singulis diebus conferre solebat. Aderant eo tempore in oppido Einar Arcipotens et Eindridius, filius ejus. Die quodam Einar per oppidum animi causa ambulavit; devertens in campus Ilenses, in equus incidit, eosque magnopere laudavit. Cum inde reverti vellent, Thorstein advenit, Einarem salutavit, et quæsivit, an ei placerent equi. Ille sibi probari affirmavit. Itaque velim, inquit Thorstein, ut equos dono accipias. Einar se accipere velle negavit. Thorstein: atque scio, te munera accipere a viris mei similibus. Einar: hoc quidem verum est, [nunc autem res tua in magno versatur discrimine, quo oculos convertimus[2]. Itaque res ita sit, ait Thorstein. Quibus dictis digrediuntur. Paulo post Eindridius exiit, equos inspecturus; eos magnopere laudavit, negans se admissarium speciosiorem[3] vidisse, et cujus essent quæsivit. Interea Thorstein adveniens: si tibi equi probantur, libenter velim, ut eos dono accipias. Accipit Eindridius et pro munere gratias egit. Ubi vero pater ac filius convenere, Einar testatus est, se magno merere voluisse, ne equos accepisset. Eindridius [rem ita esse[4] negavit, videri sibi Thorsteinem hominem quantivis pretii. Einar contra: haud satis bene nosti, inquit, regis Magni, alumni mei, pertinaciam, si putas factu facile esse, Thorsteinem cum eo in gratiam re-

[1]) omitt. *H.* [2]) sed non audemus (accipere), eo quod rex tibi iratus est, *H* [3]) res ejus generis pulcriores, *H.* [4]) sibi ita videri, *H.*

ducere; sed tamen periculum facere tibi licebit. Eindridius Thorsteinem ad se invitavit, qui hac hieme proximus Eindridio sedebat, magno habitus honore. Einar negotium Thorsteinis parum curabat, dicens, Eindridium bonam satisfactionem pro eo oblaturum[1], nec jam eam rem ad se pertinere. Rex Magnus brevi cognovit, quo se Thorstein receperat, et animadversum est, ei rem displicere; atque erant, qui ei dixerunt, indigne facere patrem ac filium, quos pluris quam alios provinciæ Thrandheimicæ incolas faceret, quod hominem ab eo proscriptum hospitio excepissent. His, qui hæc loquebantur rex paucis respondebat. Consverant pater ac filius compotationem Jolensem apud regem Magnum agere, quod se etiam tunc facturum, Eindridius patri significavit. Cui Einar: id tu quidem proprio arbitrio facere voles, ego vero domi remanebo, quod idem te facere magis expedire censeo. Eindridius, comite adscito Thorsteine, iter non eo minus apparavit: duodecim omnino iter ingressi, ad villam quandam venerunt, ibique pernoctarunt. Primo mane sequentis diei Thorstein, qui ex ædibus prospectaverat, inquit: adequitant villæ viri haud ita pauci, quorum princeps patri tuo, Eindridi, similis est. Atque sic erat: aderat Einar, qui Eindridio: rem oppido miram agitas, inquit, qui Thorsteinem in conspectum Magni regis adducere cogites; immo domum Gimsas redi, ego vero regem conveniam, qui ut ad satisfactionem accipiendam permoveatur, omnibus artibus opus esse censeo; novi autem utriusque vestrum, tuum ac regis, ingenium, non enim tu ita lingvæ moderabere, ut res successura sit; neque mihi tum facilius erit componere rem, [si adhuc ma-

[1]) offerre debere, *H.*

jora interveniant[1]. Ita factum est, ut Eindridius ac Thorstein reverterentur, Einar in oppidum se conferret; quem rex amice exceptum proxime se collocavit, et multis de rebus cum eo disseruit. Quarta festi Jolensis die Einar mentionem fecit cum rege de rebus Thorsteinis, ostendit se conditione velle rem componi, Thorsteinem hominem esse quantlvis pretii, se nulli rei parsurum, quæ quidem sua in potestate esset, quo magis vita donaretur et tutam in regno mansionem haberet. Rex respondit: non est, cur ea de re disseramus, invitus enim facio, ut te ad iram provocem. Hinc Einar (incepto) destitit[2], rex vero, simul ut aliis de rebus loqui cœperunt, hilarem se præbuit. Interea processit tempus usque ad octavum festi diem; tunc Einar rem iterum tentavit, eodem plane eventu, ut antea. Decima tertia festi Jolensis die Einar regem allocutus: etiam nunc petere volo, domine, de quo antea injeci mentionem, ut cum Thorsteine in gratiam redeas, qua de re meis te precibus aliquid tributurum spero. Cui rex: ea de re non opus est loqui; nescio, qui potueris in animum inducere, eum tecto hominem excipere, cui succensebam. Einar locutus est: putabam te deprecationibus meis pro unius hominis salute locum daturum, omni vero in re tuo volumus honori servire, quod usquequaque fecisse mihi videor; hæc autem Eindridii magis consilio facta, quam meo. Verum multa puto, antequam occisus erit, interventura; si enim tu ac gnatus meus inter vos contendetis, neque velis pro Thorsteine pecuniam accipere, sed adversus filium meum pugnare malis, tum ego, domine, in magna versor

[1]) cum res in majus aucta fuerit, *H.* [2]) et alia.n disputandi materiam sumsit, add. *H.*

rei expediendæ difficultate; neque tamen contra te arma laturus sum. At parum mihi recordari videris, quod in regnum Gardorum profectus te ab oriente reduxi, et nutricius tuus factus sum; ex quo tempore imperium tuum fulsi et confirmavi, et omni tempore animum adverti, quo pacto tuum possem quam maxime honorem augere. Nunc vero regno excedam, neque tibi unquam posthac opem feram; atque dicent homines, te hac omni re parum fecisse lucri. Hæc dicens Einar iratus surrexit et ex aula egredi cœpit. Rex confestim surrexit, et ab sede se proripuit eum insecutus, colloque ejus brachia injiciens: salve aveque, nutritor, inquit, nunquam fiet, ut nostra disjungatur amicitia; hominem in gratiam recipe, qua tibi ratione optime placuerit. Quo dicto animus Einaris mitigatus est, Thorstein vero in gratiam et amicitiam regis receptus est.

Cap. 46. Vir erat nomine Thorgrimus, qui Stadi in Rutafjördo habitavit, pecoribus dives, in re œconomica parum liberalis. Ei uxor erat Thorgerda, filii Kalvus et Grimus, artibus liberalibus satis instructi, [ad injurias vero proni et[1] infidelitate animi patrem referentes. Vir erat nomine Sigvatus, habitans Meli in Rutafjördo; huic uxor erat, nomine Gudruna, prudens et generosi spiritus; horum filius erat Rafn, parvo natu, pulcro corpore, statura magna. Sigvatus magnos sumtus fecerat, et, quamvis bonum agrum possideret, pecunias profuderat. Hic æstate quadam uxori significat, necesse sibi esse, partem agri vendere, ut ære alieno exiret, et oves lactarias coëmeret. Ea respondit: alia ratio in promtu est: tu potius armillam auream, quæ mihi est, quam agrum, vende, ut ære alieno

[1]) omitt. *H.*

exsolvaris. Sigvatus: itaque conveniendum puto Thorgrimum, qui pecorum copia abundat. Illa: dehortor, ne quid negotii cum Thorgrimo contrahas, est enim versutus et male fidus. Neque tamen eo minus Sigvatus Thorgrimum adit et loquitur: ea de causa adsum ut abs te[1] pecora emam. Cui Thorgrimus: pulcre. Sigvatus: hæc armilla aurea ad solutionem datur. Thorgrimus: indignum est[2], mundum uxoris alienare; vende mihi potius pratum illud, quod Pratulum Viride appellas; nam et prato et pascuis mihi opus est, tibi vero satis prati (etsi tantillum alienes) reliquum est. Sigvatus respondet: hoc quidem pratulum tibi vendam, nullam[3] vero aliis hominibus pastionem in agro meo permitto. Thorgrimus: age, jam negotium transactum esto. Sigvatus domum venit, negotium exponit uxori. Cui illa: hoc non transactum foret negotium, si res meo consilio gesta esset, nam ille, ut primum aliquam se particulam agri nostri possidere[4] existimabit, mox totum pastione pecorum absumet. Die proxime insequenti eo pecora, ab Sigvato coëmta, compulsa sunt. Ubi vero processerat æstas, Thorgrimus suis: jam nos haud parvam fecimus accessionem pratorum, audio vero ex feminis, pabulo carere oves lactarias, ideoque parvum fructum reddere; quare pecora nostra in agrum Sigvati pastum compellenda, hunc enim agrum mihi vindicavi. Sic factum. Quod cum Gudruna videret, locuta est: haud multum abs re aberravit conjectura mea; displicuit mihi hujus negotii transactio, quod male quoque cessit; nunc enim Thorgrimus servis negotium dat, ut prata nostra et fœnum pastione absumant. Cui Sigvatus:

[1]) aliquot, add. *H.* [2]) factum, add. *H.* [3]) nullis, *H.* [4]) aliquod jus agri nostri habere, *H.*

sæpe res docuit, Thorgrimum malo bonum rependere. Die quodam agressus Sigvatus boves Thorgrimi a metis fœni depellebat. Thorgrimus adveniens loquitur: audaciam jam sumit servuli similis. Quo dicto Sigvatum hasta transfodit, ut extemplo mortem oppeteret. Mox Thorgrimus domum se confert. Gudruna, de his rebus mox certior facta, mariti sepulturam curavit, rem clanculum peragens. Eo tempore Rafn, filius eorum, quatuor annos habebat; is sæpe patris mentionem fecit[1], et quæsivit, ubi esset. Mater eum mortuum esse, subitoque morbo[2] abreptum fuisse significavit. Paulo post Thorgrimus Gudrunam convenit et ita verba fecit: forsitan tibi videor aliqua subita invasione te læsisse, nunc vero cædem mariti tui expiare volo, meque tibi ejus loco offerre, cujus fidei si te committere non recusas, rerum inopia non laborabis. Ea respondit: optimum fuerit, ut sibi quisque nostrum vivat; non adeo sum virosa, ut mariti mei occisori jungi cupiam, neque id quidem, si uxore careres.

Cap. 47. Rafn apud matrem prædio quo diximus educatus est; erat statura viribusque insignis, comis et apud populum gratiosus et oblectationibus valde deditus. Stadum ludendi gratia ventitanti Thorgrimus benignum se præbuit, cujus benevolentiam Rafn grate accepit. Hic et Kalvus, filius Thorgrimi, semper colluserunt. Tunc temporis Rafn annorum erat quindecim; Kalvus, natu[3] major et viribus inferior, Rafnem durum expertus est, quod hic in ludendo se contentiosum præbuit. Die quodam Kalvus, ubi colluserunt: male nosti, Rafn, vires tuas temperare; tu eum quem pater exitum habebis. Cui

[1]) patrem nominavit, *H.* [2]) subitaque morte, *H.* [3]) aliquanto, add. *H.*

Rafn: frequenter usu venit, ut moriantur homines, quod mihi quoque accidet. Kalvus: celatus es, quid ei mortem attulerit; occisus fuit; hoc pater meus fecit, ego vero occidam te. Quo audito Rafn, nullo edito responso, discessit. Venit domum[1] tristis; quærit mater, quid causæ esset. Ille: tu mihi significaveras, patrem morbo[2] mortuum fuisse, Kalvus vero hodie mihi exprobravit, quod occisus sit; quod te celasse me miror. Illa: hoc ideo feci[3], quod mihi ætate immaturus videbare, potentesque viri ex adversa parte erant; nunc vero nihil refert, si ignis ab illis versatus fumum emittat. Rafn: quo loco pater compositus est? Illa locum jam concretum viridi cæspite confirmavit. Rafn: ego tamen ad eum locum accedam, et nunc lætus ero, cum verum resciverim, magnique interfuerit, fortem ab eo filium prognatum fuisse. Inde ludos, ut antea frequentavit, nemine animi tristitiam in eo animadvertente. Interea procedit tempus, donec octodecim annos compleverat. Tunc accidit die quodam, cum Rafn peracto ludo vestes induerat, ut Kalvus his eum alloqueretur: Rafni satius esse videtur, pilam pugno comprimere, quam patrem ulcisci. Cui Rafn: hoc jam mox fiet. Proripit se adversus Kalvum et eum mortifera plaga ferit. Thorgrimus locutus est: accidit res, ut exspectari poterat, neque tamen me decet, rem in medio relinquere. Rafn domum veniens matri cædem nuntiat. Ea magno constaturam dixit: nunc ego, inquit, filii jacturam, ut antea viri, faciam. Jam abi, nullam enim tibi opem ferre potero. Tum foras cum eo progreditur, eumque jubet secum tabernam intrare ab ædibus sejunctam, quæ in area stabat, ubi ampla erat ædes subterranea, omnibus rebus bene instructa;

[1]) vespere, add. *H.* [2]) subito, *H.* [3]) fili, add. *H.*

hanc ingressus, nulla re, qua opus erat, carnit. Postero mane Thorgrimus cum undecim viris eo advenit, Gudruna vero, quæ per noctem viros ex proximis villis adciverat, defensorum numero plus valuit. Heic Thorgrimus: eo nos consilio huc venimus, ut Rafnem, filium tuum, quæramus, quem tu nobis in manus trade. Gudruna respondit: danda tibi venia est, si occisorem quæras gnati tui, ille vero hic non adest; neque enim exspectari par erat, me aut valituram aut ausuram eum in proxima domo tueri. Ille contra: mihi quidem veri simile videtur, quamvis hic sit, te palam eloqui nolle, quare villam tuam explorare volumus. Ea respondit: ad hoc tempus in furibus non habita sum, quare ædes explorari veto, dum pauciores, quam hic adsunt, viros habes. Quo dicto viros ex ædibus se effundere jussit. Heic Thorgrimus: tu consilio non cares. Re sic gesta avehitur. Insequenti æstate Thorgrimus effecit, ut Rafn in comitiis universalibus proscriptus judicaretur. Erat in Rutafjördo[1] navis mercatoria oceano parata, quam duo Norvegi possederunt, quorum alteri nomen erat Einar, vir Nömudalensis, alteri Bjarnius. Einar erat dives[2], liberali ingenio, regi Magno Bono amicissimus; hujus fratri nomen erat Sigurdus, qui eadem atque ille navi vehebatur, ætate adolescens optimæque spei. Thorgrimus, simul ut ex comitiis redierat, ad navem equitavit; tum mercatores ad excurrendum omnino ferme parati erant. His ille: notum vobis facio, mihi unum esse proscriptum, nomine Rafnem, quem etsi vobis commendetur, moneo, ne per mare Islandicum avehatis. Illi dixerunt, facile sibi factu videri, malos homines abs se amovere. Paulo post mater ac filius ad navem veniunt, Einarem, dominum na-

[1]) cum hæc gererentur, add. *H.* [2]) pecunia, et, add. *H.*

vis, in terram evocant; quo convento, Gudruna: heic ad te adduco filium ancipiti implicitum periculo, qui, quamvis digna forti viro ausus nonnullis existimabitur, tamen viribus destituta sum ad tuendum eum contra Thorgrimum; proscriptus enim judicatus est. Quare a vobis peto, ut eum ab insula avehatis, sperans vos pluris æstimaturos hac in re nobiles ejus in Norvegia cognatos, causæque bonitatem, quam nimium contentionis studium et flagitium Thorgrimi, qui maritum meum insontem occidit, jureque occisum declaravit. Cui Einar: hic vir coram nobis haud magnopere laudatur, neque volenti animo facio, ut damnatos homines deveham. Tunc Sigurdus, frater ejus, locutus est: cur eum abs te repellere vis? observasne, quantam de se spem faciat, aut quam fortiter injurias sibi illatas ultus sit? age, veni ad me, Rafn, quanquam minus sit in me, quam in fratre præsidii; extemplo navem conscende, sumus enim omnino parati, cœlumque secundos ventos promittit; qui vero tibi cognati sunt in Norvegia? Rafn respondit: ait mater, Sigvatum poëtam fratrem suum esse. Sigurdus: ejus in me meritorum aliquis ut fructus ad te redundet, faciam. Idem subito pontes extrusit; dein ancoram sustulerunt, quo facto navis a terra recedere cœpit. Eo momento Thorgrimus e mediterraneis advenit, mercatoresque his verbis inclamavit: nunc opinor, fidem[1] migrastis. Sigurdus: nunc in conspectum prodi, Rafn; modico enim spatio Thorgrimus[2] abest. Rafn, conscensa oneris navalis strui, loquitur: tum modico spatio abesset, si securis mea ad eum pertineret. Bjarnius hortatus est, ut Rafn in terram exponeretur. Sigurdus contra: voluerim, si invitus in potestatem Thorgrimi tradatur, aliquos

[1]) mihi datam, add. *H.* [2]) nunc, add. *H.*

id malo successu conari, magisque necesse puto, vela tolli; quod et factum. Secundis usi ventis in Thrandheimum appulerunt.

Cap. 48. Vir erat nomine Ketil, cognomine Ripus (rupes), qui præfecturam oppidi regis nomine curabat; hujus uxori nomen erat Signya, filiæ Helga, quæ venusta et muliebrium artium perita erat. Cum vero mercatores ad suum quisque domicilium ab navi dilabi cœpissent, Einar Rafnem allocutus: conveniens esse puto, inquit, bene tibi facere, etsi ad officia non tam præceps fuerim, quam Sigurdus; si velis, ut mansionem tibi in oppido prospiciam, pecunias pro hospitio tuo expendam; hæc enim mihi in præsenti expeditior ratio videtur, quam ut domum meam concedas. Cui Rafn: tuo studio me obsequentem præbebo, si mihi bene cupias; statui neminem prior lacessere, sed illatas injurias et ignominiam atrociter ulcisci. Posthæc Ketilem conveniunt, cui Einar: hunc tibi hominem trado, quem liberaliter habeas velim; tu vero, Rafn, cum tibi placuerit et tempus erit, ad me venito. Rafn apud Ketilem versatus est; pauca loquebatur, alienis negotiis se non immiscebat, hilarem se præbebat iis, qui eum verbis alloquebantur. Crebro sermones cum Helga, filia Ketilis, habuit, quæ res patri primo non displicuit, suam enim vitæ rationem Rafn bene instituit. Sed brevi interjecto tempore Ketil, animum ad nutum improbitatis suæ et proprii ingenii convertens, uxori ac filiæ persvadere conatus est, Rafnem haud facilis esse ingenii, opus facere nolle, plus justo cum eis colloqui. Responderunt ambæ, illud moderate et recto exemplo fieri: eadem illi est, inquiunt, agendi ratio, atque antea, cum tibi bene placuit; bene enim callet cum bonis conversari. Ketil eas fascinatas esse

dixit; alieniori in Rafuem animo esse cœpit, et probrosiora de eo carmina composuit. Quod Rafn se scire dissimulavit. Mercatores quidam per mare occidentale in oppidum advenerant, qui eo tempore ad abeundum ferme parati erant. Hos die quodam Ketil accedens, significat, se servum habere, quem vendat. Illi id sibi commodum esse inquiunt. Tum is: in hoc negotio fraudem vobis non faciam; nam et mendax est, et multis aliis vitiis plenus; quare vobis opus erit, eum primo arcte[1] habere, et duro imperio coërcere. Multas alias res inter se permutarunt. Quo facto, Ketil domum suam regressus, Rafni: an mecum ad navem ambulare, atque te oblectare vis? Rafn: ego vero libenter te comitor, si bene[2] cogitas. Mercatores autem, ut primum Rafuem conspexerunt, obviam ei cucurrerunt et eum apprehenderunt. Ille manibus se tueri, et quærere, quid istoc ludi sibi vellet. Illi mox animadversurum dixere. Cum vero illis difficilior fieret ad obluctandum, eosque levi negotio amoliretur, dicentibus, hunc servum nimis lascivire, respondit: itane est? hic labor servilis meo ingenio[3] arridet, luctari, quamvis non antea æquo studio exercuerim. Mox unum ex iis corripuit, eoque se tuebatur, donec is omnem sensum amisisset. Tum Ketil in oppidum reversus est. Quem insecutus Rafn letali plaga sauciavit. Quo viso, mercatores quanta potuerunt celeritate abitum festinarunt, metuentes, ne cædis culpa in eos transferretur. Rafn se auctorem cædis palam declaravit, quo facto in ædes, quæ Ketili fuerant, regressus, matrem et filiam convenit, hisque significat, nunc id negotii peractum esse, quod earum secum convictum odiosum foret redditurum. Illæ rem male accidisse dicentes, fate-

[1]) duriter, *H.* [2]) mihi, add. *H.* [3]) maxime, add. *H.*

bantur hoc factum, si quid aliud, excusationem habere. Vestes et alimenta ei dederunt, monentes, ut magis regis iram, quam suam, metueret. Deinde per saltus et sylvas oberravit, conspectum hominum fugiens.

Cap. 49. Rex Magnus paulo post in oppidum delatus, cum hæc quæ gesta erant cognovisset, ira incensus in hæc erupit: nefarium est, Islandos hanc in terram eo consilio proficisci, ut procuratores nostros aut præfectos[1] occidant; quare eum, qui hoc facinus admisit, exulem esse jubeo. Einar Nömudalensis, qui eo tempore apud regem versabatur, excepit: ita potuerit quis male suam causam, domine, instituere, ut jure occidi possit. Post haud ita multo rex adhibitis accipitribus et canibus venatum profectus est, a quo cum comites in diversas partes dilapsi essent, solusque relictus esset, vir quidam hirsuta lacerna indutus, magna statura, ex sylva ad eum venit, opemque ejus imploravit. Rex: quid mihi tecum necessitudinis? Ille: nihil sane, nisi quod cognati mei amici tui sunt, et virtus tua, qui nemini petenti auxilium denegare soleas. Rex: Kolus nomen est viro, in Thöskadalo ad meridiem habitanti; eo te[2] amando, ut apud eum commoreris; quis vero es? Ille: latro fui, nunc vero desinam; multos in populo inimicos habeo, quare alienam opem imploro. Quam ob rem, si me ad Kolum amandare vis, da[3] manifestas tesseras, ut me recipiat, tumque apud eum per hiemem commorabor. Rex: sic facito, ego vero illuc veniam [una elapsa hebdomade post festum paschale[4]. Quo dicto rex detractum sibi annulum aureum cuspidi hastæ induit, eique sic porrexit, propius enim non accedebat. Rex ei locutus

[1]) aulicos, *H.* [2]) hunc (ignotum) hominem, *H.* [3]) mihi, add. *H.* [4]) hebdomade paschali, *H.*

est: quid Rafnem, exulem, de se facturum putas? Ille: is, domine, confugiet ad Einarem Nömudalensem, amicum tuum, quo facto in tua statim potestate erit. Quo dicto aurum cuspidi indutum detraxit, et simul in sylvam sese e conspectu abripuit. Tum rex: illusit jam mihi Rafn, et decepit me. Rafn ad Kolum veniens, tesseras ab rege datas ad eum recipiendum ostendit. Kolus infit: miro modo hæc res se offert, tu veras habes a rege tesseras[1], qui antea in ejus odium incurristi. Rafn hiemem apud eum transegit, omnibusque hominibus probatum se dedit; sed eo loco adventum regis opperiri noluit, quare die Saturni hebdomadis paschalis abscessit. Rex, cum eodem venisset, Kolum alloeutus: ubi Rafn Gudrunæ filius, inquit? necesse mihi est, ut eum conveniam. Kolus respondit: jam abest, domine. Rex: male accidit; sed hoc omnes sciant, eum nunc exulem esse et proscriptum; major[2] mihi videtur ignominia illa, quod me ludificavit, quam cædes ab eo commissa, quare tres argenti selibras in caput ejus propono, neque jam ullus precibus locus ad veniam ei aut vitam impetrandam erit. Inde rex magnam classem secundum litora duxit, Daniam petiturus, eo enim tempore bellum inter eum et Sveinem Ulvi filium quam maxime ardebat.

Cap. 50. Dimidio mense æstatis elapso, Rafn ex sylvis progressus, ad mare nescio quo devenit. Hic ingenti conspecta classe, eo se convertit, ubi lixæ cibum in terra coquebant. Ille minus audacter accedens, quæsivit: cujus est magna illa classis? Respondent: hominem imperitum ac stultum te esse oportet; jacet hoc loco rex Magnus, adversis ventis prohibitus navigare in Daniam. Rafn quærit: quinam cum

[1]) ut te recipiam, add. *H.* [2]) majoris momenti, *H.*

rege versantur viri honoratiores[1]? Dicunt Einarem adesse Nömudalensem, regis amicum, et Einarem Arcipotentem tredecim habentem naves, Sigvatum vero poëtam in nave regia versari. Rafn: Sigvato dicite, esse in terra hominem, qui rem magni momenti cum eo agere velit. Sic faciunt. Interea Rafn ad sylvam stetit[2]. Sigvatus in congressum ejus venit, et locutus est: quis est grandis ille vir? Rafn ei nomen est, inquit. Sigvatus: saluti consule, ego neque te occidendo pecuniam merebo, neque te prodam, etsi te convenerim. Rafn: equidem haud ita expedire puto, tu enim avarus audis, mihi autem parvus, qui exstingvatur, vitæ igniculus restat, multisque minus pecuniarum majori periculo quam tibi me prodendo, demerendum; at quamvis securis regia longo sit manubrio, tamen ad me in sylvam non pertinebit. Si vero mihi prodesse vis, te utique sic facere decet, avunculus enim es meus. Ille contra: agnosco[3] cognationem, quæ tibi mecum est; sed opem tibi ferre non audeo; age, hoc loco[4] me exspecta. Rafn: volo tecum una navem conscendere; satius duco ibi te præsente interfici; tantulum beneficii te mihi præstiturum confido. Sigvatus: tu rem incipis periculi plenam; [non convenit, te securi percutiendum dedi; istud[5] inceptum minime nobis successurum foret, etsi omnium hominum ope et intercessione adjuvarer; fac, age, quod a te peto: hoc loco me exspecta, dum amicos meos convenio. Ille: faciam paulisper, uti rogas; mox vero adero te secutus, non enim et grave subeundum supplicium, et diu exspectandum. Sigvatus Einarem Nömudalensem conveniens infit: nunc sic est, sodalis, ut res in iniquum locum

[1]) versatur vir hon., *H.* [2]) mansit, *H.* [3]) genus tuum et, add. *H.* [4]) ad sylvam, add. *H.* [5]) istud enim, *H.*

devenerit; nam Rafn huc advenit, neque vult aliud quicquam, quam inimicis suis sese dedere; mihi vero quid in te præsidii erit? Ille: adversa eum fortuna persequitur; nos vero debemus exitium ab eo avertere, ita tamen, ut[1] adversus regem cum parva copia non dimicemus; nam si regi nunc adversamur, nostra opera posthac nunquam utetur. Deinde Sigvatus Einarem Arcipotentem adiens: ecquid auxilii, inquit, abs te, Einar, exspectare possum? Ille: quid tibi opus est? Sigvatus: huc advenit Rafn, cognatus meus. Einar: non facilem me præbeo, ut pro eo adversus regem dimicem; erat aliquando scilicet, cum tuebar hominem, cui rex succensuerat, et prope factum est, ut rem pervertcrem meam. Ego atque Eindridius duodecim[2] heic habemus naves, quibus præsumus, cum rege adversus Danos pugnaturi. Nunc age, hominem abscedere jube, ut vitæ consulat, et cura, ne nostras naves conscendat, ut ibi occidatur; novi enim pertinaciam Magni regis, quod malet opera nostra carere, quam ad iniquas conditiones nobis postulantibus descendere. De his dum colloquebantur, Einar Nömudalensis ad Rafnem in terram egressus infit: age, sodes, ne nos omnes in discrimen anceps conjicias, quin potius me auctore discede; ego te Hitam ad villam meam mittam, ubi aliquantisper tuto tibi manere licebit. Ille respondit: ego vero antea Sigvatum conventum volo. Discessit Einar, Sigvatus vero brevi post adfuit. Huic Rafn: ut jam se dat gratia principum? Ille contra: parum quidem, neque enim tibi fortuna favet; quid vero jam capturus consilii es? Is: idem quod antea tibi dixi, ut tecum regiam navem conscendam. Sigvatus: cur ita ruere in mortem festinas? Rafn:

[1]) pro eo, add. *H.* [2]) tredecim, *H.*

quia satius esse duco mori, quam vos omnes, qui me animadvertistis, in iram regis conjicere, quod certo fore prævideo, simul ac me vestra opera effugisse cognoverit. Sigvatus: hæc fortiter dicta sunt; nunc solus restat patronus meus, atque nunc inde petendum auxilium, ubi nunquam defuit, hoc est, ab sancto rege Olavo. His dictis ad precandum procubuit, atque regem Olavum invocavit; quo facto navem regiam conscenderunt. Rex Magnus, qui interea obdormiverat, eo ipso momento experrectus somno est, cum Rafn et Sigvatus in interscalmium anterius venerant; subito exsurrexit et vociferatus est: surgant omnes nostri, secundus ventus flare cœpit, victoria certa, quando in Daniam venerimus. Tum pro se quisque naves suas parare; utque parati erant, vela dederunt. Cum Daniam attigerant, omnes milites navibus egressi sunt. Eo loco ingens multitudo Danorum coierat, acerrimumque prælium ortum. Rex Magnus in primore acie versatus est, Rafn vero Gudrunæ filius ante regem processit et perquam fortiter pugnavit, nemine eum verbo alloquente. Eo prælio quidam sanctum regem Olavum conspexerunt inter milites Magni regis, qui eo die eximiam victoriam naetus est.

Cap. 51. Milites vesperascente cœlo ad naves reversi, Deum pro parta victoria gratis animis celebrarunt. Qui cum naves conscendissent, rex infit: ubi nunc Rafn est? jam prodeat in conspectum, neque [se occultet[1]. Einar ac Sigvatus regem allocuti: domine, inquiunt, huic viro qui tanta virtute se præbuit, veniam concedas. Quibus rex: nondum id polliceor; sed videre eum cupio. Einar Nömudalensis ad Rafnem accessit et locutus est: nunc regem adito, eum-

[1]) diutius lateat, *H.*

que fac blandis verbis, intrepide tamen alloquare, plane ac vere ad ea, quæ te interrogaverit, respondeto. Rafn regem adiit et eum salvere jussit. Rex: cur tu, Einar, hominem proscriptum ab Islandia avexisti? Ille: quia, domine, ideo damnatus fuit, quod patrem suum ultus erat, qui plus quam insons interfectus fuerat. Rex: cur Ketilem occidisti, Rafn? Ille: quia me, domine, probroso carmine infamavit, et dein in servitutem vendidit; quem cum occidissem, feci de eo carmen funebre brevius, satis inconditum. Fac audiam, ait rex. Rafn: faciam, ut libet, sed tum aliud quoque carmen tibi audiendum erit. Rex: quid istuc carminis est? Rafn: hoc in tuam laudem est compositum. Rex: recita itaque. Sic fecit. Utroque recitato carmine, rex: disparia[1] carmina; cur de me tam bonum carmen fecisti, qui necem tibi inferre volui? Rafn: quia bono carmine dignus fuisti. Rex: cur me in sylva convenisti? Rafn: quia inde fortunam, unde nunc data est, respexi, nempe abs te; antea vero res mea in iniquum locum deducta erat, quod nemo mihi in ignota terra versanti opem ferre voluit, gravisque inciderat casus, quod magnæ auctoritatis virum, quamvis, ut existimo, non insontem, occideram. Rex: nunc omnis causa tua cognita est; jam vero, quæ ad me pertinent, dicenda sunt: ubi in navi obdormiveram, rex Olavus, pater meus, me adiens indignabundus his allocutus est: ibi jaces, rex Magne, plusque in eam curam incumbis, ut cognatum poëtæ mei levi de causa occidas, quam ut eximiam victoriam de Danis, inimicis tuis, reportes, nam secundus ventus exortus est; omnes, qui nunc in navi sunt, benigne accipe; alias pœna tibi ingruet hujus vitæ, ut certa te perni-

[1]) sunt, add. *H.*

cies mansura sit. Cumque somno experrectus sum, utrosque, Rafnem ac Sigvatum, in interscalmio anteriori conspexi; multo vero magis minis patris mei perterritus fueram, quam ut de cæde Ketilis aliisve Rafnis criminibus cogitarem. Jam tu, Rafn, exoptatus nobis ades, sic pater meus jubet; utque tibi pro molestia, quam tibi attuli, satisfaciam, Helgam Ketilis filiam magna dotatam pecunia tibi nuptum dabo. Rafn: hæc grato animo accipio; instanti vero æstate in Islandiam trajiciam, ut me damnatione et criminibus exsolvam, quo facto ad te redibo [quam celerrime, et bis ultro citroque Norvegiam inter et Islandiam hac æstate commeabo[1], si res tulerit. Rex enm sic facere jussit. Tunc Sigvatus regi aperit, se regem Olavum auxilii ergo pro Rafne invocasse, cum nihil præsidii ab sodalibus suis accepisset. Cui rex: magni sane pater meus facit amicitiam tuam, cum tibi hæc et alia, quæ cum roges, concedat, tam hoc tempore, quam quando in vivis versabatur. Rafn hac æstate in Islandiam trajecit, eoque tempore comitiorum universalium pervenit, ubi absolutio ejus publice declarata est. Deinde cum matre in Norvegiam rediit, Helgamque[2] duxit uxorem, quibus rex ampla prædia donavit. Ex eo tempore Rafn cum rege Magno, dum hic vixit, semper versatus est, et in omnibus adversis rebus vir strenuus habitus est; de quo finem narrandi facimus.

Cap. 52. Cum Magnus Bonus rex Norvegiæ erat, vir quidam nomine Thrandus, præfecti dignitate, in Vika, prædio Stokkis dicto, habitavit. Filiam habuit, nomine Margretam, quæ ceteras feminas prudentia et venustate superabat, ut

---

[1]) omitt. *H.* [2]) Ketilis filiam, add. *H.*

fama pulcritudinis ejus complnria jam loca pervasisset. Signrdus nomen erat viro, qui cognatus regis appellatus est, quod regem Magnum propinqua cognatione attingebat; is præfecturam non procul ab Thrando administravit; idem juvenili erat ætate, aspectu pulcer et insigni artium peritia. Accidit æstate quadam vergente, ut frequens convivium domi apud Thrandum agitaretur. Huic moris erat, ut filiam omnibus fere consiliis et rebus difficilioribus adhiberet. Memoriæ proditum est, die quodam, dum convivium celebrabatur, convivas in tumulis quibusdam, unde latus prospectus erat, constitutos, varia oblectationum ac ludorum genera exercuisse; procedente vero die conspexisse navem longam oris adlabentem, splendidam, bene ornatam, deauratis proræ assulis et aplustribus, inter proram puppimque clypeis ornatam; quæ cum adpropinquaret, viderunt eximiis juvenibus instructam, remigium scite exercentibus. Hinc disputari cœptum, quinam essent. Thrandus filiam adiens rem novam nuntiavit: nescimus, inquit, regem Magnum hoc tempore huc venturum exspectari, sed omnibus perspicuum est, aliquos dignitate insignes nave vehi. Ea respondet: haud vero absimile est, regem Magnum esse, cujus huc adventum differri, magnopere cuperem. Thrandus: cur ita loqueris, cum omnes homines eum amore prosequantur, quare nos eum benigniter excipiemus. Hoc tui sit arbitrii, inquit ea, mihi vero eadem sententia manet, gratius futurum, si huc non veniet. Navis in portum appulit, qua rex Magnus vehebatur. Thrandus obviam ei processit, jussumque salvere domum invitavit, et regem benignissime excepit. Rex perquam hilaris erat. Cum processisset vesper,

feminæ triclinium ingressæ sunt, præeunte Margreta, quæ, rege non salutato, ad sedem se contulit. Rex Thrandum interrogavit, quænam esset venusta illa mulier, quæ ceteras præcederet. Thrandus gnatam suam esse significavit. Rex: neque salutare nos vult; quam superbe se gerit! enimvero pulcra femina est: cum ea instanti nocte concumbere volo. Hoc te minime decet, domine, ait Thrandus. Rex hoc futurum asseruit. Thrandus propositum regis gnatæ suæ indicat. Cui illa: haud insperanti accidit, paratum eum esse facere, quæ contra meam voluntatem sint; molestum vero esse videtur, animum ad eum adjicere, eoque facto statim ejus amplexu privari. Hæc ejus dicta Thrandus regi Magno retulit. Ille respondit: nemo mihi infidelitatem objecit, atque instituì ita res poterit, ut ei felicitatem pariat; sed nullus adhibebitur modus, nisi res meo arbitrio confiat. Ubi vero Thrandus, quem in locum deducta res esset, perspexit, tabernam aliquam eleganter ornari jussit, eoque loco lectum regis sterni. Huc Margreta deducta cum lectum conscenderat, omnes discesserunt, ut sola relicta esset perquam tristis. Domus erat biforis. Paulo post alteræ fores bis pulsatæ, et tertio janua effracta resiliit. Intravit vir, honeste vestitus, demissum pileum capite gerens; quæsivit, ecquis mortalium ibi esset. Tacuit illa. Vir ad lectum accedens, eam manu contrectavit, dicens: numquid turpe in regem animo agitas, Margreta? Illa: hoc neutiquam meo consilio fit. Ille: itaque mecum pacisci volueris, inquit, ut efficiam, ne quid tecum rex negotii habeat, quod tibi displiceat; ego vero vicissim tui locandæ potestatem mihi adsero. Ea se hoc malle ostendit. Ille „belle agitur" dicens, pectus ejus digito impressit, se-

que sua nota eam signare dixit; illa vero ad tactum nonnihil friguit. Tum ille: ubi rex Magnus lectum conscenderit, ei dicito, Sigurdum cognatum ejus a te visum; videamus, quomodo animus ejus afficiatur; mea vero opera fiet, ut plura non opus sint. Quibus dictis vir discessit. Paulo post rex Magnus ingressus, cum lectum, in quo ea cubuit, conscendisset, remotis arbitris, ad eam blande conversus, se honori ejus serviturum pollicitus est, si ipsi obsequi vellet. Ea respondit: haud periculo carebit res, si mecum consvetudinem habebis, qui tam egregius sis princeps, et omnium artium peritia clareas; nam scito, me atque Sigurdum cognatum tuum inter nos adspexisse. Rex extemplo exsiliit et irato vultu fatus est: non itaque decuerit, hoc in lecto cubare. Quo dicto egressus, ad cœnaculum, ubi Thrandus dormiebat, accessit, et fores pulsavit. Thrandus strato exsiliens, cum ad fores processisset, regem Magnum adesse vidit, vultumque minarum plenum præferre. Thrandus, quid rei esset, interrogavit. Rex eum viros comparare jussit, qui Sigurdum quam citissime adducerent. Thrandus eos in promtu esse dixit. Hos rex jussit Sigurdo nuntiare, necessario veniret, sive vellet, sive minus. Missi Sigurdum conveniunt, regis dicta non lenius[1], quam ipse locutus fuerat, referunt, jubentes quam maxima celeritate se accingere et cum iis ire. Sigurdus respondit: magna cum vehementia hæc mandata peragitis, neque in me ulla mora erit, spero enim hoc iter bene cessurum, tam illustrem cognatum visuro. Sigurdus unacum iis, qui missi erant, rediit, regemque conveniens perquam iratum deprehendit; a quo extemplo interrogatus, quo loco

[1]) moderatius, *H.*

cum Margreta congressus esset, læto vultu respondit: conviviis apud Thrandum interfui, domine, et Margretam vidi, admodum vero pauca cum ea locutus sum; quod si opus erit, jurejurare paratus sum, me sordidum commercium cum ea non habuisse. Rex Margretam vocari jussit, et ex ea diligenter quæsivit, ut gesta res esset. Ea exacte retulit de viri in tabernam adventu, de omnique eorum colloquio, item quo pacto eam[1] signasset. Rex: signum istud nobis ostende. Ea sic fecit, atque vestigium impressi digiti imaginem splendidi nummi argentei in pectore exactissime reliquisse videbatur. Hic rex: itane res est? hic vir pater meus fuit, tale ejus signum; et eo tantopere commotus, tamque citorem intuitus sum, quod sanctus rex Olavus, pater meus, noluit, me eum ista femina consvetudinem habere. Jam tu, Sigurde, eam ducito uxorem; ideo enim pater te nominavit, quod hoc voluisse putandus est, simulque tu, vosque ambo, me amicissimo utemini. Res sic confecta est, ut Sigurdus Margretam duceret, quibus nuptiis rex Magnus interfuit. Sigurdus ab eo tempore vir potens exstitit, seque virum spectatæ virtutis præstitit; Margreta vero femina eximia ob prudentiam multasque alias virtutes habita est; quorum conjugum consortium amore plenum erat. Sic [ista narratio[2] clauditur.

[1]) sibi, add. *H.* [2]) hæc historia, *H.*

HISTORIA
REGIS HARALDI SEVERI,
SIGURDI FILII.

HISTORIA REGIS HARALDI SEVERI, SIGURDI FILII.

Cap. 1.

Sigurdus Risius nomen erat filio regis Haraldi Pulcricomi; is pater erat Halvdani, patris Sigurdi Porci. Sigurdus Porcus in matrimonio habuit Astam Gudbrandi filiam, matrem Olavi Sancti. Rex Sigurdus et Asta quinque liberos aut plures procreaverunt: Gudrödus erat natu maximus, huic proximus Halvdan, tum Ingihjarga, tum Gunnilda; Haraldus erat natu minimus, sed prima jam ætate statura et viribus insignis, et pulcritudine conspicuus. Constat, regem Olavum Sanctum, ab Knuto Danorum rege ex Norvegia pulsum, orientem versus Gardos concessisse et [apud regem Jarizleivum[1] commoratum esse. Deinde, prout Deus prædestinaverat, cupiditate captus in regnum revertendi, primo Svethiam accessit, ibique auxilia comparavit. Perlata vero in Norvegiam fama, regem Olavum ab oriente in Svethiam advenisse, omnes amici ejus, qui auxilium ei ferre voluerunt, congregabantur. Quo in numero vir summæ dignitatis erat Haraldus Sigurdi filius, frater regis Olavi, tunc quindecim annos natus; præter hunc complures convenerant viri amplissimi; hi omnino sex militum centurias contraxerant. Ex Uplandis profecti, exercitum orientem versus per sylvam Eidensem duxerunt. Inde Haraldus per sylvas in Svethiam versus contendit, et de itinere regis Olavi

[1]) ibidem unam hiemem, *H.*

percontatus est. Rex vero Olavus iter ex Svethia ingressus, iis itineribus profectus est, quæ Sviones præmonstrarunt; nempe in mediterranea ad sylvas versus contenderunt, et in terram dictam Jarnberiam pervenerunt. Hoc loco regi occurrere copiæ, quæ obviam ei e Norvegia, ut modo dictum est, profectæ fuerant; in quibus rex Olavus fratrem Haraldum, multosque alios cognatos et amicos invenit, quorum congressus erat exoptatissimus; tunc omnes una duodecim[1] centurias habuerunt. Inde occidentem versus Carinis superatis in Veradalum descenderunt, et exercitum per exteriora Stavum versus promoverunt. Ubi vero in paludes Stavenses devenerunt, rex veris nuntiis accepit, colonos adversum se cum exercitu contendere, brevique prælium instare. Rex exercitum promovere perrexit, donec Stiklastados pervenit, ubi conspectis colonorum copiis suos consistere, equis descendere et ad prælium se accingere jussit; mox acies instructa, signaque erecta. Hic rex: mea sententia est, ut frater Haraldus prælio non intersit, nam puer est ætate. Cui Haraldus: [ego vero prælio interero; quod si autem viribus tam infirmus sum, ut gladium ferre non possim[2], remedium ejus rei novi, manum capulo[3] alligandam; nemo me cupidior erit colonis nocendi; commilitones meos sequi volo. Dicitur Haraldus hos versus tunc composuisse:

Audebo illud cornu aciei tueri,
in quo mihi stare continget; alacri
animo clypeum rubefacimus;
hoc aliquantum gaudii feminæ afferet.
Bello alacer juvenis gradum non referet,
telis volantibus, cedens spiculis;

[1]) quindecim, *H.* [2]) si prælio ineundo immaturus sum, utile, *H.* [3]) gladii, si alia ratione tenere non possum, add. *H.*

milites omni studio gressum
accelerant, in prælium ituri[1].

Pervicit Haraldus, ut prælio interesset, magnamque virtutis laudem consecutus est; idem tunc quindecim erat annorum, ut supra dictum est. Hujus rei meminit Thjodolvus poëta in carmine laudatorio, quod de rege Haraldo composuit, Sexstevja (sex stropharum intercalarium) dicto:

Andivi vehementem clypeorum
procellam in regem se effudisse
proxime Högum; Bulgarorum vero
vastator fratri strenue opem tulit.
Regius ille princeps, natus
tres annos et duodecim,
ab cæso Olavo invitus est
distractus, atque se occultavit[2].

Haraldus gravia vulnera in prælio acceperat, Rögnvaldus vero Brusii filius proxima post prælium nocte eum ad colonum quendam devexit, procul ab aliis hominibus habitantem, qui receptum Haraldum clam servavit, sanandumque curavit, donec convaluerat; deinde ei filium adolescentem tradidit, qui eum orientem versus per Carinam in Jamtiam deduceret. Profecti sunt[3]

[1]) Ordo: *Ek a) mun þora verja þann arm, er ek hlýt i b) standa; vèr rjóðum rönd af reiði: þat er nökkur munr c) ekkju. Hinn úngi gunnbliðr greppr geingr-at á hæl fyrir spjótum, þar er slög riða; menn herða mót d) at morði.* Vide Script. hist. vol. 5, cap. 195.

a) add. *H.* *b*) *at*, add. *H.* *c*) Sic *H*; *mun*, *A.* *d*) *móls* vel *morð*, *H.*

[2]) Ordo: *Ek frá hvast hlífèl a) drífa á gram hit næsta Haugi; en Bolgara brennir tæði vel bróður b) sinum. Hann, tiggi, tólf ok þriggja vetra gamall, skildist trauðr við dauðan Ólaf, ok huldi hjálmsetr c).*

a) *hlifeld*, ensem, *Hkr.* *b*) *bræðr*, id., *H*, *Hk.* *c*) *hjálmsetrs*, *H.* Vide Script. hist. Vol. 5, cap. 217.

[3]) conspectum hominum fugientes, add. *H.*

per montana et deserta, nunquam publicam viam ingressi. Filius coloni, ignarus, quem deduceret, postea de quibus compertum habuit, retulit: post prælium, quo rex Olavus cecidit (verba sunt filii), venerunt ad patrem meum duodecim viri, qui virum saucium eo devexerunt; [pro quibus qui verba fecit[1], eximiæ erat pulcritudinis et albis capillis. Hi deinde reversi sunt; post autem aliquanto eadem æstate pater, [die quodam, ad[2] me misit, ut duos equos cursorios ornarem, quod jussus feci. Quo facto pater advenit, virum secum ducens magna statura rubro sago indutum, pileo ob faciem demisso, ut [faciem ejus intueri[3] non possem; hunc virum comitari pater me jussit, donec reverti me jussisset. Duo soli profecti sumus, atque die quodam cum per incultas aliquas sylvas equitaremus, equo ad me converso, hos versus ridens pronuntiavit:

Nunc ego, parvo conspicuus
honore, alia ex sylva moveo
in aliam. Quis scit, annon
tandem late celeber fiam[4].

Dein ire perreximus, donec sylvas permensi in tractum aliquem habitatum, mihi ignotum, pervenimus; mox eosdem homines, qui virum illum saucium ad patrem deportaverant, invenimus; qui cum virum rubro sago indutum nomine Haraldi salutarent, vultum ejus animadverti: erat vultu militari, facie pallida atque illustres natales prodente, fuscis superciliis; motus corporis ferocior, decens tamen. Hic mihi tum cingulum et cultrum dedit, meque reverti jussit; quare

[1]) quorum princeps, *H.* [2]) omitt. *H.* [3]) eum cognoscere, *H.*

[4]) Ordo: *Nú a) læt ek b) skreiðast litils heiðar skóg af c) skógi. Hverr veit nema ek verði um síðir viða frægr.* Vide Script. hist. Vol. 5, cap. 216.

a) *hèr*, hic, *H.* *b*) *lætig*, id., *H.* *c*) *ör*, id., *F.*

ego iter remensus sum, donec domum ad patrem pervenissem. Rex Magnus, filius regis Olavi Sancti, multique alii Norvegi, filium coloni hæc referentem audiverunt. Quæ vero de itineribus Haraldi sequitur narratio, ex ipsius ore ejusque commilitonum, excepta est.

Cap. 2. Haraldus in Jamtiam delatus Rögnvaldum Brusii filium, pluresque homines, qui ex prælio Stiklastadensi evaserant, reperit. Inde per autumnum in Svethiam profecti, hiemem ibi transegerunt. Proxima æstate orientem versus in regnum Gardorum profecti sunt ad regem Jarizleivum, a quo bene sunt excepti. Hic Haraldus diu postea commoratus est. Hæc testatur Bölverkus[1] poëta in carmine laudatorio, quod de rege Haraldo composuit:

Rex liberalis! confecto prælio
aciem gladii exasperasti;
corvum cruda carne saturasti:
lupus in colliculo ululavit.
Proximis autem annis, rex
strenue, versatus es Gardis
in oriente sitis; te neminem
præstantiorem novi bellatorem[2].

Mox Haraldus magnam auctoritatem consecutus

---

[1]) Hic, teste *Fagrskinna*, fuit frater Thjodolvi poëtæ, Arnoris filii.

[2]) Ordo: *Mildingr, straukt a) um munn mækis, er lèzt af gunni; þú b) vant of fylldan hrafn hrás holds: vargr þant í ási. En c) [næstu árin d) varþú e), örðuglyndr f) gramr c), austr í Görðum; nè ek frá g) friðskerðir h) verða þèr fremra.* Vide Script. hist. Vol. 5, cap. 217.

a) *strauktu*, id., *H, Hk.*; *strauk* (3. pers.), *F.* *b*) omitt. *F.* *c*) *engan mann*, nullum hominem, *H.* *d*) *næsta árit*, insequenti anno, *F.* *e*) *vantu* (rect. *vartu*), *H.* *f*) *öröglyndr*, intrepidi animi, *F.* *g*) *freg* (præs.), *F.* *h*) Sic *H*; *friskerðir*, *A*; *fólkkerðir*, *F*; *fólkkerði*, *Hk.*, eod. sensu.

est, et unacum Eilivo, filio Rögnvaldi[1] Ulvi filii, custodiam regni finium, nomine regis Jarizleivi, administravit, teste Thjodolvo:

Ubi Eilivus erat,
duo principes
idem egerunt:
cuneum fecerunt.
Vindi orientales in
angustias redacti sunt;
jura militum Læsiis
haud levia fuerunt[2].

Haraldus multa regionum mari Baltico adjacentium loca obiit, resque maximas gessit; quam ob rem rex magni eum fecit. Regi Jarizleivo reginæque Ingigerdæ filia erat, nomine Elizabetha, quam Norvegi Ellisivam vocant. Haraldus cum rege mentionem fecit, an virginem sibi nuptum dare vellet, tam cognatos suos et majores, quam aliqua ex parte ipsius agendi rationem cognitam ei esse dicens. Rex ad eam rem benigne respondebat, his usus: hæc commode proposuisti, etenim quæ ad te pertinent, multas in partes virum spondent filia mea satis, ut puto, dignum; verum dictitabunt fortasse populi principes, festinantius a me decretum esse, si eam viro peregrino dedero, qui nihil habeat imperii, neque admodum pecuniis diviti. Verum tamen hanc a te propositam conditionem non repudiabo,

---

[1]) dynastæ, add. *H.*

[2]) Ordo: *Tveir höfðingjar höfðust eitt at, þar er Eilifr sat: þeir fylktu a) hamalt b). Austrvindum ók í öngan krók: liðsmanna rèttr varàt lèttr c) Læsum d).*

a) *fylgðust*, alter alterum comitatus est, *H.* *b*) *um allt*, semper, *F.* *c*) Sic *F, H, Hk.*; *tjetr, A.* *d*) omitt. *H*; *Læsjum. Hk.* *Schöningius* putat, Laziorum antiquam et celebrem priscis temporibus gentem, Lecchos s. Lezchos, Polonorum aborigines, hoc nomine significari, vide *Hk.* Vol. 3, p. 55.

sed opportuno tempore eum tibi honorem, quamvis paulisper exspectandum, reservabo. Dabimus hoc meritis sancti regis Olavi[1], tuique ipsius excellenti virtuti; ita enim hic es commoratus, ut tibimet gloriam pepereris, nobis autem honorem imperioque nostro incrementum acquisiveris; et spero fore, ut ex his initiis tua gloria et existimatio in majus augeatur. Quibus dictis finem colloquendi fecerunt.

Cap. 3. Post hæc Haraldum cupido cepit in exteras terras proficiscendi; ad quam profectionem magnum hominum numerum paravit. Ipse ac rex Jarizleivus amicissime digressi sunt. Dicunt Haraldum ex Gardis cum copiis ab oriente profectum primo Vindlandiam petisse, inde in Saxoniam et occidentem versus in Franciam usque concessisse. Sic Illugius Bryndalorum poëta:

Meus dominus sæpe cum Francis
prælium ante lucem commisit,
ad oppidum feminæ. Strenuus princeps
haud facile a quoquam repelli potuit[2].

Inde in terram Longobardorum profectus est, teste Thjodolvo:

Qui (forti) animo terram
Longobardorum peragravit.

Hinc Romam profectus est, inde in Apuliam, ubi comparatis navibus Constantinopolin usque magna classe contendit, teste Bölverko:

Frigida procella nigram navis

---

[1]) fratris tui, add. *H.*

[2]) Ordo: *Minn drottinn gekk opt á frið Frakka fyrir a) óttu b) at bý snótar; duglum c) döglingi vara fljótrent d).*

a) omitt. *H.* *b*) Sic exscriptum, quod habeo; *ótta*, *A.* *c*) *dólgar*, *F.* *d*) *fljótreið*, *F*; *fljótreitt*, *H*, i. e. *dugl. dögl. vara fljótreitt at bý snótar*, strenuo principi haud in expedito erat, oppidum feminæ adoriri.

pertícam a terra vehementer
pepulit; naves vero munitæ
armamenta splendide ostentabant.
Eximius princeps ante proram
æra Constantinopolitana vidit;
multæ naves, oras ornatæ, ad
alta urbis brachia lapsæ sunt[1].

Eo tempore Constantinopoli imperavit imperatrix Zoe Potens, et unacum ea Michaëles Katalaktus[2] Cum vero Haraldus Constantinopolin ad imperatricem pervenisset, ipse ibidem cum cohorte, quam adduxerat, militiæ nomen dedit stipendiis meriturus. Eodem autumno cum classiariis, in mare Græcum (Archipelagum) navigaturis, triremes conscendit, militibus, quos ipse adduxerat, stipatus. Cum Haraldus Constantinopolin venit, verum nomen dissimulans, Nordbriktum se vocavit, neque vulgo constabat, eum regio genere ortum esse; in ea enim terra cautum erat, ne quibus exterorum regum filiis ibi morari, aut cum imperio esse liceret. Ubi Constantinopoli solverunt, præfectus classis erat vir, nomine Gyrger[3], imperatrici Zoe cognatus; erat in classe magnus Scandinavorum numerus, quos Væringos

---

[1]) Ordo: *Svöl skúr knúði a) hart svartan snekkju brand frá b) landi, en brynjaðar skeiðr báru skrautla c) reiði. Mætr hilmir sá málma d) Miklagarðs fyrir barði; mörg barmfögr e) beit f) skriðu at hám borgar armi.*

a) hnúði, id., *H*; *kný́ði*, id., *Hk.* *b)* Sic *Hk.*; *fyrir*, ante (terram), *A*, cet. *c)* Sic *F, H, Hk.*; *skautla, A.* *d)* i. e. æratas domos et turres. *e) branfögr, F,* mendose. *f) beitt, Hk.*

[2]) Hic confusio nominum est; Haraldi adventus Constantinopolin incidit in tempora Romani Argyri imperatoris, vide cap. 16. Cognomen Katalaktus ex Calephatus deflexum videtur. [3]) Hic est Georgius Maniaces, Græcorum dux fortissimus, qui sub Romano Argyro et tribus successoribus ejus vixit.

nominant. In his centurio erat, Islandus, Mar Hunrödi filius, pater Haflidii[1]; huic suboluerat, quis princeps esset Norvegorum[2] istorum, qui nuper advenerant; quare Haldorem Snorrii filium, qui cum Nordbrikto versabatur, adiit et [cum eo colloqui voluit[3], Haldore colloquium subterfugiente; apud quem cum nihil efficere posset, Mar ab exercitu discessit et Constantinopolin reliquit. Nordbriktus non diu apud exercitum fuerat, cum Væringi [universis fere[4] studiis ad eum se inclinabant, et ad ejus signa in præliis confluebant; unde factum est, ut Nordbriktus universi Væringorum exercitus præfectus fieret. Hic et Gyrger multas Græciæ insulas obeuntes, populationem effuse fecerunt. Sic Bölverkus:

Animosus princeps chalybes
in prælio cruentavit, et merere
stipendia cœpit; ex quo pugna
quotannis ex sententia facta est[5].

Cap. 4. Accidit aliquando, cum iter terra facerent, locumque inter mare et sylvas quasdam ad pernoctandum destinassent, ut Væringi ad locum pernoctandi priores accederent, locaque tentoriis figendis, quæ ipsis optima videbantur, quæque editissima erant, deligerent. Ea enim ibi est locorum natura, ut terra sit uliginosa, imbribusque incidentibus stationes locis depressioribus minus commodæ reddantur. Adveniens Gyrger, militum præfectus, cum animadverteret, quo loco Væringi tentoria posuissent, abire eos et alio loco figere tentoria jussit, se enim eo loco tabernacula positurum. Nordbri-

[1]) ex hist. Sturl. I. et Schedis Arii noti. [2]) hominum, *H.*
[3]) eum hac de re interrogavit. [4]) omitt. *H.*
[5]) Ordo: *Snjallr stillir rauð stál í styr, ok gekk á mála; siðan háðist hildr hvert ár, sem sjálfir vilduð a).*
a) *sjálfr vildi, H.*

ktus sic respondit: si vos priores in stationem nocturnam venitis, locum nocturnæ mansionis (priores) deligite, nos autem tum alio, quo libuerit, loco, tentoria ponemus; sic nunc quoque facite, tentoria alio loco, ubi libitum erit, figite. Cui Gyrger: eo quod copiarum præfectus sum, potestas mihi est priori, ubi visum erit, tentorium ponendi, meisque militibus sua circumponendi. Nordbriktus contra: si præfectus Græcorum es, ego dux sum Væringorum, neque postulari a nobis potest, ut loca depressa occupantes pedibus Græcorum subjiciamur. Existimavi, id Væringis jus esse hic in imperio imperatoris Græcorum, ut a cujusque hominis potestate immunes omnia proprio arbitrio gerant, soli vero imperatori et imperatrici subjecti sint. De his inter se enixissime contenderunt, donec utrique arma caperent, propeque esset, ut confligerent. Tum intercedentes viri prudentissimi, docuerunt, melius convenire, ut hanc litem inter se componerent, et de ea exacte constituerent, ne sæpius opus esset eandem refricare controversiam. Dies locusque conveniendi utrisque constitutus. Quo congressu omnium consensu inter eos convenit, ut dejectis in sinum sortibus fortunæ permitteretur, utri, Græci an Væringi, priores equitarent, remigarent, portum intrarent, loca tentoriis deligerent; quod sors constituisset, in eo utrique acquiescerent. Tum sortes notatæ. Heic Nordbriktus Gyrgeri: ostende, quo modo tuam sorticulam notes, ne utrique eandem notam imponamus. Ille sic fecit. Dein Nordbriktus suam sortem notavit et in sinum demisit; et sic utrique fecerunt. Mox vir, qui manum in sinum demitteret[1], accessit, alteram sortem digitis sustulit, sublataque manu locutus est:

[1]) sortem tolleret, *H.*

hi priores equitabunt, remigabunt, portum intrabunt, tentoriis locum deligent. Nordbriktus, prehensa manu hominis, sortem rapuit et inspexit, et „hæc nostra sors est" dicens, extemplo in mare projecit. Gyrger: cur aliis hominibus sortem non ostendisti? Nordbriktus: en eam, quæ reliqua est, in qua tuam notam agnosces. Deinde hac sorte inspecta, omnes in ea notam Gyrgeris agnoverunt. Quare decretum est, ut Væringi pro lubitu omnia, de quibus contenderant, eligerent. Plures quidem res fuere, de quibus inter eos non convenit, semper vero Haraldus, quod postularat, obtinuit. Eadem æstate junctis copiis populationes multis locis fecerunt. Ubi universæ copiæ prælio alicui intererant, Nordbriktus suos extra prælium fere collocavit, aut in acie, qua minimum erat periculi, constituit, ea ratione cavens, ne militum suorum jacturam faceret, Græcis autem non pepercit, quin se periculis objicerent. Cum vero Nordbriktus solus cum suis copiis esset, tanto ardore in pugnam incubuit, ut aut vincendum esset, aut moriendum. Et semper ita evenit, cum Nordbriktus copiis præerat, ut victoriam obtineret, Gyrgere nihil efficiente. Quod animadvertentes Græci, rem melius gestum iri dixerunt, si Nordbriktus copiis solus præesset, Gyrgerem vehementer increpantes, quod ipse militesve sui nihil efficerent. Ille contra reposuit, nolle Væringos opem sibi ferre; hi in alia loca concederent, tum utrique, quantum quisque posset, efficeret. Itaque Nordbriktus ab exercitu se sejunxit, unacum Væringis et universis militibus Latinis, Gyrger vero Græcorum exercitui præfuit; brevique apparuit, quantum quisque valeret: nam Nordbriktus crebro victoria magnaque opum vi potitus est, Gyrger cum suis

Constantinopolin rediit, exceptis militibus Græcis junioribus, qui opum parandarum cupidi, ad Nordbriktum confluebant, eoque duce utebantur.

Cap. 5. Post hæc Nordbriktus classem[1] occidentem versus in Africam duxit[2], quam Saracenorum terram Væringi vocant, ubi magno copiarum numero auctus, tam late arma circumtulit, ut octoginta oppida in terra Saracenorum in ditionem suam redigeret, quæ partim in deditionem accepit, partim armis subegit. Hæc testatur Thjodolvus:

Dici possunt urbes octoginta
in terra Saracenorum captæ;
juvenis usor auri, ignis instar
rutili, caput periculis objecit.
Quo facto imperator militum,
Saracenis infestus, clypeo tectus
factum ivit durum ludum
bellonæ in plana Sicilia[3].

[Sic Illugius:

Haralde, terras australes in potestatem
Michaëlis imperatoris armis redegisti.
Filius Budlii affines suos,
ut audivimus, invitavit[4].

---

[1]) arma tulit, *H.* [2]) omitt. *H.*

[3]) Ordo: *Segja má tekna a) átta tögu borga á Serklandi (úngr hötuðr b) tandrauðs c) ormtorgs hætti sèr): áðr herskorðuðr d), hættr Serkjum, gekk und skildi (at) heyja harðan leik Hildar i slèttri e) Sikileyju.*

a) tegna, F. b) hrötoðr, consumtor, *F. c) tand raudt, Hk.* Tom. 6, forte ex coujectura. *d) herskoðuðr*, lustrans milites, *F. e) slèktri, F,* vix recte.

[4]) Ordo: *Haraldr! brauztu sunnlönd a) röndu und mestan b) Mikjal. Sonr Buðla bauð heim mágum sinum c), sem frágum d).*

a) sund lönd, prave, *H. b) mæztan*, præstantissimi, *Hk.* c) echasis, *Edd. Snorr.* p. 340. *d)* hanc semistropham omitt. *F.*

Indicant hi versus, Michaëlem eo tempore Græcorum imperatorem fuisse. Nordhriktus multos annos in Africa consumsit, ibique ingentem prædæ vim, aurum et argentum et omne genus rerum pretiosarum, nactus est; omnem autem prædam, quam nactus est, quaque nec ipsi nec militibus in sumtum opus erat, per fidos sibi homines Holmgardum misit, regis Jarizleivi curæ et custodiæ committendam. Hic immensa opum vis collecta est, quod veri simile videri poterit, cum eam orbis terrarum partem, quæ auro et rebus pretiosis maxime abundabat[1], depopulatus esset, tantosque fecisset progressus, uti supra veris auctoribus docuimus, ut octoginta circiter oppida in Africa in potestatem redigeret, ne commemorem res ab eo in mari Græco et Sicilia gestas, de quibus inferius mentionem faciemus. Neque tantum cum rusticis in terra Saracenorum conflixit, sed etiam cum ipso Africæ rege, cujus imperii magnam partem, victoria potitus, in ditionem suam redegit, teste Thjodolvo:

Imbellis inersque homuncio
procul abfuit, cum jaculator
bellici fulminis terram
monstrosam olim subegit.
Afrorum regi haud facile
fuit, Anaris filiam, grandine
velatam, aut incolas
eo impugnante retinere[2].

---

[1]) abundat, *H.*

[2]) Ordo: *Darrlatr dasi hefir staðit fjarri, þar a) er skyndir dólgljóss b) tók endr ómynda c) Rindar d) eljö e). Afrika jöfri varat hlýðisamt at halda haglfaldinni f) Ánars g) mey nè lýðum fyrir hánum.* Vide *Fagrskinnam* et *Edd. Snorr.* p. 124.

a) omitt. *Fagrsk.*; *þá*, *Edd. Snorr.* *b*) Sic *Fagrsk.*, *Edd. Snorr.*; *dólglauss*, *A.* *c*) *ýmynda*, *Edd. Snorr.* *d*) *rinda*,

Sic Bölverkus:

Navis cruore repleta est prope
lingulam, ubi sangvinem, domine,
effudisti, navibus concurrentibus,
in terram armis fortiter subegisti.
Cæsorum corpora, ex margine navis
ejecta submersaque, arenam, cui
incubarent, nacta sunt, ad australe latus
Siciliæ, ubi sangvis multorum militum defluxit[1].

His gestis Nordbriktus cum tota classe in Blalandiam navigavit, vim venti et pelagi expertus, quod Bölverkus testatur:

Diserte rex, fortitudine excellens!
in Blalandiam navigans
periclitatus es, cum vis venti
latam proram adurgeret.
Procella cum gravi fluctu adspersam
(navis) marginem concussit, salsa adspergo
in splendidum clypeorum asserem decidit,
at rex malos tolli jussit[2].

In Blalandiam delatus, hic ut aliis locis arma

Fagrsk. c) *elju*, id., *Fagrsk.* f) Sic meum exscriptum et *Fagrsk.*; *hagfaldinni, A.* g) *Annars, H;* i. e. terram; omitt. hanc stropham *F.*

¹) Ordo: *Súð varð dreyrafull við eyri, þar er blèzt blóði, drottinn! borð rendust a) at; váttu drengliga jörðu. Lík, sokkit b) of stokka, vann sand und sèr c) fyrir sunnan Sikiley, þar er sveiti skyndi.d) miklu liði.*

a) *reyndust, H.* *b*) *sokkat, H.* *c*) *sik, H.* *d*) forte *ek yndi, H*; hanc stropham omitt. *F.*

²) Ordo: *Reiðmæltr jöfurr, prýddr við rausn! rèttu at hætta skeiðum á a) vit Blálands; byrr lá at b) breiddu stáli. Skúrlaust á stokkinn þröm við þúngan c) sjó. Mjöll skókz d) á dýra skjaldrim e) en lofðúngr reisti lauka f).*

a) *at, H.* *b*) *á, H.* *c*) *þúnga,* eod. sensu, *H.* *d*) *skokks,* navis, *H*, i. e. *á stokkinn skokks þröm.* *e*) *skjöldum, H.* *f*) *lokka, H*; omitt. hanc stroph. *F.*

circumtulit, ubicunque vero pugnaret, ex quovis prælio victor discessit. Cujus rei meminit Bölverkus:

Rex impiger victoriam
ex quavis pugna retulit;
processit miles, gladio cædens,
acrisque dein pugna facta est[1].

Quibus rebus gestis Nordbriktus Constantinopolin reversus, ibi aliquantum temporis commoratus est, magno honore ab imperatore et imperatrice habitus. Die quodam, cum Nordbriktus ac Væringi oblectationis gratia in planitie quadam sub dio sederent, imperatrix Zoe forte præteriens, cum animadverteret, quam superbe et animose se gererent, nihil circumspicientes, Nordbriktum adiit dicens: tu, Norvege, da mihi villum e crinibus tuis. Ille: at tu, imperatrix, inquit, hoc gratuito non impetrabis; mihi vicissim villum[2] e pube tua imperti. Hæc militibus visa sunt ridicule dicta. Quibus dictis ea discessit, et, quo cogitaverat, ire perrexit.

Cap. 6. Erlendus nomen erat viro, uni ex Væringis atque in iisdem ædibus habitanti, cujus uxor mente capta fuit. Erlendus Nordbriktum rogavit, ut consilium daret, quo sanitati restitueretur; vir enim sapiens appellatus fuit. Nordbriktus, precibus ejus motus, se aliquid tentaturum pollicitus, ad cubiculum ejus se contulit, et sermonem cum ea habuit, quod ea haud ægre tulit. Eo ductus est sermo ejus, ut eam rogaret, sibi ut mundum suum ac res pretiosas ostenderet; quod ea fecit. Tum Nordbriktus: unde tibi res tam eximiæ et raræ venerunt? Ea se

[1]) Ordo: *Nenninn gramr hefir gagn ör hverri gunni; ferð gekk ok hjó sverðum, þá háðist siðan snörp snerra a).*

a) omitt. hanc semistropham *F.*

[2]) pilos, *H.*

haud satis scire ostendit. Ille: persvasum mihi est, quæ ex his pretiosissima sunt, dono tibi data esse. [Ea rem sic esse affirmavit. Ille quærere, quo remunerata esset eum, qui ei res pretiosas dedisset[1]. Ea se nullo remunerasse ostendit. Ille: at id minime decet, inquit, dabo tibi rem eximiam, qua res istas pretiosas remuneres. Annuit illa. Inde digressus, confestim crucem auream fabricari et consecrari jussit, quo facto eam iterum conveniens crucem attulit, et dixit: nunc velim diligenter me doceas, quæ sit rerum tuarum conditio. Ea respondit: vir quidam noctu ad lectum meum accedit, qui oculis meis mire probatur; hic mihi ex rebus pretiosis quas optimas possideo, dono dedit. Nordbriktus: bene fecisti, quod me verum edocuisti; jam hanc, quam attuli tibi, retineas, et illi advenienti dones. Inde digreditur, et Erlendo, quo loco res esset, significans: observemus, inquit, hunc virum, si forte eam conveniet. Paulo post accidit vespere quodam, ut viderent hominem ad cubiculum mulieris concedentem, qui vir et ingenti statura et pulcher erat, visusque illis est undique, qua nudum corpus conspici potuit, aureo colore spectabilis; is extemplo lectum, in quo cubuit, conscendit; ea crucem ei ostendit, his verbis usa: jam nolo abs te tot munera, quot mihi attulisti, ita accipere, ut nulla re remunerem; quaré hanc tibi pretiosam rem dare volo. Ille, conspecta cruce, perturbatus extemplo aufugit; ea vero in lecto relicta jacuit, admodum langvida. Nordbriktus et Erlendus, eam observantes, quo convenientissimum visum est, cibo eam recrearunt. (Tum Nordbriktus): opinor, inquit, hunc olim malum fuisse hominem, quem exuta natura humana in angvem conversum auro

[1]) omittit *H.*

incubare existimo; vos vero ecqua serpentis lustra in vicinia nostis? Novimus certe, inquiunt. Huc Nordbriktus multis comitatus se contulit. Quo vero loco serpentis lustrum esse dicebatur, ibi rupes tam arduæ ac celsæ erant, ut accedi locus nullo modo posset. Quare ingenti collecta lignorum copia, struem in rupe fecerunt. Ubi vero vis flammæ invaluerat, ex antro, quod in rupe erat, ingens horrendumque rostrum se proseruit. Tum Nordbriktus: cum hic in præsenti nihil amplius efficere possimus, in urbem redeamus; sed veri simile judico fore, ut pestis ista, incendii pertæsa, ex his locis migrare conetur. Atque sequenti nocte rusticus quidam hominem somniavit ad se accedentem, petentemque ut navem sibi, qua res suas aveheret, commodaret, mercedemque relicturum pollicentem, se vero ipsum votis ejus satisfacere sibi visum. Mane sequentis diei somno experrectus, cum ad navigium descendisset, animadvertit nuper usurpatum, et in puppi ingentem massam auri relictam. Ista vero bestia nemini postea nocuit. Uxor Erlendi post hæc sanitatem recepit. Nordbriktus summam sibi gratiam Væringorum conciliavit, omnibus sapientiam ejus admirantibus, sibique persvadentibus, eum omni artium peritia et consilio plurimum valere.

Cap. 7. Secundum hæc narrandum est, quod imperator Constantinopolitanus per speculatores cognovit, permagnum paganorum numerum imperii fines ingressum, quacunque irent, villas et oppida ferro et armis[1] vastare. Tum Gyrger imperatori: nunc expedit, domine, Væringorum et horum præfecti Nordbrikti opera uti, ut nunc, quid valeant, experiantur, nam cum sociis copiis circumibamus, auxilio nobis esse noluerunt;

[1]) et igni, add. *H.*

multorum quoque hominum existimatio est, eum quem recepisti Nordbriktum, regio sangvine natum esse, qui adeo elate se gerit, ut omnibus superior esse velit; nosti autem, omni consvetudini repugnare, tales homines hoc in imperio merere stipendia. Imperator respondit: sermone quidem vulgatur, non vero re probatum est, hunc regio sangvine natum esse; sed illud in confesso est, huncce virum ceteris hominibus consilio et virtute præstare, ii autem, qui tales sunt, ad fines imperii tuendos maxime sunt idonei. Dein imperator constituto tempore cum principibus colloquitur, et Væringos paganis obviam ire jubet: vestrum enim officium est, quod jure postulari a vobis potest, ut imperium nostrum tueamini. Nordbriktus, dicto audiens, cum se suosque paravisset ad pugnam, iter fecerunt, donec paganis in conspectum venirent. Pagani ferratos currus, rotis instructos, magno numero habuerunt, quos in ordines hostium agerent, præter alia varii generis belli instrumenta, Væringis nociva. Tum Nordbriktus concionem ad milites habuit, his usus: nunc appariturum credo, Græcos nobis Væringis invidere, sæpe enim dolis effecerunt[1], ut periculis ineluctabilibus expositi fuerimus. Nunc, si manum cum paganis conserere audebimus, cum copiis tam prævalentibus nobis res erit, ut nostris opibus victoriam nullo modo reportaturi simus; quare svadeo, ut ante omnia Deo, simulque sancto regi Olavo, fratri meo, voveamus, nos ædem Constantinopoli faciendam et in ejus honorem inaugurandam curaturos, si hoc tempore nobis dederit, ut victoriam ex paganis referamus. Quo ab omnibus probato, votoque per dextras confirmato, aciem adversus paganos instruxerunt. Pagani multos

[1]) effectum est, *H.*

reges copiis præfecerant, quorum unus, qui prudentissimus erat, quamvis oculis captus, summum imperium tenuit. Ubi vero acies inter se appropinquassent, paganique currus rotales in Væringos agere pararent, omnes currus solo ita hærebant immoti, ut prorsum agi nequirent. Tum rex ille cæcus: hæc quidem valde portentosa res est, at non minori prodigio est, quod in me cæco accidit, qui hominem videam albo equo aciem hostium prævehi, magnum terrorem undique circumferentem. Ad quæ omnia [multi ex regibus subito[1] terrore perculsi terga verterunt, sex[2] remanentibus et prælium committentibus. Cujus is exitus fuit, ut Væringi victoriam reportarent, multaque præda et gloria aucti, domum in urbem redirent. Post hæc amplam ædem exstrui curarunt; quæ ne inauguraretur, imperator, malorum hominum calumniis et assiduis vocibus impulsus, vetuit. Neque vero eo minus splendidas epulas Nordbriktus apparari fecit. Etsi autem imperator ligna apparando convivio necessaria prohiberet, causatus, imperatores propter nimiam ejus insolentiam jure suo et honore dejici, non tamen eo secius consilium Nordbriktus invenit, ut convivium, quantumvis invito imperatore, appararetur. Quo facto episcopum adiens rogavit, ut veniret et templum inauguraret. Qui cum se metu imperatoris audere negaret, Nordbriktus se effecturum dixit, ne imperator ædem inaugurari[3] vetaret. Dein imperatorem conveniens docet, quam iniquum sit, eum moram interponere aut impedire, quo minus regi Olavo honos haberetur, qui tantam miraculorum vim ipsis ostendisset, tantumque præsidium beneficio sanctitatis suæ imperio Græcorum præstaret. Quibus admonitionibus tandem

[1]) pagani, *H.* [2]) regibus, add. *H.* [3]) omitt. *A.*

effecit, ut ipse imperator cum episcopo eum ad epulas comitaretur; quod convivium splendidissime instauratum est. Quærenti imperatori, quo ignem aluisset, postquam ligna prohibita erant, ostendit se naves vetustas, rudentes coriaceos et juglandes adhibuisse. Tum memorata ædes inaugurata et magna campana splendide ornata est; sed hortantibus consiliariis imperator de campana lingvam (ferrum, quo pulsatur) eximi jussit. Nordbriktus ac sui regem Olavum invocare, qui imperatorem per quietem perterrefecit, graves calamitates minatus. Quibus cum tantum sic affectus esset, ut tristitia et silentio plecteretur, imperatrix veram calamitatis ejus causam augurata, Nordbriktum arcessivit, et ab eo petiit, ut imperatorem consilio juvaret. Ille sic fecit, imperatorem jubens campanæ lingvam restituere, aliasque tres campanas æque eximias templo donare, ipsumque eo se conferre et regem Olavum benevolo animo colere. Quæ imperator facturum se promisit, et fidem postea præstitit. Erat Constantinopoli ædium, quas milites et regni custodes habitabant, ea ratio, ut aliæ aliis superstructæ essent, quæ ædes superiores appellatæ sunt. Orta inter eos dissensio est, utri utras habitarent, Græci an Væringi. Re sortium arbitrio permissa, Nordbrikto et Væringis ædes superiores habitandæ obtigerunt, quod institutum ab eo tempore permansit, ut Scandinavi eas ædes habitarint.

Cap. 8. Deinde Nordbriktus ac Gyrger suis omnibus conjunctis iterum ab Constantinopoli excurrerunt, magno stipati numero copiarum. Constitutum est, ut imperatori Constantinopolitano ex quavis triremi centum selibras penderent, si vero plus in ea expeditione prædæ acquirerent, ipsi sibi haberent. Classem in Siciliam

duxerunt, ubi escensione facta populationem fecerunt. Sicilia est magno circuitu, amplaque et valida oppida habet. Oppidum aliquod magnum et frequens obsidione cinxerunt, tam firmis mœniis circumdatum, ut de iis diruendis desperarent; oppidani copia cibariorum aliisque rebus, quibus ad defensionem opus erat, abundarunt. Quod cum per aliquot dies obsedissent et oppugnassent, neque quidquam proficerent, Gyrger locutus est: e ratione fuerit, minora capere, si majora non licet, hoc enim oppidum facile expugnatu non est; meliore fortuna utemur, si oras exteriores mari adjacentes, ubi oppida non sunt adeo valentia, adgrediemur. Cui Nordbriktus: sero quantum pecuniæ imperatori Constantinopolitano pendere debemus, comparabimus, si nil nisi scopulos exteriores et promontoria, ubi nulla prædæ spes est, oppugnabimus. Quid præmii feram, si [consilium dedero, quo[1] oppidum possit celeriter expugnari? Gyrgeri, quid postularet, quærenti: tres, inquit, res eximias ex indivisa præda, qua heic potiemur, mihi sumere volo. Gyrger eos hoc concessuros dixit, resque adhibitis[2] testibus confirmata est. Quo facto Nordbriktus contulit se ad locum, ubi fluvius quidam altas montium fauces interfluebat, qui locus ab urbe conspici non potuit. Hinc cuniculum in oppidum agere aggressus, omnem terram in fluvium, ut æstu auferretur, egeri jussit. Cohortibus in hanc rem divisis[3], opus noctu et interdiu peragebatur; interea maxima pars militum quotidie ad oppidum accedebat, oppidani vero in interstitia pinnarum processerunt, et sic tela inter se conjecerunt, noctu autem utrique somno se dederunt. Nordbriktus, intelligens,

[1]) effecero, ut, *H.* [2]) juramentis ac, add. *H.* [3]) dispositis, *H.*

specum subterraneum tantum patere, ut credibile esset, cuniculum subter murum urbis penetrasse, omnes milites arma capere jussit; sub lucem specum ingrediuntur, tanto numero, quantum locus capere commode poterat. Cum ad imam specum pervenissent, Nordbriktus: sanequam cuperemus dignam ferre mercedem laboris haud exigui, quem jam sustinuimus; res quidem minime periculo caret, sed fieri potest, modo nostro in oppidum adscensui fortuna adspiret, ut hi, qui in oppido sunt, novitate rei perturbentur, si homines ex ima terra emergentes eos adoriantur; nos vero vestitum nostrum et nosmetipsos sic componamus, ut quam maxime dubium sit illis, quod genus hominum simus. Post hæc jussu Nordbrikti terram supra capita suffoderunt, donec lapides calce juncti obvenirent. Adeo autem accurate cuniculi rationem instituerat Nordbriktus, ut eo loco pavimentum esset domus alicujus[1] in oppido lateritiæ. Hic Nordbriktus: jam pavimentum effringamus, et si qui heic homines præsentes adsint, nos omnes emergentes ululatum aut clamorem tollamus. Jam in domum subibant; ibi magnus erat numerus oppidanorum, qui cibum sumebant et potabant; dies jam aliquantum illuxerat; ubi vero atræ cassides in obscura luce emergebant, ingensque fremitus et horrendi ululatus exaudiebantur, tum[2] metu perculsi exsiluerunt, omnes, quibus facultas erat, aufugerunt, quidam interfecti sunt. Qui domo evaserunt, per oppidum discurrebant, et omnia clamore ac terrore implebant, dicentes, hoc genus hominum, quod oppidum obsideret, adeo magiæ peritum esse, ut dæmones ex ima terra in eos immiserit. Pars cunicularioruin fugientes persecuti sunt, pars portas oppidi occu-

[1]) omitt. *H.* [2]) qui aderant, add. *H.*

paruut, quibus apertis maxima militum pars ingressa est; qui oppidum ingressi, magnum hominum numerum interfecerunt, quorum multi fugerunt, alii se dediderunt et pacem petiverunt; pax omnibus petentibus concessa. Hoc modo expugnato oppido, Nordbriktus ac sui immensa præda potiti sunt. Tum Nordbriktus: necesse nobis, Gyrger, existimo, futurum fuisse, passim per extrema terræ litora prædas capere et colligere, antequam tantum prædæ, quantum in hoc oppido, unde abscedere voluistis, consecuti essemus; nunc itaque res pretiosas, de quibus inter nos convenit, postulo. Excepit Gyrger: verum quidem est, multum hoc loco prædæ accessisse; sed te maxime decere arbitror, has res non antea tibi sumere, quam domi Constantinopoli, cum reliquam prædam dividemus, si qua modo pars prædæ ad nos perveniet. Nordbriktus respondit: videor mihi has res jure meruisse, nam hoc oppido hodie non fuissemus potiti, nisi res meis consiliis gesta esset. Quænam quæso est ceterorum centurionum sententia, utrum æquius sit, me his rebus potiri, an non. Omnes eum vera loqui affirmarunt, dicentes, talem virum imperatoris nomine dignum esse, qui tanta esset[1] prudentia et strenuitate. Fateor, Gyrger inquit, nos heic secunda fortuna usos, magnaque præda potitos esse; quare expedit integris rebus discedere et Constantinopolin re ita gesta reverti. Cui Nordbriktus: [multum abest, ut tantum adhuc prædæ accepimus, ut possimus ex singulis navibus centenas selibras pendere[2]; quare, antequam revertamur, adhuc diutius incolas præliis lacessemus. Cujus dicta

[1]) fortitudine, add. *H.* [2]) nondum tantum pecuniæ accepimus, quantum imperatori Constantinopolitano pendere debemus, centenas selibras ex singulis navibus, *H.*

omnes milites comprobarunt, et ejus fortitudinem[1] et consilii calliditatem admirati sunt.

Cap. 9. Dein motis castris alind oppidum obsidione cinxerunt; quod oppidum et majus erat et majori incolarum numero frequentatum, tamque munitum, ut expugnari posse nulla exspectatio esset. Heic Gyrger Nordbrikto: hoc oppidum si arte cogitas expugnare, id vires tuas superaturum credo, atque nimium [victoria, quam antea retulisti[2], confidis; quin potius latius populationem faciamus, neque nos ita risui exponamus, ut, quæ confieri nequeant, moliri nitamur. Nordbriktus contra: fateor quidem, non posse hoc oppidum eadem atque illud arte expugnari, verum tamen haud exemta spes est, inveniri posse aliquod hujus expugnandi consilium, si res lente agatur. Sed fiet tibi, Gyrger, abscedendi potestas: nam etsi quantum constitutum erat pecuniæ imperatori Constantinopolitano persolvi non possit, tamen aliquantum suppetit; at minime patiar, ut id tu tecum auferas, nostris enim, qui hic remanebunt, pecunia opus est, quamobrem ab hoc oppido rebus ita comparatis nullus abscedam. At opinor, Gyrger inquit, te consilium, quo hoc oppidum expugnes, non inventurum. Exibit hoc, ait Nordbriktus, prout se res dabit. Gyrger animum inducere non potuit, ut exigua aut nulla cum[3] pecunia domum reverteretur. Oppidani se tutos ab obsidione rati, in muros quotidie progressi, hostes ad strenuam oppugnationem provocabant, dicentes, necessitatem postulare: est hoc oppidum, inquiunt, auro valde opulentum, raris vestibus aliisque pretiosis rebus adhuc opulentius; adeo autem firmis muris circumdatum est, ut perfringi non possit; et actis subruere cuniculis, ut prius, res

[1]) strenuitatem, *H.* [2]) viribus tuis, *H.* [3]) copia, add. *H.*

lenti erit laboris, totum enim est rupi superstructum; ipsi prius fame peribitis, quam nobis inopiam frumenti obsidendo adferatis. Qui cum multa ignominiosa in milites jactarent, Nordbriktus se audire dissimulans, vetuit ne qui [probra in eos regererent[1]. Quo loco castra posuerant, plani erant campi, brevique inde spatio amœna sylva. Hanc in sylvam magna aviculárum multitudo, quæ in tectis domiciliorum nidos fecerant, ex oppido ad escam quærendam interdiu evolabat, vespere vero in oppidum ad pullos suos revolabat. Heic Nordbriktus id consilii excogitavit, ut sumtum bitumen[2] in lebete coqui juberet, deinde in sylvam misit, qui brachiis et ramis arborum, quibus insidere consveverant aves, fervens bitumen illinerent, quod cum refriguisset, in ramis induruit. Postero die aviculæ arboribus insidentes[3], ramis inhæserunt, ut avolare nequirent, nam calor solis bitumen liquefecerat. Nordbriktus captis avibus, futurum dixit, ut hæ aviculæ oppidum in ipsorum potestatem redigerent; dein e picea secta ramenta, cera et sulphure circumfusa, igne jubet succendi. Talia onera illiganda tergis singularum avium curat, tam exigua, ut inter volandum ferendis pares essent. Vesperascente die, dimissæ aves omnes una in oppidum volarunt, nidos ac pullos visuræ, quos in summis domiciliis, arundine aut stipula contectis, habebant. Hinc ignis ex avibus in tecta translatus; quarum etsi singulæ exiguum onus portarent, magna subito congesta est vis ignis, a multis avibus in tecta oppidi diversis locis deportata; mox una domus ex altera arsit, donec totum oppidum inflammatum esset. Quo facto universi incolæ, iidem

[1]) verba cum eis commutarent, *H.* [2]) *Fagrsk.* h. l. habet *lím*, viscum. [3]) hic iterum incipit fragm. membr. *M.*

illi, qui se antea sæpius superbe gesserant, et milites Græcos horumque imperatorem verbis contumeliosis lacessiverant, oppido egressi veniam supplices oraverunt. Nordbriktus omnibus pacem petentibus veniam dedit; qui hoc modo eo oppido in potestatem redacto, multo majori præda, quam in priori oppido, potitus est. Sic Thjodolvus:

Præfectus militum famem
luporum compescuit, ubi
hastæ sublatæ sunt; qui vero
fugerunt, pacem petebant.
Idem sæpius a meridie maris
opes gladio sibi acquisivit,
quo loco ignavos versari piguit;
ejus rei memoria etiamnunc exstat[1].

Cap. 10. Tertium, quo accesserunt, oppidum ex his omnibus multo erat maximum[2], tamque munitum, ut omnem spem expugnationis incideret. Tum Gyrger: mea sententia est, ut tam eximia victoria tantaque præda potiti Constantinopolin revertamur; nunc enim imperatori licere suam partem capere existimo, et præterea cuique nostrum partem satis amplam reliquam fore; quare tutissimum arbitror, abscedere ab hoc oppido, in quo certum sit nos operam perdituros; neque enim belle res agetur, si insignem eam, quam peperimus, victoriam amittamus, nihilque vicissim præter ludibrium et ignominiam auferamus. Nordbriktus respondit: etsi nunc

---

1) Ordo: *Höfðingi liðs lèt kviðjat a) úlfgráð, þá er lypt var spjótum; en þeirs b) undan runnu, báðu friðar. Hann hefir opt keyptan c) auð með oddi fyrir sunnan sjá, þar er blauðum var leitt; svá finnast minni til.*

a) *kviðja* (infin). *F.* *b*) *þeir*, id., *F, H.* *c*) Sic *F, H, M*; *képtan* (i. e. *keiptan*), *A.*

2) et frequentissimum, add. *H.*

plures adsint, quam antea, revertendi rationes, tamen invitus facio, ut statim inexperta re ab hoc oppido abscedam, non enim minus auri et rerum pretiosarum hic lucrabimur, si oppido potiemur, quam in illis duobus; fieri quidem potest, ut quod excogitabitur consilium, majoris ad eventum discriminis fore videatur his, qui timidiores sunt, sed tamen [faciam periculum[1], si milites in eadem sunt sententia. Plurima autem militum pars hortata est, ut oppidum obsidione cingeretur, seque ejus consiliis obtemperaturos ostenderunt. Gyrger rem dissvasit: non enim prospere exituram; id evenire plerisque, qui nimia affectent, quamvis rebus secundis consilio sibi valere videantur, ut, deficiente fortuna, horum nimii spiritus refringantur. Cui Nordbriktus: pauca sunt, quæ sciantur, antequam experta sint; si vero mihi soli hujus rei ratio expedienda, [neque minimum adeundum periculi est[2], eandem mihi atque antea conditionem reservo. Quo ab omnibus comprobato, oppidum circumsederunt. Dilata ad aliquod tempus oppugnatione, crevit oppidanis audacia; qui adversariis prope accedere jussis, ut colloqui inter se possent: vos ad oppugnandum segnes estis, qui tantum habetis exercitum, eumque ducem, qui nullam ad rem consilii inopia laborat. Necesse vobis erit propius accedere, si hoc oppidum expugnare cogitatis; id enim neque actis cuniculis subruere, neque avicularum sarcinis, aut lignorum ramentis, quæ stratagematum genera cavebimus, expugnare poteritis; neque deest nobis virorum copia, neque alia in oppido præsidia adversus conjectionem telorum aut machinas, quibus expugnare oppida milites consverunt. Pro certo

[1]) rem adgrediar, *H.* [2]) omitt. *H.*

quoque habeatis, hoc in oppido plus auri et rerum pretiosarum vobis exspectandum esse, quam in duobus illis oppidis, quæ antea expugnavistis. Quibus auditis verborum contumeliis et provocationibus, milites impatienter fremere cœperunt. Die vesperascente omnes milites armis sumtis ad oppidum accesserunt, experturi, an oppidani tantum virtute, quantum verbis et contumeliosa provocatione, valerent. Ubi vero accesserunt ad oppidum, neque tormenta defuere, neque lapidum conjectio aut missilia, quorum impetum cum ferre non possent, ad castra se receperunt. Paulo post Nordbriktus tam vehementem morbum nactus est, ut lecto decumberet; tum tabernaculum suum seorsim ab aliis tentoriis poni jussit, id maximo sibi solatio fore ratus, si strepitum ac clamorem militarem non audiret. Quod tentorium magnifice apparatum est, longæ perticæ erectæ, hisque aurea aplustria superimposita. Sui magno agmine eum quotidie adierunt consultum, semper, cum redirent, tristitiam præferentes. Oppidani, rem aliquam novam in castris Græcorum agi, sentientes, clam exploratores miserunt, qui causam rei exquirerent; qui in oppidum reversi, hoc novi referre habuerunt, ducem Væringorum morbo laborare, jacere in splendido tabernaculo, quod seorsim positum viderent, eademque causa nullum in oppidum impetum fieri. Sic cum aliquantum temporis processisset, viribus deficere cœpit, quo facto sollicitudo et mœror exercitui incidit. Quæ omnia oppidani resciverunt. Tandem morbus, quo laborabat Nordbriktus, adeo invaluit, ut ejus mors per tota castra nuntiaretur. Inde Væringi oppidanos colloquio adeuntes, mortem ducis sui nuntiant, petunt a clericis, ut sepulturam funeri in oppido concedant. Quibus rebus cognitis, multi

erant ex oppidanis, monasteriis aut aliis locis sacris præfecti, quorum quisque hoc funus suo condi templo optabat, persvasum habentes, magna simul munera missum iri. Mox magna clericorum multitudo, sacro ornatu induta, ex urbe scrinia et sacras reliquias ferens, solemni agmine egressa est. Væringi quoque magnam funeris pompam duxerunt; arca sublimis portata, purpura velata; multaque signa prælata. Cum funus per portam oppidi inferretur, arcam per transversam portam ante fores deposuerunt, quo facto Væringi tubis bellicum cecinerunt et gladios destrinxerunt. Extemplo omnis Græcorum exercitus plena instructus armatura ex castris in oppidum advolavit. Qui vero primi iverant[1] signaque et arcam portaverant, loricas sub stolis, galeas sub pileis gestarunt. Ipse Nordbriktus cum ceteris arcam, quæ inanis erat, portaverat; monachi vero ceterique clerici, qui antea primi omnium funeri obviam ire contenderant, nunc non minori studio incubuerunt, ut quam remotissimi ab Væringis essent; hi enim, quemcunque assecuti essent, sive clericum, sive laicum, neci dedere. Ferunt Nordbriktum, ut ceteros qui arcam portarunt, loricam sub stola gestasse, neque primo telum ad manum habuisse. Qui cum deposito in porta loculo Haldorem Snorrii filium audacter signum proferre juberet, Haldor indignabundus reposuit: lepus[2] tibi imbelli signum præferat! Cui Nordbriktus tu quidem strenue operam navare soles, ut incitare te opus non sit; at vero nunc insolentius locutus es. Eo momento facies Haldoris telo percussa est, omnesque, qui arcam portaverant primique op-

[1]) Haldor Snorrii filius et Ulvus aulæ magister, add. *M.*
[2]) gigantes heic (- præferant), *H.*

pidum intraverant, vulnerati sunt, et quidem maxime saxis e turribus conjectis. Mox eis dynasta, oppido præfectus, occurrit, vir juvenis ac fortis, et ad usum armorum audacissimus; is gladio vibrato Nordbriktum ferire cogitavit, hic vero cursu in eum tetendit et vibratum gladium manu correptum ei extorsit, ipsumque vivum captum suis servandum dedit. Hic gladius telum erat pretiosissimum, quo Nordbriktus ab eo tempore usus est. Quo facto oppidani, qui se antea ad defensionem converterant, se dediderunt[1]. Nordbriktus ex dynasta quæsivit, an vita[2] donari cuperet. Ille: [sanequam cupio, tu vero[3] [quis es? profecto[4] regios natales præfers. Huic Nordbriktus secreto, quis revera esset, aperuit, eidemque petenti ex oppidanis, qui superstites erant, condonavit. Idem cum magnam auri vim multasque res pretiosas ibi cepisset, dynastam oppido præfecit. Ceterum Nordbriktus multa oppida multasque provincias, tam in hac expeditione, quam in priori, in ditionem Græcorum imperatoris redegit. [Dicitur in his universis expeditionibus octodecim prælia instructa acie fecisse; teste Thjodolvo:

Homines norunt, quod Haraldus
octodecim atroces pugnas commisit;
sæpe viri compositionem ab
principe factam dissolverunt.
Gloriose rex! caput avidæ
aquilæ cruentasti, antequam
huc venires; lupus ungves
exasperavit, quacunque ires[5].

---

[1]) narrationem de morbo et funere Nordbrikti fragm. *M* pluribus verbis exponit. [2]) pace, *H.* [3]) omitt. *A.* [4]) omitt. *H.*

[5]) Ordo: *þjóð veit, at Haraldr hefr háðar átján grimmligar rimmur, halir a) hafa opt rofit b) sáttir fyrir jöfri. Hróðigr*

Dein Nordbriktus Gyrgeri significavit, se, uti pactus fuisset, res ex præda pretiosissimas habere velle; Gyrger vero se dixit eas imperatori velle tradere. Hic Nordbriktus: hoc meo jure mihi postulare videor, ut conditione, mihi consensu militum oblata, utar, quod jus haud facili negotio mihi extorqueri patiar; tu, Gyrger, meminisse debes, te in tota tua militia nunquam tantum pecuniarum adeptum esse, tantasve res gessisse; nam si nullus fuisset in hoc exercitu dux te alacrior, jam dudum omnium rerum inopes Constantinopolin cum dedecore reversi essemus. Hinc inter eos dissensio orta. His gestis cum copiis Constantinopolin reversi sunt, ubi brevi tempore commoratus Nordbriktus iter in terram sanctam ingressus est; tum ipse omnesque Væringi, hujus profectionis eum eo socii, aurum ab imperatore Græcorum stipendio acceptum, reliquerunt[1]; ex iis, qui eum tum comitati sunt, primi et præcipui erant, Haldor Snorrii filius et Ulvus Ospaki filius, aulæ magister, magnusque præter hos numerus Norvegorum et Væringorum. Gyrger vero remanens ei magnopere apud imperatorem Græcorum obtrectavit,

---

konúngr! [*þú rauð c) blóði hauss d) kars e) arnar, áðr fær-ir f) higat g); imr gat klær hvassar, hvar komut h).*

a) hvar, ubique, *Hk.* *b) rofizt, Hk.*, quod præferendum puto: *sáttir hafa opt rofizt fyrir jöfri*, i. e. rex sæpe prælia commisit. *c) rauttu*, id., *Hk.*; *nauztu*, *H*, prave. *d*) malo pro *hauss* legere *höss*, adsumta lect. var. *krás*, pro *kars*, hoc ordine: *hróðigr konúngr! þú rauð hvassar klær höss arnar: imr gat krás*, rex gloriose! acutos ungves cinereæ aquilæ cruentasti: lupus dapem nactus est. *e) krás, H*, vide *d*; *Hk. kars*, a *kar* id. q. *kjörr*, virgultum, *kars imr*, lupus in virgultis degens. *f) færi* (3. pers.), *H.* *g) hingat*, id., *Hk.* *h*) Sic *H, Hk.*; *komu, A.* Ab [omitt. *M.*

[1]) nempe ut Holmgardum mitteretur, vide cap. 16.

dicens, eum velle omnes pecunias omnemque prædam ad se transferre, imperatori vero exiguam tantum partem reddere; opinari, si avaritia ejus nimiumque contentionis studium diu ita procedere pergerent, uti processura viderentur, fore, ut occasioni ipsum regno exuendi immineret.

Cap. 11. Nordbriktus ab Constantinopoli navigans, trajecto mari Græco, Palæstinam attigit; inde cum copiis Hierosolyma contendenti, quacunque per Judæam iter faceret, omnia oppida et castella aperta sunt, quæ sine armis in deditionem accepit. Quod testatur Stuvus poëta, qui has res ex ipso rege Haraldo, multisque aliis, qui hujus itineris socii erant, didicit; qui sic dicit, Judæam ab incendiis et populationibus intactam in potestatem regis Haraldi venisse:

Rex animosissimus, bello audax,
Hierosolymam subjectum ivit;
regio superior cædium auctori
atque Græcis favens erat.
Quæ terra, nullo vastata incendio,
propter immensam potentiam venit
in justam bellatoris possessionem.
Anima Haraldi, terris superior[1].

---

[1]) Ordo: *Eggdjarfr ofrhuginn a) fór leggja und sik Jórsali; efri b) fold c) var virk víga valdi ok d) Girkjum e). Ok jörð kom óbrunnin f) heimöl g) und herði h) gunnar með ærnu i) ríki. [Haralds önd k) ofarr löndum l).*

a) ofrhugi, en, Hk. b) æfri, id., *F, Fagrsk.*; *yfrin*, magna, *H. c) hold, F*, prave. *d)* omitt. *H. e)* Sic meum exscriptum et *Fagrsk.*; *Grikkjum, A, Hk. f)* Sic *Fagrsk., Hk., M*; *óbrunnit*, id., *H; óbrunnu, A*; *or brunnan, F*, prave. *g) hæimil*, id., *Fagrsk.*; *heimil*, id., *Hk. h) harðri, Fagrsk.*, prave. *i) ernu*, meum exscr.; *einu*, solam, *Hk. k)* Sic *Fagrsk.* et tres Codd. *Hk.*, item *A*, pag. 258; *rönd*, h. l. *A; rund*, meum exscr.; *kund, F. l)* a signo, *hafi ríks þars vel líkat*, sine idoneo sensu, *Hk.; hefir ríkis þat líkat, H*; *hefir Haralds þat*

Haraldus sepulcro Domini et sanctæ cruci, aliisque quæ in Judæa erant sanctorum reliquiis[1] tantum auri rerumque pretiosarum, missis oblationibus, impendit, ut numerus selibrarum constitui ægre possit. Tunc viam ad Jordanem usque tutam reddidit, [interfectis latronibus ceterisque maleficorum[2] gregibus, id quod Stuvus testatur:

Consilium et ira regis
Agdensium multos perfidos
homines repressit in ripa
Jordanis; sic fama ferebat.
Iidem justa ob crimina
ab rege male accepti sunt, atque
in certam perniciem incurrerunt.
Omni certe tempore apud Christum[3].

Post hæc ad Jordanem[4] profectus, more ceterorum palmigerorum (religionis causa peregrinantium) in fluvio se lavit. Quo facto Constantinopolin rediit, adhuc eodem quo antea nomine

likat, M; mihi persvasum est, versum *Haralds önd ofarr löndum,* qui et occurrit infra cap. 51, str. 2, unum esse ex intercalaribus epicedii, in honorem Haraldi a Stuvo compositi.

[1]) sanctis locis, *H.* [2]) deprædatorum, *M.*

[3]) Ordo: *Ráð ok a) reiði Egða grams stóðu b) ýmsum svikamönnum c) á Jórdanar borðum; þat orð rann. Enn fyrir sanna afgjörð gat d) þjóð illa frá e) stilli, fékk vísan váða. Vist um aldr með Kristi f).*

a) Sic *Hk.; af, A,* cet. *b*) *stóðust, Hk.,* i. e. *ráð Egða grams stóðust ýmsum svikum ok reiði manna,* consilia regis varios dolos et odia hominum refringebant. *c*) *svikum manna, Hk.,* vide *b*. *d*) malim *galt,* var. l. *Hk.* h. l. *e*) Sic *Hk ; fyrir, H,* cet. *f*) Hunc versum pro intercalari accipio, eumque, quod ad sensum adtinet, referendum puto ad alterum illum, proxime antecedentem: *Haralds önd ofarr löndum — Vist um aldr með Kristi,* i. e. Haraldi anima supra terras evecta, omni certe tempore apud Christum (versabitur).

[4]) Quæ ab [sunt, omitt. *A.*

usus. Interea imperator, dictus Constantinus Monomachus, consors imperii ab Zoe imperatrice factus fuerat[1]. Erat Constantinopoli virgo juvenis et venusta, nomine Maria, Zoes imperatricis ex fratre neptis; hujus nuptias ambierat Nordhriktus, sed ab imperatrice repulsam tulerat; at tamen sæpe Nordbriktus ac virgo Maria clandestinos inter se congressus agebant.

Cap. 12. Ubi Nordbriktus Hierosolymis Constantinopolin redierat, Gyrger multique alii, livore stimulati, eum apud imperatorem obtrectabant. Accidit aliquando, ut apud virginem Mariam in cœnaculo quodam, mari superstructo, versaretur. Rex (ab æmulis) certior factus et accedere rogatus, ut perfidiam Nordbrikti cognosceret. Qua re animadversa virgo eum subito ex cœnaculo, qua æstus subluebat, fune demisit. Rex eodem momento adveniens, cum Nordbriktum apud eam non reperiret, eaque sibi de eo quicquam constare negaret, crimen amotum esse existimavit, eosque, qui hæc retulerant, mendacium sibi dixisse judicavit. Deinde delatum ad imperatorem est, Nordbriktum in agendis excubiis infidelem esse, quod falsum esse imperator se putare dixit. Tum Gyrger: rem experiare, domine, mitte armatos, qui custodias tenent. Factum. Quos animadvertens Nordbriktus, cum cohorte sua aggressus omnes interfecit, multique eo loco ex militibus imperatoris perierunt. Imperator autem se semper aliquid incommodi ex Gyrgere ejusque consiliis accipere querebatur.

Cap. 13. Post hæc Nordhriktus, cum fama cognovisset, Magnum Olavi filium, suum ex fratre nepotem, regem Norvegiæ atque Daniæ creatum esse, cupiditate ductus in terras septemtrionales ad avitas possessiones redeundi, militiæ,

[1]) Tori et imperii consors ab Zoe factus est anno 1042.

cui nomen apud Græcorum imperatorem dederat, renunciavit. Quo cognito Zoe imperatrix, ira incensa, Nordbriktum criminibus obruere cœpit: primo dixit, eum, dum exercitui præfuisset, pecunias in militia comparatas depeculatum: alterum crimen ab imperatrice objectum erat, quod virginem Mariam sollicitavisset. Væringi autem, qui Constantinopoli stipendia meruerunt, eam relationem huc in regna borealia attulerunt, dixisse viros gnaros ibi[1] versantes, Zoen imperatricem ipsam Nordbrikti connubium concupivisse, eamque revera præcipuam fuisse causam, quod Constantinopoli excedere voluisset, quanquam alia causa vulgo jactata esset. His de causis imperator Græcorum Nordbriktum vivum capi et in carcerem duci jussit, cum duobus aliis viris, Haldore Snorrii et Ulvo Ospaki filiis. [Qui cum ad carcerem fere pervenissent, Nordbrikto frater rex Olavus sanctus, apparuit, et se opem illis laturum pollicitus est; eo plateæ loco postea sacellum exstructum regique Olavo inauguratum est, quod sacellum ab eo tempore eo loco mansit. Hic carcer exstructus erat in formam turris in summo apertæ, foribusque a platea adibatur, qua immissi sunt[2]. Erat in carcere ingens serpens venenatus, qui [ibi prope rivulum quendam[3], per carcerem perfluentem, dormiebat; qui serpens carnibus hominum, qui in odium regis incurrentes eo immissi sunt, alebatur, cui cum plures objecti essent homines, quam ut consumere omnes posset, eo loco magna copia erat humanorum cadaverum, quorum quædam erant putredine penitus absumta, ita ut fœtidus

[1]) i. e. Constantinopoli. [2]) carcer erat antro subterraneo similis, orificium in summo habens, *F.* [3]) hæc valde detrita in *A.*

odor[1] et ossa sola relicta essent. Quo cum ingressi essent, et in cadaveribus consedissent, Haldor infit: haud sane bona mansio heic loci est, et forsitan post hæc pejor erit, serpens enim brevi dormiet, etsi eum somno excitare minime cupiamus; quod cum magno nobis periculo futurum sit, confestim decernamus, quid interea, dum dormit, faciendum sit. Haraldus: quid vobis capiendum consilii videtur? Illi rem ejus curæ permiserunt. Hic Haraldus: ab eo felicem rerum conversionem, auxilium et consilia exspectemus, qui omnibus rebus abundat, et Deum sanctumque regem Olavum invocemus. Cum votum (quod quale fuerit, hoc loco memoriæ non proditum est) confirmassent, Haraldus: nunc singulis nostrum suæ partes demandandæ, ut serpentem leto dare conemur, quod quidem successurum dubito, cum inermes[2] huc detrusi simus. Tu, Haldor, inquit, in tergum conscendito, Ulvus vero, qui nostrum robustissimus est, in cauda, cui maxima vis serpentum inest, hæreat. Ego vero, qui cultellum loro aptum habeam, adversum serpentem adgrediar, et, qua parte visum erit, telo petam, nam meæ tutelæ atque beniguitati fortunæ maxime confido; futurum autem credo, si vulnus ei infligere contigerit, ut, dum corpus quoquoversus jactet, unum ex nobis solo levet. Quibus dictis Haraldus ita se paravit, ut pallium cinerei coloris, quo indutus erat, exueret, eoque sinistram manum obvolveret, eademque manu inversa tigillum, dextra cultrum tenens. Dein serpentem a fronte adgressus, sinistram rictui immisit, eodemque momento dextra manu cultrum ad manubrium usque in sinistrum latus serpentis, ut proximas cordi

[1]) putrefactorum cadaverum fœtida tabes, *H*, forte verior lectio. [2]) Sic *H*; vox in *A* cerni non potest.

partes hauriret, adegit. Res vero erat et magnæ audaciæ, nec parvæ difficultatis, telo tam exiguo, tam ingentem et malam bestiam conficere. Serpens, cultro in viscera penetrante, somno excussus, se vehementissime torquebat, pallio venenum recipiente, Haraldoque interea cervicibus ejus inhærente; tantaque erat pestis hujus virium magnitudo, ut eos omnes sæpius tolleret. Sed tutela et auxilio regis Olavi sancti, et velocitate Haraldi comitumque ejus ope, factum tandem est, ut serpens interficeretur.

Cap. 14. Nocte proxime insequenti, matrona quædam, auctoritate potens, famulis comitata, scalis in summum carcerem adscendit et quæsivit, ecquod vivum ibi esset. Illi certo esse affirmarunt. An vultis, ait ea, longiore vita frui, quam vobis jam destinavit Græcorum rex? Illi se magnopere velle dixerunt. Illa: ideo huc adsum, inquit, quod sanctus rex Olavus vos vivere cupit. Illi gratias agere Deo et sancto regi Olavo. Tum funem in carcerem demittunt; Haraldus se postremum extrahi fecit. Qui cum in auras evasisset, diligenter ex matrona quæsivit, quibus rationibus inducta eos liberatum[1] venisset. Ea respondit: ego gravi langvore diu oppressa fui, hac vero nocte vir in somnis me accedens morbo quo laborarem convaliturum dixit, si legationem a se jussam suscipere vellem. Quærere mihi visa sum, quis esset, quove me mittere cogitaret. Ille respondit: sum Olavus, ex Norvegia huc delatus; tibi vero brevis via calcanda, ut fratrem meum ex carcere liberes; cujus universa agendi ratio etsi mihi minus probetur, tamen eum eo loco detineri nolo. Deinde somno experrecta sum sanitati omnino restituta, neque vos huc detrusos sciebam, priusquam me

[1]) iis auxilio, *H.*

docuisset, et quo loco essetis monstravisset. Haraldus ei pro præstita opera gratias egit; illa domum suam ivit, Haraldus vero se extemplo ad Væringos contulit, qui adventu ejus valde gavisi, confestim surrexerunt, omnesque arma sumserunt, et cubiculum, in quo imperator Constantinopolitanus dormiebat, ingressi, eum vivum ceperunt, et utrumque oculum eruerunt; [quod testatur Thorarin Skeggii filius:

Rex adhuc plenius aurum
Græciæ consecutus est;
imperator vero, periculoso et gravi
vulnere penitus cæcus, vitam egit[1].

Sic Thjodolvus:

Sedator luporum famis
utrumque imperatoris
oculum effodi jussit;
tunc tumultus ortus est.
Princeps Agdensium forti
regi fœdam notam imposuit
in oriente, sed rex Græcorum
mala fortuna usus est[2].

In his duobus encomiis de Haraldo compositis, multisque aliis de eo factis carminibus, hujus ingentis facinoris mentio facta est. Neque est cur quisquam neget[3], ipsum imperatorem ab eo

---

[1]) Ordo: *Jöfurr náði enn gjörr handa glóðum Grikklands;* [*stólþengill gekk a) steinblindr ströngu aðalmeini.*

a) stólþengils lèt, H, repetitum ex principio versus sequ.

[2]) Ordo: *Eyðir heiðíngja sútar lèt a) stínga út bæði augun stólþengils: þá var styrjöld byrjuð. Allvaldr Egda lagði grá-ligt mark á hraustan bragníng austr, en b) stillir Girkja c) fór illa götu.*

a) bað, id., *M.* *b) á, H, M.* c) Sic meum exscr. et *Hk.*; *Grikkja, A,* cet.

[3]) *gera hjá þvi*] hæc phrasis recte se habet, ut ex *Fagrsk.* apparet, quæ h. l. habet plenius *gera orð hjá þvi*; *H* minus, ut videtur, ad sensum commode, *gere orð á þvi* (verbis extollere).

fuisse excæcatum, cum (poëtæ) æque dicere potuissent, hoc comiti alicui accidisse vel duci, si id verius esse cognossent; ipse enim Haraldus, et qui ibi cum eo versabantur, hanc rem ita tradiderunt[1].

Cap. 15. Eadem nocte Haraldus ac sui ad cubiculum, ubi virgo Maria quiescebat, accesserunt, eam vi rapuerunt et secum abduxerunt. Deinde Væringi sumtas duas triremes conscenderunt et has in fretum Sævidicum[2] propulerunt. Ubi vero eo perventum est, ubi catenæ ferreæ per transversum fretum[3] ductæ erant, Haraldus utriusque triremis vectores ad remos considere jussit, qui vero non remigarent omnes in puppes decurrere, lectos suos aliave onera portantes. Quo factum est, ut proræ triremium in catenas evolarent. Quæ cum represso cursu hæsissent, Haraldus omnes jussit in proras procurrere, quo facto triremis, qua Haraldus vehebatur, proclinata, victo libramento, ex catenis decurrebat, altera vero in catenis dirupta est, multique ibi homines periere, quidam natando servati. Hac ratione Haraldus Constantinopoli elapsus, mare nigrum intravit; ante vero quam vela in altum daret, virginem in terram exposuit, tutumque ei præsidium dedit, jubens eam Constantinopolin redire, ac Zoæ cognatæ suæ exponere, quam tum potestatem in Haraldum haberet, quantumque potentia ejus obstitisset, quominus virgine, si voluisset, potiretur. Inde Haraldus boream versus in Ellipaltum[4] navigavit, unde per totum

[1]) a [omitt. *F.* [2]) Bosporum Thracicum. [3]) intelligitur portus Constantinopolitanus. [4]) Bosporum Cimmerium intelligit *Schöningius, Torfæus* Volgam. Equidem putaverim, locum aliquem esse inter capita Danapris et Danastris, Haraldumque, orientalem Turciæ oram legendo, recto fere cursu boream versus contendisse.

regnum orientale profectus est. In his itineribus versus quosdam lusit, strophas omnino sedecim, quæ omnes in eosdem versus desinunt, quanquam ex his paucæ tantum hic afferantur. Quarum hæc una est:

Carina latam præterlata est Siciliam:
nos bene ornati fuimus, ut par erat.
Velox navis, celsa puppi instructa,
viros ferens, celeri cursu lapsa est.
Opinor, desidiosum quemquam
multo minus eo navigaturum.
Tamen puella, Gardis quæ est,
annulo aureo ornata, me fastidit[1].

Quibus verbis significavit Elisabetham, filiam Jarizleivi regis, cujus nuptias petierat, ut supra commemoratum est. Hos versus adhæc fudit:

Ita cum Thrandis congressi sumus,
ut illi numero prævaluerint;
erat profecto, quod conseruimus,
pertinax et atrox prælium.
Juvenis ab juvene rege, qui
prælio cecidit, disjunctus sum.
Tamen puella, Gardis quæ est,
annulo aureo ornata, me fastidit[2].

---

[1]) Ordo: *Suð sneið fyrir viða Sikiley a): várum þá prúðir; brúnn b) vengis c) hjörtr skreið vel til vánar und drengjum d). Ek vætti at motti e) muni enn miðr nenna f) þannig g); þó lætr gollhrings Gerðr i Görðum skolla við mèr.* Hanc stropham ignorat *F.*

a) Sic *Fagrsk., H, M, Hk., Edd. Snorr.* p. 167; *Sikil, A.* b) *brýnn, Fagrsk.*; *brýnt,* velociter, *Hk., Edd.* c) *vængis,* id. (*æ* pro *e*), *H, Fagrsk.*; *Hk. vengishjörtr* equum piratæ vertit, minus recte, vide *Edd. Snorr.* p. 220 et Lexicon Danicum cur. Societ. Sciënt. sub voce *Löfting*, signific. 2. d) *streingjum,* funes, *H*, qui forte *drengr,* quod et virum et funem significat, ita intellexit h. l. e) *mátti, H.* f) Sic *M, Hk.; renna, A, Fagrsk.* g) *þinnig,* id., *Hk., M*; *þinnug,* id., *Fagrsk.*

[2]) Ordo: *Fundr var þess, at þeir þrændir höfðu meira lið:*

Nos una sedecim, o femina,
in quatuor intersealmiis
sentinam exhausimus, invalescente
æstu; navis onerata salo adspersa est.
Opinor, desidiosum quemquam
multo minus eo navigaturum.
Tamen puella, Gardis quæ est,
annulo aureo ornata, me fastidit[1].
Octo artes calleo:
carmen facere possum,
equitandi bene sum peritus,
subinde nando me exercui,
cursoriis perticis labi didici,
non imperitus jaculandi et remigandi.
Tamen puella, Gardis quæ est,
annulo aureo ornata, me fastidit[2].

---

sú snerra, er vèr of-gerðum, var vist a) errilig. Úngr skildumst b) við úngan alvald, fallinn í styr. [*þó lætr c*), etc. Nescit hanc stropham *F.*

a) *vitz, M.* *b*) *skildumk*, id., *M.* *c*) Sic *H, M; þá lèt*, h. l. *A.*

[1]) Ordo: *Svanni a), vèr josum senn sextán í fjórum rúmum, þá er brim vexti; húm dreif á hlaðna húfa. Ek vètti, at motti muuí enn minur nenua þinnig. þó lætr* etc. *b*). *F* et *H* hanc stropham omittunt.

a) Sic *M*; *svanna, A.* *b*) Hæc stropha Haraldo non adscribenda videtur, tum quod versus quintus et sextus ex prima stropha repetiti sint, neque satis arcte cum præcedentibus cohæreant, tum etiam in primis, quod *Edd. Snorr.* pag. 185 quatuor primos versus Njali, qui ante natum Haraldum mortuus est, tribuat.

[2]) Ordo: *Ek kann átta íþróttir: ek fet at smiða yggs lið, ek er hvast færr á hesti, hefik stundum numit sund, ek kann skríða á skiðum, ek skýt ok ræk a), svá at nýtir.* [*þó lætr gollhríngs Gerðr í Görðum skolla við mèr b*).

a) *ræig*, id., *H*; *ræg*, id., *M.* *b*) pro his duobus versibus *M* substituit, ad complendum artium numerum octonarium:

Præterea neque femina, neque
juvenis virgo inficias ibit,
nos mane in oppido australi
fuisse, ubi enses vibravimus,
ferroque et armis grassati sumus;
ibi rerum gestarum indicia sunt.
Tamen puella, Gardis quæ est,
annulo aureo ornata, me fastidit[1].
Ego natus sum, ubi
Upplandi arcus torserunt;
nunc naves bellicas, rusticis
invisas, facio ad scopulos natare.
Multis locis, ex quo deduximus
navem, prora ruimus undas.
Tamen puella, Gardis quæ est,
annulo aureo ornata, me fastidit[2].

Cap 16. Cum Haraldus Holmgardum venisset, ab rege Jarizleivo liberalissime exceptus est. Hic proximam hiemem transegit, tumque

---

hvárttveggja kann ek hyggja harpsloti (lege *harpslátt*) *ok bragþáttu*, i. e. et artem citharizandi et versificandi calleo; sed cum in præcedd. ars poëtica (*yggs fet ek lið at smíða*) jam recensita sit, et hi duo versus in historia Orcadensium (cap. 49) Kalvo dynastæ adscribantur, eos Haraldo abjudicare non dubito. *F* stropham omittit.

[1]) Ordo: *Enn a) munat ekkja nè úng mær sanna b) at værím suðr í borg um morgin, þar er gerðum svip sverða; ruddumst c) um með oddi: merki verka eru þar d). Þó lætr* etc. *e*).

a) *ein, H*; *oss, M.* *b*) Sic *H*; malo *synja*, vel pro *munat* leg. *mun*; omitt. *A*; *kenna, M.* *c*) *ruddumk*, id., *M.* *d*) *þess, H.* e) Hanc stropham omitt. *F.*

[2]) Ordo: *Ek var fæddr þar a) Upplendingar bendu álma: nú læt ek skeiðr, leiðar búmönnum, skolla við sker. Ek hefi vítt skotit eygarð barði, sízt ýttum b). Þó lætr gollhrings Gerðr í Görðum skolla við mèr c).*

a) *þars*, id., *M.* *b*) Sic *H, M*; *ýtum, A.* *c*) hanc stropham omitt. *F.*

omne aurum, quod eo ab Constantinopoli miserat, resque pretiosas varii generis ipse servandas recepit; quæ tanta erat pecuniæ vis, ut nemo in regnis septemtrionalibus tantundem vidisset in unius hominis possessionem venisse. [Haraldo, dum Constantinopoli commorabatur, ter[1] contigerat, thesauros palatiorum spoliare. Nimirum ibi lege sancitum est, ut quotiescunque morte obierit imperator Græcorum, Væringi potestatem habeant imperatoris palatia despoliandi; tum his omnia imperatoris palatia, ubi thesauri ejus asservantur, obire, et cuique, quod manibus assecutus fuerit, sibi habere et pleno jure possidere licitum est[2]. Eadem hieme rex Jarizleivus Haraldo filiam Ellisivam nuptum dedit. Quod memorat Stuvus cæcus:

Princeps Agdensium, pugnandi cupidus,
quam optavit, nactus est affinitatem;
Virorum amicus auri copiam
regisque consecutus filiam est[3].

Cap. 17. Insequenti vere iter [ab Holmgardo ingressus, Aldejoborgam[4] descendit, ubi comparatis navibus per æstatem ab oriente navigavit; primo in Svethiam cursum direxit et ad Sigtuna appulit[5]; sic Valgardus Vallensis:

---

1) Scilicet mortuo imperatore Romano argyro 11. Apr. 1034, Mich. Paphlagone 10. Dec. 1041, Mich. Calephato 14. Apr. 1042. 2) quæ ab signo [sunt, omitt. *M.*

3) Ordo: *Ógnarmildr öðlingr a) Egða b) gat þá mægð, er vildi: Gauta c) spjalli tók gnótt d) gulls ok dóttur bragnings e).*

a) allvaldr, id., *Hk.* *b) eiga* (i. e. *gat eiga*), *F.* *c) gumna,* id., *Hk.* *d) gnógt,* id., *F.* *e) bragníngi, F,* mendose.

4) Althekjoborgam, *H.* 5) loco eorum, quæ a proximo signo [sunt, *F* et *M* sic habent: ab oriente ingressus dynasta (*jarl*, rectius *Haraldr*), regi significat, se velle regem Magnum, cognatum suum, convenire, si forte velit secum par-

Haralde, mactate honoribus,
navem onere pulcherrimo onerasti,
aurique immensam copiam
Gardis ex oriente advexisti.
Rex, fidens animi, navem strenue
in sæva tempestate gubernasti, navibus
undas repellentibus; vidisti Sigtuna
desævieute pelagi aspergine[1].

[Hic Haraldus convenit Sveinem Ulvi filium, qui hoc autumno ab rege Magno ad Helganesum prælio victus fugerat, ut supra scriptum est. Qui congressi mutuo gaudio se amplexi sunt. Olavus Svecus, Svionum rex, erat avus maternus Elisabethæ, conjugis Haraldi; Astrida autem, mater Sveinis, erat soror Olavi, Svionum regis. Svein et Haraldus societatem inter se junxerunt et pactione confirmarunt. Omnes Sviones Sveini erant amicissimi, amplissimam enim cognationem ea in terra habebat; unde factum est, ut omnes Sviones Haraldo amicitiam et auxilium pollice-

---

tem regni communicare, cum duorum regum imperium teneat; cum enim decere, cognatum sibi adeo propinqunm aliquo honore ornare. Rex atque regina oravere, ut ante omnia cum rege Magno leniter ageret, id sibi summæ curæ esse, ut ei sua prudentia et opibus quam fidelissimum ac firmissimum auxilium præstaret. Haraldus ab oriente Holmgardo profectus, una nave in Svethiam trajecit.

1) Ordo: *Haraldr, skauztu beiti und [hinn friðsta farm a): frami veitist þèr; þú færðir grunnlaust b) gull austan ōr Görðum. Hugdyggr c) jōfurr, stýrðir hvatt i hōrðu glyggi d), en skip hnigðu e); sáttu Sigtún, þá er sæðrif lètti f).*

a) farminn friða, pulcro onere, *H.* *b) grunlaust*, sine dubio, *Fagrsk.* et meum exscr. *c) hvardyggr*, in omni re fide, *Hk.* *d) glyggvi*, id., *H, Hk., M.* *e) hnigði, M*, quia una tantum nave vectum Haraldum memorat; *Fagrsk. nyghðo*, quæ tres naves habuisse Haraldum perhibet. *f)* nescit hanc stropham *F.*

rentur, multi enim summorum virorum ei affinitate juncti erant. Sic Thjodolvus:

Carina querna fluctus arduos
dein Gardis ab oriente secuit.
Omnes Sviones tibi, strenue
regni curator, opem tulerunt.
Aqua turgens Haraldi navis, in latus
inclinata, sub lato processit velo,
auri ferens ingentem copiam.
Tempestas vehemens circa regem sæviit[1].

Deinde Haraldus ac Svein naves compararunt, magnumque militum numerum cito contraxerunt, quibus copiis paratis et instructis, ab oriente in Daniam navigarunt, teste Valgardo[2]:

---

[1]) Ordo: *Síðan reist eikikjölr a) örðigt b) vatn austan or Görðum; snjallr landreki, allir Svíar tèðu c) þèr d). Sollin skeið Haralds, höll á hlèborð e), gekk und breiðum vef með gullit mikla f); ótt g) glygg fèll um tiggja.*

a) Sic *Hk.*; *eikiöls, A*; *eikjolar, H.* *b*) *örðikt*, id., *Hk.* et meum exscr. *c*) Sic dedi, duce *Hk.*, quæ habet *tjóðu*; *rèðu*, potestatem habuerunt, *A.* *d*) Sic *H*, *Hk.*; *því*, ejus rei, *A.* *e*) Sic *Hk.*; *hlæborð* (*æ* pro *e*), *A.* *f*) *gulli miklo*, eod. sensu, *Hk.* *g*) omitt. *Hk.*

[2]) Loco eorum, quæ sunt ab signo [, *F* et *M* sequentia habent, ita tamen, ut in parenthesi inclusa *F* omittat: Hic convenerunt Haraldus ac Svein dynasta, qui a Magno rege pulsus e Dania fugerat; is hortatus est, ut societatem inter se jungerent ad expediendas eas difficultates, quod utrisque regnum, ab rege Magno occupatum, nativitatis jure competeret, et affinitatis, quæ eum inter et Haraldum intercedebat, necessitudinem attulit. (Svein cognatione junctus erat Ellisivæ, conjugi Haraldi, quæ filia erat regis Jarizleivi et Ingigerdæ, regis Olavi filiæ; soror regis Olavi erat Astrida, mater Sveinis, nam utrorumque, regis Olavi et Astridæ, mater erat Sigrida superba; quas res Svein coram Haraldo recensuit.) Haraldus vero ita respondet: nolle quidem suam Sveini amicitiam denegare, velle tamen cognatum, regem Magnum

Princeps in pugna hilaris! deinde
navis, te ferens, in altum delata
est ex Svethia; paternum regnum,
jure tuum, sors tibi reservavit.
Navis, contractis velis, currens,
recto cursu planam Skaniam
præterlata est; liburnæ vero feminas,
Danis cognatas, in terrorem conjecerunt[1].

[Primo ad Selandiam appulerunt, ibique late populationem fecerunt; inde ad Fioniam accesserunt[2], teste Valgardo:

---

prius conventum, quam ei se inimicum ostendisset aut se partibus adversariorum ejus adjunxisset; quibus peractis Haraldus inde in Daniam proficiscitur, teste poëta.

¹) Ordo: *Ógnblíðr a) ýngvi! eik slaung síðan und þèr [í haf b) frá Sviþjóðu; rètt óðal var of-ætlat yðr c). Rif- d) hynd e) bar rètt fyrir slètta Skáney, þars f) rendi g) á stag h), en skeiðr skelktu i) brúðir k), nánar l) Dönum.*

a) ógnblið, Fagrsk. b) veðr, ventus, *Hk.*, i. e. *veðr slaung eik*, ventus navem ferebat. *c) yðrum, F*, rectius *yðr um* pro *yðr of. d) ríks* (corrupte pro *rifs*), *F. e) hund* (canis), *F*; *hind, Fagrsk.*, cerva. Celeb. *Magnusenius* (*Hk.* T. 6), mutato *bar* in *var*, hanc rationem proponit: *hind var rif, þars skeiðr rendo* etc., decor (splendor) ingens erat, cum naves etc. *f) þá er, F*; *þar er*, id., *Fagrsk. g) reyði, F*, prave; *rendo, Fagrsk. h) stig, Hk.*, i. e. *rètt á stig*, recto tramite, recto cursu. *i)* Sic *Hk., Fagrsk.*; *skelktut* (2. plur. sine negatione, vel 3. plur. cum negatione), *A*; *skelduð, F*; *skelkr, H. k)* Sic *F, Fagrsk., H, Hk., M* et meum exscr.; *brúðr, A. l)* Sic *F, H, Hk., Fagrsk.*; *vánar*, adsvetas, *A*; vox non cernitur in *M*.

²) a signo [*F* et *M* sic habent: Ibi rex Haraldus regem Magnum, cognatum suum, convenit, et cum eo collocutus, quærit, quomodo velit secum regnum partiri. Rex Magnus cognato suo benigne respondit: ea in re se amplissimorum virorum consiliis et civium voluntati obsecuturum. Mox advocato principum concilio, rex Magnus, quæ Haraldus postularet, exponit. Einar Arcipotens ex principibus primus sic verba fecit: procul, Haralde, abfuisti, cum patriam Knutida-

Haralde! totam Selandiam
vastatam dedisti; penitus
hostes, o rex, repellis; lupus
ad stragem visendam cucurrit.
Rex, multis stipatus, in Fioniam
cum transivisset, haud exiguum
facessivit laborem galeis;
clypeus, magna vi fissus, crepuit[1].

Multas terræ partes armata manu obierunt, homines interfecerunt, pagos incenderunt; omnes incolæ, quibus quidem facultas erat, in deserta et sylvas confugerunt. Sic Valgardus:

Lucidus ignis arsit in oppido
ad meridiem Roiskeldæ;
rex impiger fumi vomitorem
domos destruere fecit.
Multi incolarum cæsi jacuere,

---

rum imperio eripuimus, neque cupimus inter duos principes dividi, cum antea semper uni tantum nomen dederimus, quod et in posterum faciemus, dum rex Magnus imperio vitaque gaudebit. Ad hujus dicta omnium principum responsa inclinabant, et quamvis diversis initiis suam quisque orationem ordiretur, tamen omnium responsa in unum locum devenere, soli Magno imperium deferentium. Sic Haraldus cum dedecore repudiatus abscessit, habitoque colloquio cum dynasta Sveine Ulvi filio, consilia utrique conferunt, societatem ineunt eo pacto, ut Haraldus suo nomine Norvegiam, Svein Daniam constituat, quod utrumque regnum Magno regi eripiant; inde navibus ac militibus comparatis, multa Selandiæ loca peragrarunt, arma late circumtulerunt, villas inflammarunt, magnamque hominum multitudinem ceperunt.

[1]) Ordo: *Haraldr! lèztu herjat alla Sælund; þú, tiggi, hnyggr a) andskotum b) gerfa: vargr rann hvatt at vitja c) valfalls. Fjölmeðr d) konúngr e) gekk á Fjón, fèkkat hjálmum lítit erfiði: en rít, ríkula ristin, brast f).*

a) Sic et *Fagrsk.*; *hniggr* (per *i*), *Hk.* b) *annskoti*, *H.* c) Sic *H*, *Hk.*, *M*, *Fagrsk.*; *vittja*, *A.* d) *fjölmennr*, id., *Fagrsk.*; *fjölmeiðr*, *H.* e) *konúngs*, *H.* f) omittit hanc stropham *F.*

aliis vincula libertatem ademerunt:
familia, dolore misera, fugiens
se tacite in sylvam subduxit[1].

Magna præda potiti sunt, magnumque numerum feminarum et captivorum vinctum ad naves compulerunt, teste Valgardo:

Tardati sunt homines, tristi
modo separati; superstites
Danorum qui erant, fugerunt,
pulcræ vero feminæ captæ sunt.
Vincula corpus feminæ retinuerunt;
multæ mulieres ante vos ad naves
incedebant; compedes candidam
cutem violenter atterebant[2].

---

[1]) Ordo: *Bjartr eldr brann i bæ fyrir sunnan Hróiskeldu a): nenninn ræsir lèt b) reykvell c) fella rönn ofan. Gnógir landsmenn lágu d), hels e) ló sumum frelsi; harmvesælt hyski drósk f) hljótt á flótta til skógs g).*

a) *Roskeldum, Fagrsk.* *b*) *lèzt* (2. pers.), *Fagrsk.* *c*) i. e. ignem. *d*) Sic *H, Hk., M, Fagrsk.* (quæ scribit *logha*); *lögðu, A.* *e*) Sic *Hk.* et *H,* qui scribit una voce *lóhels*; *Fagrsk.* una voce *hælsumum* (*æ* pro *e*); *hel, A*; *Hk.* construit *frelsi hels* (ab *hel* mors) *ló* (a *hlæa*) *sumum,* risit quibusdam a morte liberatio, i. e. quibusdam lætum erat mortis effugium. Accipio *hels* pro *helsi,* collare (quæ vox veteribus poëtis usurpatur), hinc vinculum: et *ló* pro imperf. v. *ljúga,* mentiri, it. fallere, frustrari; sensus enim semistrophæ est: alii ceciderunt, alii capti, alii in fugam conjecti sunt. *f*) Sic *Hk., Fagrsk.*; *dróst,* id., sed metro minus accommodate, *A.* *g*) nescit hanc stropham *F.*

[2]) Ordo: *Ferð, daprt of- a) skilda, dvaldi b); þeir Danir, sem eptir lifðu, drifu undan, en fögr sprund urðu c) fengin. Lás hèlt líki drósar: mart fljóð leið fyrir yðr til skeiða: fjötrar d) bitu e) fikula (hið) bjarta f) hörund g).*

a) *ok, H.* *b*) Sic *Hk.,* quod impersonaliter cum *Hk.* T. 3. capere placuit; *dvöldu,* tardarunt (i. e. milites Haraldi), *A.* *c*) *urðu,* id., *Hk.* *d*) Sic *Hk., M*; *fjöttrar, A*; *fjötur,* id., *H.* *e*) Sic *H, Hk., M*; *bittu, A.* *f*) Sic *Hk., M.*; *bjartir, A,* quod

Cap. 18. [Autumno prælium Helganesium proxime subsequenti, Magnus Olavi filius boream versus in Norvegiam profectus, cognovit, cognatum Haraldum Sigurdi filium in Svethiam venisse, atque insuper hunc et Sveinem Ulvi filium juncta societate magnum copiarum numerum bello paratum habere, primoque Danorum imperium, deinde vero etiam Norvegiam in potestatem redigere statuisse. Rex Magnus, evocatis in expeditionem regni incolis, brevi tempore magnum contraxit numerum copiarum. Mox cognovit Haraldum et Sveinem, in Daniam delatos, omnia ignibus ac flammis vastare, incolasque ad deditionem cogere. Allatum est simul, Haraldum ceteros homines corporis viriumque magnitudine præstare, tantumque prudentia valere, ut nihil non efficere posse videretur; ex quovis prælio victorem discedere, cum quocunque ei res esset; eundem tantum auro abundare, ut nemo selibrarum numerum sciret. Jam rex Magnus classem paravit et austrum versus in Daniam adversus Haraldum et Sveinem navigare statuit. Sic hac de re Thjodolvus:

Nunc præliatoribus haud tuto
bonam pacem sperare licet:
cinxere terram classe milites;
magnum periculum incolæ timent.
Bellicosus Magnus classem
a borea ducere statuit,
egregius vero Haraldus alias
naves ornatas ab austro ducit[1].

---

quis retulerit ad *fjötrar*; *bjartar*, *H*, forte pro *bjartrar*, ut *hörundbjartar* referantur ad *drósar*, puellæ cutem candidæ; possis et construere *mart* (*hið*) *hörundbjarta fljóð*, tum *bitu* absolute, (membra) urebant. *g*) hanc stropham omitt. *F.*

[1]) Ordo: *Nú er víðis valmeiðum hætt* (*at*) *vètta a*) *góðs friðar: her b*) *hefir skeiðr fyrir hauðri; drótt veit mikinn ótta.*

Qui regi Magno a consiliis erant, significarunt, videri sibi rem in iniquum locum jam deductam, si futurum esset, ut cognati, ille et Haraldus, inter se dimicarent; unde complures operam suam obtulerunt, ut eos in gratiam reducere tentarent. Quibus hortantibus rex obsecutus est. Itaque cursoria nave, qui integram cum rege Magno amicitiam coluerunt, missi quam celerrime in Daniam contenderunt, ut hanc rem coram Haraldo exponerent; quæ res ut fieri potuit clam acta est. Ut vero Haraldus ex missis audivit, regem Magnum, cognatum suum, ipsi pacem et societatem oblaturum, seque dimidium Norvegiæ, ex æquo cum rege Magno, obtenturum, et utrumque dimidium ejus pecuniæ, quam utervis possideret, adepturum: conditionem pro sua parte accepit. Quo facto missi cum his arcanis mandatis ad Magnum regem redierunt.

Cap. 19. Paulo post Haraldo ac Sveine vespere quodam super vina confabulantibus, Svein interrogavit, quas res pretiosas haberet Haraldus, maximi ab eo æstimatas. Ille significavit, vexillum suum esse, dictum Landeydam (regionum vastatricem). Quærenti porro Sveini, qua re vexillum istud ita præstaret, ut tanti esse pretii judicaretur, Haraldus respondit: ferunt victoria potiri eum, cui hoc vexillum præferatur; id quod ego expertus fui, postquam id adeptus sum. Svein: tunc ego credam, eam in hoc ve-

---

Morðs mildr Magnús vill halda hlymgotum c) norðan, en itr Haraldr d) skreytir ðauur unuvigg e) sunnan f).

a) *vætta*, id., *H*, *Hk.*; prætuli h. l. constructionem celeb. *Magnusenii* in *Hk.* T. 6 propositam. b) Sic *Hk.*; *hann*, i. e. *Magnús*, *A.* c) a *hlymr* = *hlumr* (*hluumr*), manubrium remi, et *goti*, equus, etsi malim *hlyugoti*, ut *hlyubjörn*; *hluungotum*, id., *Hk.* d) Sic *Hk.*; *Haralds*, *A.* e) Sic *H*, *Hk*; *unuvig*, *A.* f) a signo [omittunt *F*, *M.*

xillo virtutem inesse, si tria prælia cum rege Magno, cognato tuo, feceris, et ex omnibus victor discesseris. Heic Haraldus indignabundus: novi cognationis inter me et Magnum necessitudinem, etsi mihi non revoces in memoriam, neque vero ideo evenit, ut infestis signis inter nos concursuri simus, quod non magis consentaneum sit, nos aliis animis congredi. Svein, mutato faciei colore excepit: sunt qui dictitent, te olim fecisse, ut ex pactis conventis id solum præstiteris, quod tuum commodum maxime promoveret. Haraldus respondit: at vero me pactis conventis non stetisse, tu non tam probatum dederis, quam de tua in se levitate regem Magnum persvasum habere credo. Quibus dictis diversi discesserunt. Vespere Haraldus, cum ad tectum puppis somnum capturus concederet, ei qui sibi a calceis erat: hac nocte in solito lecto non quiescam, inquit, vereor enim, ne res insidiis non careat; nam vespere proximo sensi Sveini, affini meo, majorem qua usus sum in loquendo libertatem stomachum movisse. Quare observes, velim, ecquid forte novi heic loci accidat. Quo dicto in alium locum concessit dormitum, relicto in lecto caudice vestibus contecto. Hac ipsa nocte aliquis scapha vectus per silentium puppi adremigavit, conscensaque nave, tentorio puppis remoto, ingentem securim tanta vi in lectum Haraldi incussit, ut ligno infixa staret; quo simul facto in scapham recurrit et extemplo se abripuit; erant enim tenebræ densissimæ, unde animadverti non potuit, [quo se homo remigando subduxisset[1]; indicium autem rei permansit securis caudici infixa. Mox Haraldus somno experrectus, suos evocavit, hisque aperuit, quibus circumventi dolis essent: perspicuum nobis esse

[1]) quis esset, *H.*

debet, inquit, nos nullo modo posse Sveini resistere, ex insidiis nos aggredienti; quare nobis maxime censeo expedire, si facultas erit, hinc discedere; agite solvamus naves et clam remigando nos subducamus. Illi imperata fecerunt, atque per noctem boream versus secundum litora naves egerunt, deinque nec nocturno nec diurno itinere intermisso, sive velis sive remis facere iter possent, quam maxime cursum contenderunt. Haraldus magnas habuit et perbene ornatas naves. Cujus iter splendissimam speciem præbuit, auratis draconum capitibus et aplustribus, quibus ornatæ naves ab austro advenientis erant, solis fulgorem late longeque reflectentibus; qua de re sic Valgardus Vallensis:

Quando naves tuas ab austro
duxisti, aperta draconis
rostra igni flagranti
similia intuentibus apparebant.
Navis bellica, rubrum rostrum gestans,
puro auro splendebat; draco,
subjectas undas lateribus frangens,
magno quotidie cursu ferebatur[1].

In quo carmine Valgardus significat, Haraldum, post [hunc adventum[2] ex terris australibus, imperio Norvegiæ ac summa rerum potitum fuisse. Ille sic cecinit:

Spuma maris ad litus rejecta est;
mare turgidum auro micabat.

---

[1]) Ordo: *þar a) er héldut yðrum skipum sunnan, var iðglíkt (at) sjá b) inn í miðjan orms munn, sem eldr brynni. Skeið bar c) hinn rauða d) skolpt e), skein af hreinu gulli; dreki fór mikla dagleið, braut dúfu und húfi.*

a) þá, Fagrsk. b) Sic *Fagrsk.; í sjá, F; sjó, A.* c) *þar er, H.* d) *rjóða, F.* e) *skolt* (ex vulgari prolatione), *Fagrsk.; skolp, F.*

[2]) reditum ejus, *H.*

fluctus navium terribilia
laverunt rostra bellicarum.
Tu toti imperas Norvegiæ,
te nullus rex præstantior
turgidum mare sulcat; incolæ
strenui domino suo opem tulerunt[1].

[Haraldus non prius ab itinere destitit, quam eo venisset, quo loco rex Magnus cum militibus suis[2] versabatur; ipse extemplo regem Magnum, cognatum suum, adiit; quibus utrisque mutuus congressus magnam lætitiam attulit. Sic Thjodolvus:

Fecisti, princeps late celeber,
aquas tenui tabula dissolvi;
splendidæ naves undas scandebant,
cum e Dania navigares.
Deinde filius Olavi tibi obtulit, ut regni
ac civium tecum dimidium communicaret:
is congressus cognatorum haud
dubie multo erat jucundissimus[3].

---

[1]) Ordo: *Löðr var lagt í beði a); sollit haf lèk golli, en hrannir þógu b) herskipum ógurlig höfuð; þú ræðr öllum Noregi, en snjöll sveit tær c) sínum drottni; aldri d) rístr e) æðri ræsir kaldan sjó.* Priorem semistropham exhibet *Edd. Snorr.* pag. 185, posteriorem *Fagrskinna.*

a) Sic *M* et *Edd.* Cod. Vorm.; *bæði, A, Edd.* Cod. Reg. *b*) *þvógu,* id., *F.* *c*) *tjór,* id., *Fagrsk.*; *þèr, F,* prave. *d*) *aldr, F.* *e*) *ríkr, F, M.*

[2]) classe sua, *H.*

[3]) Ordo: *Víðkunnr a) vísir, þú lèzt vatn slítna und b) þunnri c) skör: dýr flaust d) klifu e) flóð, [þar er f) fórut austan ör Danmörk. Sonr Ólafs bauð þèr síðan hálf lönd g) ok þegna við sik: hykk, at frændr fyndist þar hála fegnir.*

a) *víðkuðr,* id., *Hk.* *b*) *af, Hk.* *c*) *þuðri,* id., *Hk.* *d*) *flaustr,* id., *H.* *e*) *klufu,* secabant, *Hk.* et meum exscr. *f*) *þars,* id., *Hk:* *g*) Sic *Hk.*; *land, A.*

Mox cognati ita inter se collocuti sunt, ut omnia quo ferebantur studium pacis testarentur[1].

Cap. 20. Rex Magnus, positis in terra tabernaculis, Haraldum cognatum suum ad se invitavit[2]. Haraldus ad convivium, quod splendide apparatum est, sexaginta viris comitatus accessit. Ubi processerat dies, rex Magnus egressus, paulo post rediit in tentorium, ubi discumbebat Haraldus; sui eum comitantes sarcinas portarunt, arma vestesque. Rex Magnus ad eum, qui ex Haraldi militibus extremo loco accubuit, accessit, eique bonum ensem dedit, alii clypeum, proximo vestem aut aurum, singulis rem aliquam pretiosam dedit, in muneribus distribuendis rationem habens dignitatis. Postremo Haraldum cognatum suum adiit, manu tenens duo calamos arundineos, atque infit: utrum calamum accipere vis, cognate? Haraldus: eum, qui propius me est. Tum rex Magnus: cum hoc una calamo dono tibi dimidiam Norvegiæ partem, ex æquo mecum possidendam, cum omnibus quæ eo pertinent, mercedibus, vectigalibus et possessionibus, ea lege, ut omni ex parte rex Norvegiæ æquo jure sis, atque ego; ubi vero nos nostrique una omnes sumus, salutationis ac sedis ceterorumque omnium honos officiorum mihi principi habetor; si tres adsunt viri principes, media sedes mihi esto; locus appellendi et pontes regii mihi sunto; imperio nostro fulciendo ac firmando gratiam referto, quod te illum virum reddidimus, qualem dum nostrum caput supra terram esset[3], fore credidimus neminem. Surrexit Haraldus, atque ei pro (concessa) dignitate et honore gratias egit; dein utrique consederunt, potarunt et perquam

[1]) quæ inde ab signo [sunt, omitt. *M.* [2]) *F* locum, ubi reges convenere, *Skjaldarakr* (agrum Skjöldi), *Fagrsk.* simpliciter *Akr* (agrum) appellat. [3]) nos viveremus, *H.*

hilares erant. Sequentis diei mane rex Magnus omnes milites classico advocari ad concionem jussit; qua constituta, quo munere Haraldum cognatum donavisset, coram omnibus palam fecit. Eadem concione Thorer Steigensis Haraldo nomen regium dedit. Rex Magnus eodem die ab Haraldo ad cœnam invitatus, cum sexaginta viris ad tabernacula regis Haraldi, ubi convivium apparatum erat, se contulit. Hic uterque rex sedes suas occupabant; epulæ erant splendidæ et magno studio adparatæ; reges hilares ac læti. Cum processerat dies, rex Haraldus permulta marsupia inferri in tentorium jussit; præterea sui vestes et arma aliasque res pretiosas adtulerunt, quas res comitibus Magni regis, qui convivio adfuerunt, dedit ac divisit. Dein, laxatis marsupiorum vinculis, regi Magno fatur: tu [die præterita[1] amplum mihi imperium, quod antea tuis meisque hostibus eripueras, concessisti, meque in societatem tecum adscivisti; quod quidem bene a te factum; magno enim labore has res acquisivisti. Ego vero altera ex parte, in exteris regionibus commoratus, haud pauca discrimina et pericula adii, antequam hoc auri, quod videre nunc tibi licet, comparare potui. Hoc ego nunc te participare volo, ut, quemadmodum imperii, sic utrique nostrum omnis pecuniæ æquis partibus communio sit. Cum autem noverim, nos indole esse dissimiles, teque multo esse liberaliori ingenio, quam me, has pecunias inter nos ex æquo dividamus, quo facto sua cuique parte, ut placuerit, uti liceat. Dein Haraldus [ingens corium bubulum[2] in solo extendi jussit, eoque effundi aurum ex marsupiis; mox sumtæ lances ac pondera, omnisque pecunia in partes depensa et per lances (ad exagium) divisa. Omnibus

[1]) heri, *H.* [2]) ingentem pannum, *F.*

videntibus miraculo fuit, in regnis borealibus tantum aurum in unum locum coiisse; hæc vero pecunia re vera fuerat possessio ac divitiæ Græcorum imperatoris, cujus palatia rutilo auro plena esse dicuntur. Reges inter hæc admodum læti erant; tum prolata est massa rotunda, capitis humani magnitudine; qua sublata, rex Haraldus: ubi Magne cognate, aurum, quod huic compares capitello? Hic rex Magnus: ita se dedere bella et magnæ expeditiones, ut quod custodiendum habeo auri argentique, hoc tantum non omne tibi donem, non enim plus auri in mea possessione est, quam annulus hicce. Hæc dicens detractum annulum regi Haraldo dedit. Ille contra: hoc sane exiguum aurum est, cognate, ei regi, qui duorum regum imperium possidet; verum tamen erunt fortasse, qui dubitabunt, tunsne sit hic annulus, an non. Heic rex Magnus, non sine gravi ægritudine: si hic annulus jure meus non est, haud equidem scio, quid jure acquisiverim; hunc enim mihi annulum pater, sanctus rex Olavus, supremum mihi valedicturus, dedit. Tum rex Haraldus ridens: verum dixisti, rex Magne, hunc annulum tibi a patre tuo datum; at vero ille eundem exigua de causa patri meo abstulit; nec minus verum est, quo tempore pater tuus plurimum potentia valuit, minus commodam regulis fuisse in Norvegia mansionem. Nec plura locuti, reges, eadem qua antea hilaritate se præbuerunt[1]. In hoc convivio rex Haraldus Thoreri Steigensi calicem acernum dedit, argenteo circulo inclusum, ansaque argentea or-

[1]) Mox finem convivii ita fecerunt, ut duodecim summæ auctoritatis viri ex utriusque cohorte pacificationem interposito jurejurando sancirent in ea verba, ut quæ jam inita erat transactio, omni nomine ab utraque parte observaretur, add. *F.*

natum, quorum utrumque inauratum fuit; calix plenus erat numis argenti puri, quibus additæ erant duæ armillæ aureæ, selibram ambæ pondo; eidem pallium suum dedit, ex purpura phœnicea, albis pellibus subsutum, amplos honores et amicitiam insuper pollicitus. Testatus est [Thorgils Snorrii[1] filius, [se vidisse linteum velando altari ex hoc pallio concinnatum; Gudrida vero filia Guttormi, Thoreris Steigensis filii, testata est[2], patrem Guttormum calicem possedisse, seque ipsam oculis vidisse. Sic Bölverkus:

Rex liberalis! deinde terra viridis
tui juris facta est, quando
Magnum convenisti; tu vero ei
aurum, ut audivi, obtulisti.
Vos inter cognatos pacificatio
perquam tranquilla ad finem usque
permansit, Svein autem nil nisi
tumultum bellicum exspectavit[3].

Rex Magnus ac rex Haraldus, proxima hieme post transactionem inter eos factam, Norvegiæ ambo imperarunt, suos utrique aulicos habentes. Instante vero autumno Uplanda peragrantes, alias ambo una, alias singuli, convivia obierunt. Mox

---

¹) Oddus Helgii, *H.* ²) Gudruna, *H*; vir intelligens et rerum gestarum certam notitiam habens, qui dixit Gudridam, filiam G. - testatam esse, a signo posteriori *F.*

³) Ordo: *Hoddstriðir a)! síðan varð græn grund heimöl b) þèr, er c) fundut d) Magnús, en bautt gull, sem e) ek heyrða f). Sætt g) endist allfriðliga h) í milli ykkar frænda, en Sveinn i) vætti k) síðan rómöldu einnar l).*

a) hodda str., id., *Hk*; *oddstriðir, Fagrsk.* *b) heimil*, id., *Hk., Fagrsk.* *c)* Sic *F, H, Hk., M, Fagrsk.*; *en, A.* *d) funduzt*, cum tu et Magnus congressi estis, *Fagrsk.*; *fundust, F.* *e) er*, id., *F, Hk., M, Fagrsk.*; *svá* (i. e. me ipso audiente), *H.* *f) hyrða* (dan. *hørte*), *H.* *g) sátt*, id., *Hk.* *h) allfrilliga*, id., *Hk.* *i) Svein, H.* *k) veitti, F, H, M.* *l) einar, H.*

interveuientibus dissidiorum causis, amicitia regum frigere cœpit; nam multi adeo erant malevoli, ut inter eos discordias sererent; quippe delatum est ad regem Magnum, videri colonis Haraldum, rege Magno non præsente, in exigendo acerbiorem, colonosque multo magis velle animos ad regem Magnum inclinare, eique parere; Haraldo autem vitio datum est, quod invidus esset his, qui regem Magnum pluris faciebant, ut res sequens comprobat.

Cap. 21. Vir erat Uplandus, nomine Thrandus, cognatus Kalvo Arnii filio; is multos amicos habuit, pecuniisque abundavit. Accidit hoc autumno Uplandis, ut rex Magnus conventus ageret, rege Haraldo non præsente. Rex Magnus colonis pro benevolentia et amore, quem ipsi exhibuissent, ex quo imperium Norvegiæ capessivisset, gratias egit: volo quoque, inquit, his locis ut in aliis regni provinciis, notum vulgo facere, quod omnibus his, qui inceptam mecum velint amicitiam servare, grave illud crimen, quod ad patrem meum attinet, condono. Tum surgens Thrandus, antea memoratus, dicta regis oratione excepit: notum quidem vulgo est, domine, inquit, quosdam ex nostris cognatis inimicos tuis cognatis fuisse: ego autem, qui peregre agerem, ingentibus illis rebus, quæ summum tuum excitarunt odium, cædem intelligo patris tui, præsens non adfui; de te vero omnes bonos bene velle mereri, uti æquum est, nullus dubito. Ego vero, quanquam audacius agere videbor, abs te petere volo, mihi ut tuam ostendas humanitatem, atque inter nos pallia commutemus. Rex petenti comiter annuit. Quod Thrandus regi dedit amiculum, præstantissima erat vestis bombycina, eximiis pellibus subsuta. Arma quoque, rogante Thrando, inter se commu-

tarunt; quæ non minus quam pallia inter se differebant. Dein Thrandus regem Magnum ad convivium invitavit et honorificentissime excepit, dignisque muneribus insuper donavit. Quod cum paulo post rex Haraldus cognovisset, Thrandum judicans manifestum dedisse, majorem voluisse regi Magno honorem quam sibi præstare, grave in eum odium concepit. Vir erat nomine Svein Gardicus, qui in Norvegiam cum Haraldo redux præfecturam aliquam ab eo acceperat, quodcunque regi liberet facere paratus. Hunc rex Haraldus cum undecim viris ad Thrandum misit; [qui omnes nigris vestibus induti, monachosque professi, primo mane in agrum venerunt, brevi ab villa Thrandi spatio situm[1], ubi operarii ejus tribus locis opus faciebant. Quos primum convenit Svein, interrogavit, an Thrandus domi esset. Negantibus domi esse, discedunt, proximosque adeunt agricolas, qui idem quod priores professi sunt. Heic Svein suis: hæc res miro modo geritur, hi utrique idem pronuntiant, et tamen mendacium dicere videntur; quare tertios diligentius explorabimus. Quo cum venirent, patrem et filium in opere occupatos deprehendunt; comprehensum adolescentem virgis cædunt, donec (pater et filius) faterentur, Thrandum domi esse. Dum in cædendis operariis occupati erant, e villa egressus est vir, Thrando cognatus, ejusque coalumnus, cui nomen erat Sigurdus. Qui eum videret quod agerent, regressus in ædes Thrando nuntiat, adesse in agro aliquos monachicis vestibus indutos, qui viros ibi constitutos verberarent. Hos monachos esse autumo, inquit Thrandus, stipem sacris collegiis petentes. Fieri quidem potest, ait Sigurdus, sed monachi isti miro modo

[1]) Uncinis inclusa omitt. *A*.

se gerunt. Fieri quoque potest, inquit Thrandus, ut insidiatores aliqui sint, qui sub habitu monachico latere velint; quare hoc tentamen faciamus: brevi huc in villam aderunt; qui si monachi sunt, huc accedentes ad tabernam dormitoriam, stipem petent, ego vero eos subire ædes jubebo, ut ibi maneant, donec mane magis illucescat; sin vero nebulones sunt, hoc facere nolent, sed clavim regiam foribus applicabunt[1] atque sic ingredientur; tumque aliud quodpiam consilium capiendum erit: tu nempe, Sigurde, illis ad fores accedentibus, post januam refugito; si vero illi domum[2] effringent, omnes ordine intrabunt; tum foras te proripito et januam obdito, ego vero qua ratione [fieri potuerit[3] me occultabo. Mox illi ad villam venientes, extemplo ad tabernam conversi stipem petunt. Cum Thrandus ac Sigurdus lente responderent, foresque aperire cunctarentur, Svein comminatus est, ni domus aperiretur, clavim regiam foribus impositures. Magna contentione hi monachi utuntur, Thrandus inquit, atque malumus aperiri fores, quam effringi; tum Sigurdus pessulos removit. Svein ex suis qui introirent imperavit, alios foris remanere jussit; illi vero, dicto non audientes, omnes ingressi sunt. Ingredientes eludens Sigurdus foras se proripit, et extemplo januam obdit; tum quoque Thrandus ad eum pervenit: scilicet huic specus erat subterranea intra tabernam effossa, cujus alterum ostium ad cubiculum ejus ducebat; huc se demiserat, cum Svein ac sui tabernam ingrediebantur; quare factum est, ut hi omnes in ejus potestate essent. Thrandus, proximis vicinis per nuntios advocatis, tabernam aperuit, omnes Sveinis comites comprehendi et virga acriter cædi jussit;

[1]) et domum effringent, add. *H.* [2]) januam, *H.* [3]) mihi libuerit, *H.*

quo facto dimissi sunt; ipsum autem Sveinem apud se retinuit et liberaliter habuit. Svein magna affectus est mœstitia, ægre ferens tum gravem illam, qua affectus erat, contumeliam, tum quod suæ potestatis non erat. Quo cognito rex Haraldus valde indignatus est. Rex Magnus, his rebus cito cognitis, etsi factum Thrandi laudabat, tamen reputans fieri posse, ut ab rege Haraldo ad ultima quæque descendere cogeretur, ad Thrandum magna cum manu reversus est; cumque in silvam haud procul a villa sitam pervenisset, agmen gradum sistere jussit, scire cupiens, quid Thrandus consilii capturus foret, armatis animadversis. Dein Thrando allatum est, magnam multitudinem villæ adpropinquare, verique simillimum visum est, regem Haraldum adesse. Heic Thrandus magna usus celeritate, nuntiis in omnes partes viciniæ dimissis, viros convocavit; cumque esset apud colonos gratiosus, omnes ad opem ei ferendam parati erant, unde magna hominum multitudo, insigniter armata, cito ad eum confluebat. Ut vero rex cognovit, magnam armatorum vim, quasi ad prælium instructorum, Thrando adesse, ei nuntiari jussit, se pacate iter facere, neque ei quidquam hostile metuendum esse. Quo cognito Thrandus ac sui, depositis armis, omnes læti et hilares obviam regi Magno processerunt. Tum rex, iterum apud Thrandum convivans, indicat ei, se rescivisse, Haraldum infesto in eum animo esse: quare mea sententia est, inquit, ut cura rei familiaris deposita me comiteris; ego vero fundos tuos elocabo. Sic Thrandus fecit, atque sequenti hieme apud regem Magnum versatus est. Rex Haraldus conductis insidiatoribus eum comprehendere conatus est, sed rex Magnus tam diligentem cu-

ram adhibuit, ut facultas ejus rei nunquam offerretur; cumque ver appropinquaret, rex Magnus ad Thrandum locutus est: incertum mihi est, an te possim hoc in regno tutum ab insidiis Haraldi regis præstare; quare tibi navem clam instruendam curavi, qua in Grœnlandiam deveharis. Quo ab Thrando probato, rex Magnus tam diligenti cura eum servavit, ut eum non ante ab se dimitteret, quam conscensa navi a terra solveret. Ventus erat lenis, ut haud longe a terra provehi possent, quare insulam quandam accedentes navem ibi constituerunt. Ubi autem portum ingressi sunt, aderat ibi rex Haraldus, qui confestim eos agressus est, prælimmque ortum. Altera vero ex parte rex Magnus, cum reputasset, fieri posse, ut Thrandum nimis cito ab se dimisisset, intelligens rem esse cum homine consiliis pleno, Haraldo cognato suo, navem cum aulicis conscendit atque ad insulam contendit; cumque prælium commissum esse videret, suos cohortatus, audacter aggredi et Thrando operam navare jussit. Quos incitato cursu in se ferri animadvertens rex Haraldus, naves avertit; rex Magnus eo loco se continuit, donec Thrandus ventum secundum, quo in altum deferretur, nactus est. Qui in Grœnlandiam delatus, ibi postea diu commoratus est.

Cap. 22. Sed illuc revertendum, unde digressa narratio est. Reges Uplanda peragrantes, interdum ambo una, sæpius soli sibi, convivia obierunt et conventus cum colonis habuerunt. Coloni valde fremebant, quod ipsis Haraldus videretur avide cupere et imperium et cives ad se rapere. Quo cognito, Einar Arcipotens ceterique Magni regis amici, aperiunt ei, quid querantur cives de studio regis Haraldi, tam aucupandi pecunias, quam subditos in partes suas

pertrahendi; monentes, difficile ei fore, imperium suum ac dignitatem tutam ab Haraldi injuriis servare. His rex Magnus: ista nugas et calumniam inimicorum regis Haraldi esse puto, neque credere volo, eum plus imperii, quam justum sit, sibi vindicare aut subjicere. Ibo, inquit Einar, ac periculum faciam, quid veri ea de re resciscam. Interim rex Haraldus colonis locum diemque, quo convenirent, edixerat, magnaque eo convenerat multitudo hominum; eodem Einar se confert cum sexaginta suæ partis hominum: nam nocte præcedenti domi potentis cujusdam viduæ pernoctaverat, quæ ei maximam partem hujus manus[1] dederat. Einar galeam inauratam capite gestabat. Aderat in comitiis rex Haraldus. Qui cum multa ab colonis postularet graviaque onera imponeret, vir quidam senex, nomine Tokius, surgens verba fecit: equidem ita vixi per aliquot regum Norvegicorum ætatem, ut in numero colonorum habitus fuerim; jam etsi aliquis vir in regnum veniat, imperiumque et nomen regium postulet, si alius antea venerit, vero imperii jure gaudens, rexque totius regni creatus fuerit in comitiis Eyrensibus, auctoritate procerum atque consensu universi populi, tunc mea existimatio est, hunc regem maximum in nos subditos suos jus habere; qua re mea sententia est, ut nos coloni exspectemus, quid rex Magnus [de oneribus et exactionibus, ab rege Haraldo propositis, sentiat, regisque Magni honorem omnibus in rebus observemus[2]. His dictis cum consedisset, Einar surrexit, et Tokio pro oratione sua, omnibusque colonis, qui quidem regi Magno præstare honorem voluissent, pro suo istuc adventu, gratias egit. Heic rex Haraldus: næ tu sublimem

---

[1]) præsidio, add. *H.* [2]) omnibus in rebus sentiat, *H.*

jam galeam gestas, Einar, teque mihi[1] ostendis perquam adversarium; læta illucesceret ea dies, [quæ galeam illam inauratam excuteret[2]; atque uti nunc ceteros mortales capite supereminees, ita mox capite brevior esse deberes[3]. Ita dimissa concione, Einar ad regem Magnum rediit.

Cap. 23. Porro memoriæ proditum est, utrumque regem, Magnum et Haraldum, convivio exceptos esse a viro, cui nomen Aslakus. Rex Magnus et quidam ex suis in lecto transverso accubabant; Haraldus cum suis alterum lectum per longitudinem domus porrectum occupabat; Thorer, frater Magni regis[4], in altero lecto contra Haraldum accumbebat. Thorer verborum parcus, nec in dictis admodum facetus erat. Cujus propinationem excipere cum rex Haraldus indecorum putaret, si quid loquentem audiret, hos in eum versus jactavit:

> Taceto, Thorer!
> vir es illiberalis;
> audivi patrem tuum
> Gestum furacem appellari.

Thorer, quippe homo iracundus, ægre ferens, se tam probroso carmine compellari, gravi ira incensus est, neque tamen quidquam habuit, quod responderet; quare animum ejus tristitia subiit. Aliquo die convivii rex Magnus, Thorerem conveniens: qui tam tristis es, frater? Thorer rem, ut erat, exposuit, dicens se ægerrime ferre cavillationem et dicacitatem Haraldi. Cui rex: huic rei auxilium novi, quo adhibito te vix diu postea cavillabitur; si te lacessiverit[1], hos versus in eum regerito:

---

[1]) semper, add. *H.* [2]) qua superbia tua præceps rueret, *F.* [3]) Einar reposuit: ea res in Dei potestate sita est; verum non futurum credo, ut mihi verbis solis metum incutias, add. *F.* [4]) eadem matre natus, add. *F, H.* [5]) si sæpius in te dicteria jecerit, *F.*

[Etsi Gestus levator
pater meus sit appellatus[1],
tamen nunquam equi
circumsepsit genitalia,
uti Sigurdus Porcus,
qui tuus pater fuit.

Et postero die cum Haraldus eandem quam consverat probrosam cantilenam in Thorerem jaceret, jam hic non tacuit, sed versus, quos didicerat, contra recitavit. Qua re iratus rex Haraldus, destricto gladio, Thorerem ferirè valuit, sed rex Magnus accurrens vetuit, ne infestis animis congrederentur; intelligensque, accubitionem contra Haraldum minus tutam Thoreri fore, eum deinde sibi a latere considere jussit. Post hæc disputari cœptum est de negotio inter reges intercedente, de quo Einar in comitiis certior factus erat, atque de rumore, qui ferebatur, quo Haraldus jure suo iniquius, quam pacta conventa ferebant, uti putabatur. Inde testes citati, quid rex Magnus concessisset, aut qua in re Haraldus ulterius processisset; atque ferunt, Aslakum, qui reges convivio excepit, testimonium secundum Haraldum edidisse. Quo audito rex Magnus infit: sane optarim, eos, qui falsum testimonium contra me edere velint, si res meo arbitrio geratur, male sibi consuluisse. Sic ea vice digressi sunt, multis exortis dissidiorum causis. Reges, Uplandis convivando peragratis, ab itinere non prius destiterunt, quam in Thrandheimum pervenerunt, ubi mediam hiemis partem transegerunt; quo tempore aliæ quædam res, de quibus mentionem faciemus, acciderunt.

Cap. 24. Accidit aliquando, ut reges in emporio (Nidarosi) eadem aula una accubarent. Eo tempare in oppida aderat Arnor dynastarum poë-

[1]) ab signo [desunt in *F*, *M*.

ta, qui de utroque rege carmina laudatoria composuerat. Et die quodam, cum Arnor navem suam picabat, venerunt ad eum missi ab rege, jubentes eum ingredi aulam et carmina proferre. Ille, non abluta pice, extemplo ivit, et ad cœnaculum veniens janitoribus dixit: date spatium regum poëtæ. Ingressus reges sic salutavit: salvete, ambo monarchæ. Rex Haraldus: utri priori carmen recitandum? Ille: juniori. Rex: cur ei priori? Ille: domine, inquit, vulgo dicunt, adolescentes moræ impatientes esse. Ceterum hoc uterque (regum) honorificentius existimavit, coram se priori carmen recitari. Dein carmen exorsus est, atque ab initio mentionem fecit dynastarum terrarum occidentalium, et postea itinera sua descripsit[1]. Quo cum ventum esset, Haraldus regi Magno loquitur: cur, domine, isti poëtæ operam das, qui tantum de itineribus suis aut dynastis insularum occidentalium mentionem faciat? Cui rex Magnus: adhucdum exspectemus, cognate, suspicor te putaturum, antequam carmen ad finem fuerit recitatum, me non nimis parce ab eo esse laudatum. Mox poëta sequentes versus pronuntiavit:

Præbeas aures, Magne, potenti carmini!
te nullum alium novi præstantiorem;
aggredior, Cimbrorum rex, celeri poëmate
tuam virtutem celebrare bellicam.
Tu verus es accipiter, Hördorum princeps;
te quisque rex longe inferior est;
tua fortuna aliorum regum superabit,
et, donec toti ruent cœli, durabit[2].

Tum rex Haraldus: hunc regem, quantum libet,

[1]) Huc respiciunt fragmenta *Edd. Sn.* p. 318. 321.

[2]) Ordo: *Magnús! hlýð a) til máttigs óðar: ek veit manngi annann fremra; Jóta gramr, ráðumst b) yppa yðru kappi i fljótu kvæði c). Hörða drottinn, erþú rèttr haukr: hverr gramr*

laudibus efferas licet, sed alios reges ne vituperato. Ille porro carmen recitare perrexit, usque ut ad hos versus veniret:

Tu, qui comparato auro non parcis,
naves, furenti adsvetas procellæ, commoto
pelago committis, aliasque perpetuo
sub tentorio, imbribus asperso, degere soles.
Amice, mihi propitie! te, acri accipitri
æqualem, celsa puppis vehit bisontis;
nulla splendida navis in cursu est,
quæ principem ferat præclariorem[1].

Porro sequentia cecinit de navigatione Magni regis:

Fecisti, regulorum adversarie, ut
gentes nomen tuum non spernerent;
tu, prædonum exstirpator, neque ignem
neque ferrum in fronte aciei refugis.
Celebro studium, quo naves bellicas
exornat hostis prædonum: navium apparatus
similis est soli, per sudum orienti,
aut ardentibus ignibus prænuntiativis[2].

---

er þér stórum verri; þinn þrifnuðr verðr meiri en þeirra, [unz allr himininn d) rifnar.

a) hlýddu, id., *M*; *hlýttu*, id., *F*. *b) ráðomk*, id., *M*. *c)* hi duo versus reperiuntur in *Edd. Sn*. p. 315. *d) áðr heimr*, antequam orbis terrarum (dissolvetur), *F*.

[1]) Ordo: *Ótti fengins gulls! kunnut hætta elgjum a) æðiveðrs á skelfðan b) græði, eða fæðit ella flestan aldr und drifnu c) tjaldi d). Minn hollvinr! visundr e) berr þik, líkan hvössum hauki, innan í lypting; farlikt f) eiki e) skríðr aldri und friðra g) fylki.*

a) eiglum, prave, *M.*; nisi leg. *eglum* (v. *eyglum*) ab *eglir* = *öglir*, accipiter (v. aquila). *b) skelfan*, *F*; *skelfar*, *H*. *c) drifu*, *F*. *d)* affert hanc semistropham *Edd. Sn*. pag. 201 *e) eikjusund*, *F*, corrupte. *f) farligth*, *H*; *fagrligt*, id., *F*. *g) fregra* (i. e. *frægra*), *F*, *M*.

[2]) Ordo: *Jöfra bagi a), eigi létuð munnkyn hafna yðru nafni: hlenna þreytir! þú flýr hvárki hyr [né málm b) í*

Heic Haraldus interfatus est: utique hic vir in amplificando nimius est, et nescio quo tandem res procedat. Arnor præterea addidit:

Similis videtur hominibus splendor
regis, oceanum nave percurrentis,
ac si cœlestis regis angelicæ cohortes
unacum eo undas percurrant[1].

Eodem carmine sequentia insunt:

Novi, victores navium, undis
percussarum, his in terris, a populo
juxta Deum amari; satellites
tui perpete coluntur memoria[2].

Recitato encomio, Arnor statim carmen de Haraldo orsus est, dictum *Blágagladrápa* (encomium Corvinum), præstans carmen. Quo recitato, Haraldus interrogatus, utrum carmen ei præstantius videretur, respondit: perspicere possum, quid intersit inter hæc carmina; carmen de me factum brevi intercidet, ut illud nemo memoria retenturus sit; sed hoc encomium, quod de rege Magno compositum est, decantabitur, usque dum terræ septemtrionales incolentur. Rex Haraldus Arnori hastam, aureis lamellis orna-

---

broddi styrjar. Búningr hlunna reiðar œr, sem röðull renni upp í heiði, eða vitar c) brenni; ek hrósa því, er hlenna dólgr glæsir herskip.

a) *bægi*, id., *F.* b) *næmenn* (forte *ne menn* neque viros), *F.* c) *vita*, *F.*

1) Ordo: *Mönnum lizt jafnt, er mildingr renuir Meita a) hliðir b) sævar skiði, sem engla fylki himna þengils renni ósamt unnar.*

a) *meiða*, *F.* b) *hliðar*, id., *H.*

2) Ordo: *Ek frá a), at þjóðir elska eyðendr græði lostins geima vals b) hit næsta guði í þessum heimi; þín inndrótt c) er höfð d) at e) minnum f).*

a) *fregn*, audio, *F, M.* b) intelliguntur satellites Magni regis. c) *en drótt*, *F*, (forte rectius una voce *enndrótt* = *inndrótt*). d) *hafðak*, colui, *M.* e) *í*, *M.* f) *minjum*, id., *H.*

tam, dedit; rex Magnus vero eum primum aurea armilla donavit. His donatus ita ex aula egrediebatur, ut armillam auream summo hastili, qua extremitas ferri tegitur, indueret, his usus: sublimia gestanda utriusque regis dona. Tum rex Haraldus: [ita proxime in Norvegiam[1] venias, quo sæpius ventitare consvesti[2], ut de me compositum afferas carmen, quod coram me recites. Arnor pollicitus est, si ei superstes foret, carmen funebre de eo compositurum. Rex Magnus Arnori postea navem mercibus onustam dedit, eumque intimo amore prosecutus est[3].

Cap. 25. Filio illustris cujusdam matronæ id incommodi accidit ut memoriam[4] perderet, et prope ut mente captus[5] haberetur. Mater regem Haraldum conveniens, ab eo petiit, ut aliquod consilium daret, quo pacto tractandus esset (filius). Cui rex: i et conveni regem Magnum, is neminem hac in regno novit se meliorem; quod ille dabit consilium, haud dubie utile erit

¹) *sjá til nákkvars,* *M,* quæ verba hoc contextu non intelligo. ²) *laungum orðinn*] voces per se quidem faciles, hoc vero nexu mihi obscurissimæ; ad verbum foret: sæpius v. crebro deprehensus (in aliquo loco). Hanc rationem, quod simplissima erat, secutus sum, quanquam haud pauca contra objici possunt. Altera ratio, quæ mihi in mentem venit, est, ut hæ voces pro una composita capiantur, nempe *laungum-orði,* addito articulo, *laungum-orðinn*, quod significare posset tam eum, qui longa oratione utitur, quam qui (in poësi) longiores versus adhibet; qua voce Haraldus videri possit et poëticam amplificationem Arnoris et metri genus, quo usus est, trochaicum quaternarium, perstringere voluisse; *orð* enim in arte poëtica versum significat. Congruum exemplum compositionis, quæ insolentior videtur, nondum inveni; interim conferri meretur cognomen *treunum-brúni, Ísl. S.* T. I. p. 237, et forte *þjokku-beinu,* ibid. p. 183. ³) et semper ab eo tempore constantem cum eo amicitiam coluit, *H.* ⁴) sanam mentem, *H.* ⁵) animo alienatus (humanitate exutus), *F.*

atque salutare. Itaque ea regem Magnum adit, et petit, ut necessitati suæ subveniat. Rex: convenisti regem Haraldum? Conveni, domine, inquit, isque me jussit te adire; atque dicta ejus allegavit. Rex: iterum eum adi, nemo enim hoc in regno est Haraldo prudentior; quare, si velit, auxilium huic rei invenire poterit. Redit ea; Haraldum iterum convenit; dicta regis Magni refert. Haraldus: itaque aliquid in medium proferam; nempe perspicere mihi videor, quale gnato tuo incommodum acciderit: scilicet huic natura somnia videre negavit, id quod nulli homini convenit, neque enim ea est hominis natura, ut nunquam somniet. Quare age, crastino mane eum perducito ad locum, ubi rex Magnus manus suas lavit, aquamque, qua se laverit rex, haurire jubeto; quo facto eum rei divinæ adhibeto, et quamvis langvore aut oscitatione[1] afficiatur, caveto ne obdormiscat; dein locum adi, ubi rex Magnus quievit, eoque loco puerum dormire sinito, sic enim speraverim fore, ut ei somnium obferatur. Ea jussa diligentissime exsecuta est. Puer, cum aliquantum temporis dormivisset, somno expergefactus risit, et locutus est: nunc somniavi, mater, reges Magnum et Haraldum, qui ad me venientes, alter in dextram, alter in sinistram aurem meam locuti sunt; hæc locutus est rex Magnus: sis quam optimus et quam svavissimis moribus; Haraldus vero sic dixit: sis quam maximus et quam optima memoria[1]. Hic adolescens postea vir insignis evasit, benevolentia et prudentia clarus; cui curatio, quam svaserat Haraldus, salutaris exstitit. Ferunt, regem Magnum hos versus composuisse:

Multi viri queruntur, quod

---

[1]) aut tussi, add. *H.* [2]) *mingastr*] *H*, plenis literis *minnigastr*; forte *mingastr*, nocentissimus.

in curam filiæ rusticæ
nati sint; de quorum
ægritudine parum sollicitus sum.
Me vero, si qua femina somno
frui prohibet, certe elegans
regis soror in causa est, quod
noctes insomnes duco[1].

Cap. 26. Fuit vir, natione Islandus, cui nomen Thordus, filius Thorgrimi, filii Reidaris[2]; erat parva statura, de specie spectabilis. Fratrem habuit, nomine Reidarem, magna statura ac deformem[3], qui, propter stuporem, actionum suarum potestatem vix habere credebatur; idem robore valebat, pedum pernicitate omnes superabat; ingenio mansvetus; semper domo se continebat. Thordus, frater ejus, itineribus mercatoriis multum vacavit; erat aulicus regis Magni Boni, magnique ab eo æstimatus est. Æstate quadam, cum Thordus navem suam Gasis in Eyafjördo pararet, venit ad eum frater Reidar; quo viso Thordus de causa adventus ejus quæsivit. Ille: non huc venissem, inquit, nisi mihi necessitate compulsus viderer. Quanam, quæso, ait Thordus. Reidar: peregre[4] proficisci volo. Thordus: hæc profectio tibi, ut puto, minus commoda fuerit; quare malo hoc tibi dare, ut nostram paternam hæreditatem solus habeas, etsi plus quam duplo major sit ea pecunia, quam

---

[1]) Ordo: *Margr sverðrjóðr kveðr sik a) verða alinn búkarls dóttur at sorgum: ek uggi allitt ótta b) seggja. En ef einhver eldgefn c) bannar svefna fyrir mèr, veldr víst svinn systir siklings minni andvöku.*

a) conjeci pro *sèr, A,* quod procedet, si in sequ. legis *alna* pro *alinn.* *b*) *ótt á, H.* *c*) Sic *H* et meum exscr.; *eldgjöfn,* id., *F; eldgef, A.*

[2]) ejus, quem Glumus occidit, add. *M.* [3]) aspectu, add. *H.* [4]) tecum, add. *H.*

mercibus subvehendis impendo. Reidar respondit: parva sane mihi inest ingenii vis, si hoc quantumvis pecuniæ lucratus mihi ipse adeo desum, ut tua tutela destitui velim; hac enim destitutum unusquisque me pecunia nostra spoliabit, cum rei (pecuniariæ) administrandæ idoneam rationem non calleam; neque vero adeo certum est, an æquo feram animo, alios in id incumbere, ut me pecunia mea emungant, aut vi spolient; quo facto ingratius tibi erit, negotium suscipere, si homines verberavero aut eadem de causa tumultus excitavero, ipse vero ob admissa facinora verberatus aut mutilatus fuero. Atque, ut verum expromam, difficile tibi erit, me retinere, si ipse voluero proficisci. Hoc quidem fieri potest, inquit Thordus, sed cave, quæso, ne quem de profectione tua certiorem facias, etsi hac in re tibi concedam. Annuit Reidar; simul autem ut e conspectu fratris digressus erat, cuique, cui audire libuit, aperuit, se cum fratre peregre abiturum. Hinc multi Thordum vituperandum esse dictitabant, si[1] hominem vecordem peregre deveheret. Ut parati erant, in altum solverunt, commodaque navigatione usi, ad Thrandheimum appulerunt. Accidit hoc eodem autumno, antequam[2] reges, Magnus et Haraldus, ab oriente advenerunt; et paulo post quam reges in oppidum venerant, accidit primo mane cujusdam diei, ut Reidar cubitu surgeret, antequam ceteri somno experrecti essent. Is locutus est: expergiscere, frater, pauca novit is, qui dormit; ego vero rem novam animadverti, audivi modo voces valde mirabiles. Thordus: cui similes? Reidar: animali vociferanti, et quidem magno ululatu frementi; verum nullus scio, quæ voces fuerint.

[1]) hunc, add. *H.* [2]) quo, *H*; sensus in textu est: eodem autumno quo venerunt reges, sed antequam adessent.

Thordus: ne te tam inepte geras; hunc sonitum puto fuisse cornu inflati. Reidar: quid istuc sibi vult? Thordus: cornua sæpissime inflantur ad subductiones deductionesve navium aut conventus indicendos. Reidar: quid sibi conventus vult? Thordus: ibi causæ graviores dijudicari solent, atque publicari res, quas cum populo communicari rex necesse ducit. Reidar: an regem in conventu adesse putas? Thordus: verisimile duco. Reidar: eo igitur eundum mihi est; illuc enim venire cupio, ubi quam plurimos homines uno loco congressos videam. Thordus: hac quidem re inter nos dissentimus, ego enim hoc magis lætor, quo tu minus eo venies, ubi magna convenerit hominum multitudo; quare equidem nusquam pedem proferam. Reidar: sic loqui minime expedit; utrique eamus; tibi enim minus commodum erit, si solus ivero; accedit, quod tempus tibi adest conveniendi regem Magnum, amicum tuum, quem non adiisti, ex quo in oppidum venit; ab hac profectione me haudquaquam revocare poteris. Quibus dictis Reidar confestim se in pedes conjecit. Jam Thordus se coactum ad eundum sentiens, lento gradu subsecutus est; ille vero celeri gradu præcurrebat, magno eos spatio intercedente. Reidar, Thordum lento gradu subsequentem conspicatus: utique verum est, (quod dicitur), molestam esse corporis parvitatem; quæ etsi virium magnitudine careat, tamen posset cum pernicitate conjuncta esse; quarum virtutum te admodum parum existimo sortitum esse; quare magis tibi expediret, minori esse pulcritudine[1], posse vero alios homines euntes consequi (cursu æquare). Thordus contra: mea corporis infirmitas, quantum scio, mihi non minorem præstat utilitatem, quam

[1]) majori vero strenuitate ac celeritate, add. *H.*

tibi virium magnitudo. Reidar: age, frater, brachia conseramus. Sic fecerunt, neque diu conseruerant, cum brachium Thordi obtorpuerat, quare manus relaxare cogebatur. Inde Reidar præcucurrit, donec in collem aliquem pervenit, ubi magnam hominum multitudinem adesse conspicatus, gradum stitit, et homines in hoc conventu præsentes mirabundus intuebatur. Thordus, post adveniens, infit: nunc composite incedamus, frater, atque una eamus. Reidar sic fecit; ut ventum est in conventum, multi homines Thordum agnoverunt, et benigne salutarunt. Thordus extemplo regem Magnum adiit, quem nondum convenerat, ex quo in oppidum advenerat; regem honorifice salutavit et ab eo comiter exceptus est. Fratres, ut in comitia venerant, confestim inter se distracti sunt; homines staturæ magnitudinem ac deformitatem Reidaris mirati, eum laciniis vestium traxerunt et ultro citroque raptarunt; ille multa verba jacere, hominumque violentiam risu excipere; quo factum, ut hi eo majorem voluptatem ex colluctatione cum eo caperent[1]. Rex Magnus ex Thordo, quid novi ex Islandia afferret, quæsivit, dein sciscitatus, ecqui cum eo advenissent, quos aulico hospitio communicatos vellet. Thordus: frater meus mecum advenit. Rex: hic haud dubie vir præstans est, si tibi est similis. Thordus: haud mihi similis est. Rex: ille nihilo minus vir præstans esse potest; qua vero re maxime inter vos differtis? Thordus: ille est statura ingenti, vultu deformi et tardos profectus pollicente, manu fortis, ingenio placido. Rex: ille nihilo minus multis in rebus præstare potest. Thordus: in tenera ætate non prudentis ingenii habitus est. Rex: id potius respicio,

[1]) illeque in ambulando impediretur, add. *H.*

qualis nunc sit; an vero ipse sua administrare potest? Thordus: haud bene, nisi aliorum cura accedat. Rex: cur (igitur) eum ab Islandia avexisti? Thordus: domine, inquit, ille dimidiam omnium bonorum partem, quantum mihi ipsi est, possidet, ipse nullum fructum ferens, neque pecuniarum ullam curam gerens, mihi utendi pro lubitu arbitrio permisso, quare, cum mihi uni totius pecuniæ potestatem concesserit, iniquum esse duxi, ei unicam eam rem, quam rogavit, mecum ut peregre abiret, non concedere; futurum ratus, si te convenisset, ut ille, sicut multi alii, tuo beneficio, fortunæ munere uteretur. Rex: volo ut in conspectum meum veniat. Thordus: ita fiet, atque ideo mecum in hunc conventum profectus est, etsi nunc aliquo abstractus sit. Rex misit, qui eum arcesseret. Reidar, ut audivit, velle regem se convenire, capite altius elato, parum sibi prospexit, et in omnia ferme obvia irruebat. Hunc in modum vestitus erat: braccis talaribus[1] amiculoque cineracei coloris indutus erat. Qui cum regem adiisset, in genua provolutus eum honeste salutavit. Rex, cum salutationem ridens excepisset, fatus est: si quid me vis, celeriter quod in animo est, eloquere; nam ceteri quoque homines necessaria habent negotia, quæ mecum agant. Cui Reidar: at meum negotium plurimi mea interesse arbitror, ut qui eo consilio venerim, ut te cernerem, rex. Rex: an igitur ego visus tibi complaceo? Reidar: bene quidem, sed nondum te satis clare mihi videor posse contemplari. Rex: quo igitur modo rem instituamus? num vis, surgam? Reidar: ego vero volo. Rex, cum surrexisset, locutus est: tibine jam me satis clare videris cernere posse?

[1]) sine caligis, *H.*

Reidar: nondum haud nimis, quanquam sic satis bene. Rex: vis igitur, pallium deponam? Ille: ego vero volo. Rex: priusquam hoc fecero, nonnihil de ea re disseremus; nempe multi ex vobis, Islandi, ingeniosi estis et coram principibus magna libertate utimini, quare vereor, ne hanc rem in ludibrium[1] vertas, quod fieri veto. Reidar: te, domine, ludificare aut mendacium tibi dicere, neminem decet. - Tum rex, deposito pallio: nunc me tam diligenter, quam libet, intueare. Ille: sic faciam; atque regem cominus circumiens, sæpius eadem verba secum repetebat, „satis bene, satis bene" inquiens. Rex: mene jam quantum libet spectasti. Reidar: ego vero spectavi. Rex: dic age, qualis tibi videor? Reidar: minime Thordus frater ea, quæ te commendent, verbis exaggeravit. Rex: ecquid[2] notare potes ex iis, quæ nunc vides, quod in intelligentiam aut observationem vulgi non cadat. Reidar: nihil est, quod velim, neque, ut verum dicam, quicquam est, quod possim notare; hanc enim formam, quæ tibi est, sibi quisque optaverit, etsi eligendi potestas penes ipsum esset. Rex: tu rem justo plus amplificas. Reidar: si hoc, quod mihi visum est, quodque dixi, in te vere non cadit, vereor, ne ceteri homines plerique, qui verbis in laudem compositis appellantur, nimium deprædicentur. Rex: aliquid, quantumvis exiguum, nota. Reidar: hoc igitur potissimum, domine, affero, quod alter oculus tuus paulo superior est altero. Rex: hoc unus vir antea observavit, nempe rex Haraldus, frater meus; jam æquo in te jure utar; ego te jam spectare volo; surge ac depone pallium! Reidar extemplo amiculum abjecit: erat autem, ut antea demonstratum est, fœdus, vastis artubus;

[1]) contumeliam, *H.* [2]) haud dubie aliquid, *H.*

manus ingentes et valde sordidæ, ut quas negligenter lavisset; vestes impuræ. Quem cum rex diligenter intuitus esset, Reidar: domine, inquit[1], quid in me notandum esse existimas? Rex: puto neminem nasci te turpiorem. Reidar: sic ajunt, ecquid vero in me est, quod te judice mihi solatio esse possit? Rex: dixit Thordus, frater tuus, te hominem esse placidi ingenii. Reidar: hoc quidem verum est, id quod ægre fero. Rex: at vero haud dubie irasci poteris. Reidar: euge, quamdiu erit, cum hoc eveniet? Rex: haud certo scio, maxime tamen credo hac hieme eventurum. Reidar: bene narras[2]. Rex: numquid artis fabrilis gnarus es? Reidar: nescio, nunquam enim periculum feci. Rex: at hoc vero haud absimile duxerim. Reidar: rem gratam narras, sic enim revera esse credo, uti tu dicis; verum hiberni hospitii egere mihi videor. Rex: Thordo, fratri tuo, liberam permisi potestatem mecum commorandi, cum uno, vel, si malit, cum duobus viris; tibi autem magis expedire arbitror, eo loco versari, ubi pauci sunt homines. Reidar: sic quidem res aliquatenus æstimari possit, nusquam vero ea est hominum paucitas, quin ea, quæ dicta fuerint, in vulgus exeant, præsertim si ridicula sint; hinc fieri potest, cum [talis sim, qui orationi non moderer[3], sæpeque, quicquid in buccam venerit, loquar, ut homines, qui apud me versentur, quamvis pauci, mea insipida verba in vulgus spargant, me ipsum derideant, atque, quæ loquar animive causa fecero, turpiter divulgent. Quare illud [non im-

[1]) ecquid in me potes animadvertere, quod me commendare possit, aut, add. *H.* [2]) ita prorsus res haud dubie est, uti tu dicis, add. *H.* [3]) in loquendo circumspectus non sim, *M.*

prudentius[1] existimo, potius apud eum versari, qui res meas curet, qualis est Thordus frater, quamvis apud eum hominum frequentia sit, quam in paucitate hominum, nemine patrocinante. Rex: fiant igitur, quæ postulas, tuque ac frater vos ad aulicos meos conferatis, si hoc vobis magis volupe est. Reidar, ut hæc regis verba audivit, extemplo cursu se abripuit, et cuique, qui aures ei præbere voluit, aperuit, se satis bono successu regem adiisse, fratrique Thordo speciatim indicavit, regem sibi permisisse, ut inter aulicos per hiemem versaretur. Cui Thordus: itaque te decoris armis ac vestibus, quarum rerum copia nobis est, ornes; multos enim decens vestitus commendat, et cuique observandum est, ut se intra ædes regias melius, quam aliis locis ornet, ne ab aulicis derideatur. Reidar: næ tu rem haud satis diligenter pensitasti, si putas me commissurum, ut corpus meum veste splendida tegatur. Thordus: vestitum tibi ex probo panno promercali concinnabimus. Hoc magis e ratione fuerit, inquit Reidar. Tum, auctore Thordo, vestes e probo panno vulgari sumsit, et se decenter adornavit, quo facto statim longe alius atque antea apparuit, deformis tamen staturaque virili. Verum tamen primo, postquam hi fratres in numerum aulicorum recepti erant, Reidar, quod imprudentiæ indicia prodidit, ab aulicis vehementer derisus et exagitatus est; a quibus multis modis lacessitus tam verbis quam factis contumeliosis, injurias eodem plane modo reposuit. Qui intelligentes, eum semper ludificationes risu excipere, seque[2] verbositate et inprimis virium magnitudine vinci, ab eo lacessendo destiterunt.

Cap. 27. Hi fratres non longo tempore inter

[1]) consultius, *H.* [2]) patientia, add. *H.*

aulicos Magni regis fuerant versati, quum aliquis ex aulicis regis Magni aulicum regis Haraldi interficeret; unde dissensione inter reges orta, constitutum est, ut ipsi reges certo tempore et loco convenientes rem decernerent. Reidar, cum audisset, regem Magnum convenire regem Haraldum statuisse, confestim adiens regem, locutus est: jam una res est, quam a te petere in animo est. Rege, quænam esset, quærente, Reidar: ut veniam mihi concedas, inquit, ad conventum pacificatorium proficiscendi; nam ex quo ad te veni, haud multa loca visum ivi, sed magna me tenet cupiditas duo reges uno loco videndi. Cui rex: verum quidem est, inquit, te mihi satis assiduum adhærere, nolo tamen, hanc ut suscipias profectionem, permittere: nam in manus satellitum regis Haraldi venire, tuo ingenio minime conducit, ea enim res aut tibi aut aliis incommodum afferre facile potest; sunt nimirum ex his alii ad lacessendum proni, alii minus benevoli; qui si te durius tractaverint, metuo, ne te ira [sensu doloris affectum rapiat[1], quod ne usu veniat, vehementer optarim, ut ab ea immunis esse possis. Reidar: beasti me, o rex, nunc ire mihi certum est, cum in spem venerim fore, ut irascar. Rex: an etiam me prohibente iturus es? Ego vero nihilo minus, inquit. Rex: putasne perinde esse mecum habere negotium, atque cum Thordo fratre tuo, a quo omnia quæ petis impetras? Reidar: at tu mihi eo facilior eris, quo es illo prudentior. Rex cum intelligeret eum frustra retineri, et metueret, si eum proficisci secum vetuisset, ne se aliorum hominum comitatui adjiceret, quo facto, si qua re indigeret, difficilius fore, curam ejus gerere: eam ob causam iter ei promisit. Qua re

[1]) quam maxime cupis, tangat, *H.*

Reidar lætatus est. Cui cum equus, quo veheretur, datus esset, quod et insidens equo gravitate corporis molestus et equitandi insvetus erat, modum equitationis habere non potuit, sed equo concitato ceteros tanto cursu prævectus est, ut, cum exiguum viæ spatium emensi essent, equus lassitudine subito conficeretur. Quod ubi rex animadvertit: commodum accidit, inquit; jam Reidarem in oppidum reducite, neque is pedem usquam efferat. Reidar: hoc me haudquaquam ab itinere revocat, quod equus exanimatus lassitudine est: nequidquam pernicitate tantum valeo, si vos pedibus consequi non possum. Hinc multi adgressi, concitatis equis eum ad certamen invitarunt, celeritatem ejus, de qua tantopere gloriatus fuerat, experturi: eo quidem exitu certaminis, ut ille quemque equum, qui in certamen missus esset, fatigaret; quare factum est, ut multi ad pedes descendere cogerentur. Ubi ventum est, quo loco reges convenirent, rex Magnus Reidari: tu mihi nunc assiduus adhære, mihique semper proximus incede; præsagit enim animus, si aulici regis Haraldi te assecuti fuerint, rem in discrimen venturam. Reidar, quæ juberet se facturum ostendit: namque eo magis lætor, quo propius te sum, inquit. Dein reges congressi, soli inter se de negotiis suis collocuti sunt. Aulici regis Haraldi, qui antea famam de Reidare ejusque insipientia acceperant, ubi eum illuc advenisse animadverterunt, ingenti gaudio triumphabant. Ubi vero reges colloqui cœperant, Reidar globo aulicorum Haraldi se immiscuit. Hi eum in sylvam, quæ inde prope aberat, secum abduxerunt, ducentesque jam vestium laciniis prehensum vehementer traxerunt, jam impetu facto truserunt; ille vero se vario modo gerere, jam stipulæ modo a ventis agitatæ

ferri, jam parietis instar immotus impetum excipere, eosque ab se repellere. Eo tandem vehementiæ processit ista ludificatio, ut eum asperius tractare inciperent, securium manubria vaginasque gladiorum ingerentes, adeo ut, elavis vaginarum[1] capiti illisis, leviter quidem vulneraretur; quod ille risu excepit, se summam inde capere voluptatem simulans. Qui ludus cum aliquamdiu tenuisset, ab illisque majori petulantia exerceri cœpisset, Reidar: nos jam satis diu, inquit, nos oblectavimus, ludumque jucundum exercuimus; nunc finem faciendi tempus est, hujus enim ludicri me jam capere incipit satietas. Agite, regem vestrum adeamus, quem videre aveo. Nunquam fiet, inquiunt, monstrorum immanissimum, ut tu regem nostrum adeas, nam te, scelus, dabimus ad necem. Quod cum ægre ferret, et effecturos, quæ minati essent, non dubitaret, eoque jam venisset res, ut motu concitatiore animus commotus esset; ira accensus, hunc, qui vehementissime eum adgrediebatur et durissime tractaverat, manibus comprehendit, raptumque sublimem dejecit in caput tanta vi, ut cerebro protinus effuso animam exspiraret. Qua re reliqui perterriti, magnitudine virium humanas pæne excedentium obstupefacti, omnes aufugerunt, regemque Haraldum adeuntes, aulicum ejus interfectum esse significarunt. Quibus ille: vos itaque eum, qui hoc fecit, occidite. At ille[2], inquiunt, in manibus non est, ut qui jam aufugerit. Reidar, ut eo redeamus, simul ut digressi

[1]) *Umgförðum*] *sverðskónum*, *M. Sverðskór*, si non ipsa vagina, pars aliqua videtur esse vaginæ, forte quæ mucronem ambit, theca cuspidis, id. q. *döggskór*, *Fornald. S.* ed. *Rafn*, Tom. I, p. 173. *Umgjörð* h. l. est synonymum *τῷ skálpr*, ut *Sturl.* 9, 52; *skálpr* vero vagina est, non lamina ensis. [2]) ea res, *Il.*

erant, regem Magnum adiit[1]. Cui rex: an jam nosti, quale sit irasci[2]? Reidar: ego vero novi. Rex: tantamne ex irascendo jam cepisti voluptatem, quantam in te cupiditatem irascendi antea cognoveram. Reidar: gravi me dolore ira affecit, atque maxime cupivi, eos omnes interficere. Hoc ipsum mihi in mentem venerat, inquit rex, iram tibi in furorem versuram; jam vero res eo loci venit, ut te servari posse desperem, si me ac fratre convenientibus inter aulicos versaris; est enim frater Haraldus consiliis plenus; cujus consiliis haud facile occurri potest. Quare te dato præsidio in Uplanda mittam ad Eyvindum præfectum meum, qui te ab insidiis regis Haraldi tutum servet. Ubi te misso nuntio arcessam, ad me redito.

Cap. 28. Jam Reidar iter ingressus, perrexit, donec ad Eyvindum pervenit, qui jussu Magni regis eum hospitio excepit. De cæde quidem priori optime inter reges convenit, quæ cædes transacta et composita est, sed de causa Reidaris non item; cum enim rex Haraldus satisfactionem pro cæde aulici sui postularet, rex Magnus interposuit, ipsius aulicos primos fuisse litis auctores: cædem interfecti eo minus pecunia expiandam esse, quod hos omnes, qui Reidari adversati fuissent, etsi ab eo fuissent interfecti, jure cæsos existimaret. Sic ea vice digressi reges sunt, ut rex Magnus satisfactionem pro cæde hominis solvere pernegaret. Haud ita multo post rex Haraldus, cum, quo Reidar confugisset, rescivisset, domo profectus cum sexaginta viris, in Uplanda ad Eyvindum primo mane pervenit: imparatum enim opprimere cogitarat; verum frustra: nam Eyvindus, non du-

[1]) et, quo loco res suæ essent, exposuit, add. *H.* [2]) quam ira voluptatem afferat, *H.*

bitans, quin rex Haraldus hominem conquisiturus esset, omni tempore regis adventum paratus exspectabat. Qui de itinere regis a borea profecti primo statim tempore certior factus, homines advocatos in sylvis, prædio proximis, disposuerat, signo, si auxilio opus esset, admonendos. Ferunt, Reidarem die quodam, paulo antequam rex Haraldus advenisset, ab Eyvindo petiisse, ut sibi aliquantum argenti aurique daret. Eyvindo, an artis fabrilis gnarús esset, quærenti, Reidar: rex Magnus mihi significavit, putare se, artis fabrilis peritiam mihi inesse; aliunde mihi nihil ea de re constat, nunquam enim periculum feci; illius vero dictis fidem habeo, quippe quem nosse confidam. Cui Eyvindus: tu miri ingenii es. En, operis materia, tu, si opus inutile fiat, argentum[1] mihi reddito; sin minus, ipse possideto[2]. Dein Reidar, in domunculam aliquam inclusus, operi vacavit; ante vero quam perfecisset, quod fabricari voluerat, rex Haraldus, ut antea dictum est, advenit. Quem Eyvindus comiter exceptum lauto convivio adhibuit. Super vina sedentibus, rex Eyvindo: ecquis homo hic est, nomine Reidar? tu nostra gratia potieris, si hunc hominem sponte in nostram potestatem tradas. Eyvindus: non heic nunc est, inquit. Rex: id quidem video, inquit, eum heic in cœnaculo non esse; neque minus novi, eum in ædibus tuis atque in potestate tua esse, quod non est cur neges. Eyvindus: non nego, inquit, at vero ego te non adeo regi Magno antepono, ut quem ille meæ fidei ac tutelæ commendavit hominem, hunc tibi securi percutiendum tradam. Quibus dictis Eyvindus cœnaculo egressus cum veniret ad ædiculam, in qua Reidar inclusus fuerat, hic in fores irruens, se inde

[1]) tantundem (i. e. argenti), *H.* [2]) opus æstima, *H.*

exire velle clamavit. Cui Eyvindus: tace, inquit, adest rex Haraldus te necaturus. Ille non eo secius fores effringere sategit, se regem velle convenire dictitans. Heic Eyvindus, intelligens, ni emissus esset, fores effracturum, accedit, aperit fores, et loquitur: irati (dii) te rapient, qui in necem adeo ruas, ut nihil tibi auxilio esse possit. Reidar, cœnaculum ingressus, regem Haraldum adiit, eoque salutato infit: domine, inquit, iram tuam a me averte; multas enim ob res tibi utilis esse potero, si tuum in me favorem convertere vis; quo facto ea, ad quæ facienda me ablegaveris, etsi periculo non carere videantur, perficiam. Ecce rem pretiosam, quam tibi donare volo, eamque mensæ ante regem imponit, suem ex argento factam et inauratam. Rex, cum suem inspexisset: tu artis fabrilis adeo peritus es, ut rem, qualis hæc est, æque affabre factam haud facile viderim. Dein suem per cœnaculum circumlatam alter alteri monstravit, omnibus uno ore negantibus, se ejusmodi opus pulcrius conspexisse. Tum rex: redibo tecum in gratiam, Reidar; tu mihi idoneus videris, quem ad ingentia facinora efficienda amandem: es enim, ut puto, magno robore præsentisque animi. Jam rex suem iterum ad se relatam sustulit, opereque diligentius inspecto, cum animadverteret, porcam esse, atque cum uberibus, intelligens, contumeliæ ergo factam, confestim abjecit dicens: te gigantes, quantus quantus es, rapiant! surgite, atque eum interficite! Reidar, correpta sue: quidni ipse opus meum retineam, cum tu, rex, nulla re, nisi malo, remunerare velis. In verbo novissimo summa celeritate se abripuit et a villa aufugit. Rex Haraldus ac sui excurrebant eumque persecuti necare voluerunt. Egressi in Eyvindum incidunt,

magna stipatum hominum multitudine, quam ob rem Reidarem persequi non potuere. Sic rex Haraldus et Eyvindus ita digressi sunt, ut rex rem ægerrime ferret. Reidar vero non prius ab itinere destitit, quam regem Magnum conveniret. Qui cum convenissent, regi interroganti, quem eventum habuisset ejus cum rege Haraldo negotium, Reidar verum exposuit, regique suem monstravit. Hic rex: hoc opus perquam affabre factum est; frater, rex Haraldus, leviorem contumeliam ea, quam omni hac re ostendisti, crudelissime ultus est; tu vero neque audacia neque ingenii sollertia cares; neque unquam credidero, quantamcunque stoliditatem simulaveris, hominem fatuum hoc modo se gerere posse.

Cap. 29. Reidar, cum post hæc aliquantum temporis apud regem Magnum versatus esset, die quodam regem allocutus: optarim, rex, inquit, quæ te rogavero, mihi ut permittas. Regi, quid optaret, interroganti: hoc inquit, ut carmini, quod de te composui, aures præbere digneris. Permitto, ait rex. Reidar carmen pronuntiavit; quod cum ab initio numeris durioribus esset, mirique ingenii fetum referret, quo magis ad finem vergebat, meliorem characterem assumsit. Quo recitato, rex locutus est: hujus carminis indoles mihi mira videtur, et tamen ante finem satis bona; quod vitæ tuæ imaginem quodam modo exprimere videtur: quæ cum primo mira fuerit et a communi vitæ ratione aliena, quo longius progressa fuerit, eo meliorem faciem induet. Et præmium carminis huic rei conveniens deligam. Hoc loco Norvegiam insula præjacet, quam tibi donare volo, herbis bene vestita, solique bonitate præstans, quamvis exigua. Reidar: eximium munus, quale exspectari abs te potuit; hac ego insula Islandiam cum Norvegia

conjungam. Rex: nescio quidem, an hoc succedat, inquit, illud vero scio, fore multos, qui insulam de te emere aliaque pecunia permutare velint. Itaque commodissimum judico, ut ipse insulam redimam, ne inter te et emtores controversiæ causa exsistat; inprimis vero eam ob causam, quod tuam hac in terra commorationem minus tutam reddet rex Haraldus; etenim facile apparet, si hoc loco diu te continebis, quæ te mansura sors sit, si ipsius arbitrio res acta fuerit, ut agetur. His dictis rex Magnus Reidari nummos argenteos pro insula dedit, ejusdemque auctoritate et consilio Reidar in Islandiam reversus, in (valle) Svarvadardalo, prædio, qui postea Reidarstadi appellati sunt, habitavit. Hujus vitæ conditio talis exstitit, qualem fore rex Magnus divinaverat, nam eo strenuior habitus est, quo diutius vixit; miros autem illos gestus, qui eum fatuo similem reddiderant, maxima ex parte simulaverat. Idem Reidarstadis ad senectutem habitavit, numerosæque stirpis auctor exstitit. Hic de Reidare narrandi finis esto.

Cap. 30. Sed eo redeundum, unde digressa narratio est, Sveine Ulvi filio et Haraldo in Dania digressis. Svein noctem, qua Haraldus cum copiis discesserat, somno remanens transegit; de cujus discessu certior factus, de itineribus ejus diligenter percontatus est; cumque rescivisset, regem Magnum et Haraldum congressos, pactione facta, arma consociavisse, orientalem oram Skaniæ classe prætervectus, ibi dein aliquantum temporis egit. Ubi vero cognovit, Magnum et Haraldum classe in Norvegiam revectos, copiis in Daniam reductis, regios reditus ea hieme recepit.

Cap. 31. Appetente vere, reges, Magnus et Haraldus, copias e Norvegia evocarunt. Accidit

aliquando, ut in eodem portu starent; postero autem die Haraldus prior ad navigandum paratus, extemplo solvit, et sub vesperam portum ingressus, in quo rex Magnus cum suis proxima nocte agere constituerat, navem suam in statione regia constituit, ibique tentoriis velavit. Rex Magnus post eodem die solvit et in portum venit, cum jam Haraldiani naves tentoriis velaverant, resque suas ordine composuerant, atque animadvertit, Haraldum cum suis stationem regiam occupasse, eoque loco stare decrevisse. Ubi vero Magniani vela collegerant, rex suis: nunc homines per longitudinem orarum navium nostrarum ad remos consideant, et remigationem summa alacritate urgeant, alii arma expediant; nam, si e statione decedere nolint, prælium committemus. Ut vero animadvertit rex Haraldus, regem Magnum committere prælium decrevisse, suos alloquitur: oras præcidite, navesque e statione avertite; Magnus frater nunc iratus est. Sui imperata faciunt et naves e statione avertunt, quo facto rex Magnus suas naves in stationem appulit. Cum utrique res suas ordinaverant, rex Haraldus cum aliquot viris navem regis Magni conscendit; quem advenientem rex Magnus salutavit, exoptatumque adesse jussit. Cogitavi quidem, Haraldus inquit, me ab amicis receptum fuisse, sed modo dubitare cœpi, an me in amicorum numero ponere velles; at verum est, quod vulgo dicunt, adolescentiam præcipitis esse ingenii; neque ego, frater, hanc rem aliter accipiam, quam a fervore adolescentiæ profectam. Cui rex Magnus: immo insito generi nostro ardori, non adolescentiæ temeritati, imputandum, quod quæ dederim, quæve negaverim, animo hæreant. Nimirum, si hæc exigna res invitis nobis prærepta fuisset, alia majoris mo-

menti res propediem prælperetur. Neque tamen eo minus pactis tecum initis stare volumus, quod idem secundum pacta conventa a te postulamus. Tum surgens rex Haraldus: et hoc quoque a veteribus dictum accepimus, solere imprudenti cedere sapientiorem. Quo dicto in navem suam regreditur. Quibus ex rebus intelligi potuit, quam difficile esset, concordiam inter eos servare: utrorumque enim asseclæ suo quisque principi favebant. Magniani contendebant, regem Magnum jure agere; qui imprudentiores erant, dicebant, honorem Haraldi ea re aliquantum minui, [neque consentaneum esse[1], regem Magnum omnibus in rebus anteponi. Ipsi vero Haraldiani contendebant, pacem inter eos convenisse, ea solum conditione, ut, si utrique eodem tempore portum intrassent, rex Magnus jus regiæ stationis haberet, non vero debere Haraldum e statione, quam prior occupasset, decedere: facilitatem ac prudentiam, qua Haraldus hac in re usus fuisset, prædicantes; qui autem animo erant magis malevolo, dicere, velle regem Magnum fratri his rebus facere injuriam, pacemque per nefas violare conari. Quibus jactis dissidiorum seminibus, homines benevoli ac sapientes de concordia regum magnopere solliciti esse cœperunt; nam his multisque similibus factum est, ut eorum animi inter se alienarentur, de quibus supra mentionem injecimus.

Cap. 32. Reges, Magnus et Haraldus, magnum numerum militum egregie armatorum habuerunt, quas copias meridiem versus in Daniam duxerunt. Quo cognito, Svein orientem[2] versus in Skaniam aufugit; reges vero multum æstatis in Dania commorantes, totam terram in potestatem redegerunt. Vir erat nomine Thorgils,

[1]) conveniens enim esse, *H.* [2]) occidentem, *H*, minus recte.

de matre Birna Birnæ filius appellatus, Sveini Ulvi filio cognatione junctus. Hic, alterque vir, nomine Thorkel Geysa, potentissimi erant ex his, qui principum familia non orti cum rege Sveine fuerunt. Accidit die quodam, ut rex Magnus cum suis escensionem faceret in loco, ubi aderant hi, quos perfidiæ causa rex suspectos invisosque habuit, Haraldo rege interea alio loco cum suis versante. Magniani escensione facta, multos occiderunt, quosdam vivos captos in vincula compegerunt, multoque mane duodecim captivos ad naves reduxerunt. Cum iterum escensionem facere pararent, rex severe interdixit, ne vincti solverentur. Alvilda, mater regis, ibi tum constituta, cum in terram exiissent, captivos allocuta est: quinam hi homines sunt, quodve nomen viro illi pulcro, qui principis dignitatem inter vos gerere videtur? Qui cum nihil responderet, ea interrogavit, an vita donari vellet. Haud opinor, inquit. Quidni? inquit ea. Ei rei plures sunt causæ, quam una, inquit ille: prima, quod regi Magno fidelis non ero, dum utrique reges vivent et dissidia inter se agitabunt[1]: altera, quod me inventurum non puto hominem, qui mihi necem afferat, rege Magno meliorem; nec immerito attulerit, ut qui semper ei adversatus fuerim; atque mortem meam pauci damnosam putabunt, et quidem maxime, quod mihi uxor sit, ætate florens, ac filiæ, quæ forsitan aliquid damni in me fieri existimabunt. Superest, quod rex ægre feret, si dimissus ero; immerito vero accidet, si tu mea causa in odium ejus incidas. Ea contra: video, te virum esse magnæ dignitatis, quare libertati omnino donaberis. Et ego quoque vitam abs te conces-

[1]) neque mihi tum videor, quam tibi debeo, concessæ vitæ gratiam referre, add. *F.*

sam accipiam, regia mater; tu vero, quandocunque opus esse judicaveris, Thorkelem Geysam tanquam hospitem aut ipsa, aut per internuntios convenito. Dein omnes duodecim solvi, et quo vellent abire jussit[1]. Rex Magnus, ut ad naves redierat, de hac re certior factus, vehementer iratus est: pro, rem inauditam, inquit, te mea jussa violare, remque tam nefariam suscepisse! tene plus posse, meliusve velle putas, quam me? Cui illa: haud ego hac quidem in re pejorem voluntatem, quam tu, ostendi, et fieri potest, ut me hujus facti aliquando non pœniteat. Rex: multi quidem patribus plurima beneficia accepta referunt, neque ullus plura, quam ego patri meo; verum tamen minus honestum genus maternum mihi delegit. Illa: ne ei hoc vitio vertas, multo enim vilius deligere potuisset; me potius bene de te meruisse existimes, quæ tibi talem patrem delegerim. His dictis finem colloquii fecerunt.

Cap. 33. Alio tempore accidit, ut reges utrique prædandi causa escensione in terram magno cum exercitu facta, ingentem vim pecuniarum iis, qui ad Sveinem Ulvi filium transiissent, eriperent, multosque incolarum captivos ante ad naves agerent et in vincula conjicerent. Tum rex Magnus matrem suam adiit, eamque secreto allocutus: jam a me multis audientibus, inquit, ei qui ex captivis præstantissimus est pacem petas. Cui illa: cur nunc audeam hostibus tuis pacem petere, cui adeo succensueris antea, cum homines abs te captos vinculis exemissem. Rex contra: jam hoc non modo tibi ignoscere volo, sed etiam faciendo nunc quæ petisti, satisfacere, quod te verbis tunc castigavi, neque enim certo scias, an diu post hæc meo conspectu his in

[1]) noluit enim Thorkel, nisi omnes dimitterentur, oblatam vitæ conditionem accipere, add. *F.*

terris sis fruitura, quam ob rem tibi profuerit, ab iis posse auxilium petere, quos antea beneficiis demerita sis, nam, si quid mihi humanitus accidat, regis Haraldi patrocinio parum, opinor, confidere poteris. Quibus dictis cum rex discederet, ea lacrymans, ut omnes præsentes exaudirent, dixit: precibus meis annue, domine! concede, quæso, vitam incolumitatemque huic insigni viro. Cui rex: sane quidem te voti compotem faciam, mater. Hic vir statim vinculis exemtus regem adiit, et pro vita concessa gratias egit. Deinde matrem allocutus: tu mihi omnino immerenti magnam benevolentiam præbuisti; quare, si acciderit, quod nunc quidem incredibile videtur, ut aliquo auxilio aut patrocinio indigeas, virum, cui nomen est Thorgils Birnæ filius, quasi notum tibi amicum, adeas. Quibus dictis discessit.

Cap. 34. Dicuntur aliquando utrique reges una in ancoris ad terram stetisse, ubi silva densior in propinquo erat, a qua planities usque ad mare porrigebatur. Accidit aliquo die sereno, ut vir, splendida equestri armatura indutus, ex silva equo vectus procederet; hic vir erat elegantissimus atque equum per campum scitissime agitavit; deinde multa, quæ ad artem equestrem pertinent, tanta dexteritate exercuit, ut militum regiorum oculos et admirationem in se converteret; cum vero diu lusisset, equo in classiarios converso, magna voce exclamavit: ut ego fidem Magno regi, sic rex Haraldus mihi datam fefellit, qui reges, Magnus et Haraldus, admodum inter se dissimiles sunt. Quibus dictis se in silvam recepit atque ex conspectu aufugit. Rex Magnus hominem cognovit, atque dixit: plerosque profecto Svein Ulvi filius artium peritia

superat, inquit; qui si tantum numero militum, quantum strenuitate et audacia valeret, victoriam sæpius reportaturus esset.

Cap. 35. Reges magnam partem autumni[1] classem ad Jotiam tenuerunt. Accidit nocte quadam, ut rex Magnus in lecto suo cubans somniaret; nempe visus sibi est eo loco versari, ubi rex Olavus sanctus, pater suus erat, seque ab eo his compellari: utram, fili, conditionem eligere vis, jam statim mecum abire, an omnium regum potentissimus evadere, diuque vivere, id vero facinus committere, quod vix aut ne vix quidem expiare possis. Visus sibi est respondere: volo, pater, ut meo nomine eligas. Itaque jam mecum abito, rex Olavus inquit. Rex Magnus expergefactus, somnium suis exposuit, quorum plerique ea re majorem in modum sunt obstupefacti. Post paulo accidit cujusdam diei primo mane, cum rex Magnus in tecto puppis navis suæ cubaret, ut suspiria altius ducens stragulas abjiceret, corpore multum vaporem exhalante. Einar Arcipotens, qui præsens aderat, quæsivit: ægrotasne, domine? Cui rex: parum adhuc, educator, inquit. Einar: hoc nobis magnum affert dolorem, neque damnum, quod in te [facient amici tui[2] si[3] moriare, nuquam reparabitur. Rex locutus est: cura mihi lectum, educator, in interscalmio anteriore ad marginem navis sternendum, ibi enim locus commodior est, auraque frigidior. Sic factum, ubi cum se lecto composuisset, suspirans dixit: hoc me minime juvat, in eundem me locum reportate; atque ita factum est. Tum Einar: præsentibus amicis loquere, domine, ea, quæ necessitas postulat, et da nobis salubria consilia; fieri enim potest, ut

---

[1]) æstatis, *H.* [2]) faciemus, *H.* [3]) quid tibi accidat aut, add. *H.*

brevi inter nos colloquamur. Sic faciam, amice, inquit rex, vero enim simillimum est, hunc morbum convictum et societatem nostram diremturum. Inter hæc rex Haraldus eo advenit, et interrogavit: num ægrotas, domine? Rex Magnus respondet: ego vero ægroto, cognate! hoc alis te etiam atque etiam peto, ut amicum te præbeas amicis meis. Id quidem fieri tua causa conveniens est, rex Haraldus inquit, sunt vero in his nonnulli, qui cum me nonnihil suspectum habeant, se solos sibimet sufficere putant. Hic Einar: de his loqui parum proderit, constitutum enim habebit, quid facturus sit, quidquid tandem nunc polliceatur. Cui Haraldus: nonne jura necessitudinis meique officii hoc maxime svadent, ut amicus sim meis amicis?[1] Tum Einar: loquere, domine, rex Magne, de rebus gravioris momenti, quid de regnis statuendum sit. Ad quæ ille: id consilii do, Haralde cognate, ut in Norvegiam[2] patriam tuam revertaris, eamque defendas; ego enim et Hördaknutus pacti fueramus, ut neque imperium Danicum, si in meam veniret possessionem, neque Norvegiam, si in illius, ad cognatos utriusvis transirent; Svein igitur Daniam habeat. Cui rex Haraldus: Daniam non minus quam Norvegiam, si morieris, meam esse contendo. Hic rex Magnus: jam sentio nostrum colloquium frustra futurum. Rex Haraldus porro: quantum superest ingentis ejus auri ponderis, quod hanc in terram importavimus, cujus dimidiam partem a nobis accepisti? Magnus contra: inspice navium latera, quæ viris honestis et for-

[1]) Magnus rex dixit: fient, cognate, quæ vis, neque tamen indignum mihi videtur, aliquid tribui precibus meis, præsertim quod æque atque hoc fieri deceat. Ad quæ rex Haraldus nihil respondit, add. *F.* [2]) Hic unum folium abest in *M.*

titudine claris instructa sunt! his aurum dedi, atque ita gratiam eorum et fidem mihi conciliavi, opera vero ac fides unius honesti viri ingenti pecunia præstat. Post hæc Haraldo digresso, Einar locutus est: aliquid in rem fratris Thoreris consule, domine, parum enim honoris Haraldus ei tribuet, nam optime cum eo agetur, si ei vitam retinere liceat. Accessit Thorer, comitatus viro, Revo nomine. Quos rex ita allocutus est: jam ex navibus egressi in sylvam vos conferte; nam breve post tempus tubæ sonabunt, quod vobis pro signo erit, me tum mortuum esse. Inde quam celerrime ad regem Sveinem contendite, eique hæc mea mandata perferte, ut te, frater, sic recipiat, uti fratrem suum, quem die supremo ad me misisset, recipi a me vellet[1]. Thorer propter luctum loqui non potuit. Rex Magnus porro locutus est: hoc quoque regi Sveini dicitote, me illi totum dare Danicum imperium, quod in posterum habeat et suo jure, quocunque postulante, possideat. Dein Thorer cum comite ex navibus in sylvam egressus est, ibique res venturas exspectavit.

Cap. 36. Hoc ipso tempore eo advenit navemque regiam conscendit [vir ante commemoratus[2], Thorstein Halli[3] filius, qui tum nuper Roma redierat. Is eo tempore regem Magnum convenit, cum jam antea rex amicis suis communicarat dederatque omnes fere pecunias et res pretiosas, quæ ad manum erant. Thorstein, rege salutato: domine, inquit, congressus noster haud eam, quam animo præceperam, voluptatem habebit; nam, quantum video, instat subitus noster atque luctuosus discessus; quare nunc a te pecunias non peto, sed oro, ut nomen tuum mihi

[1]) primum ei non obitum, sed modo morbum dicitote, add. *F.* [2]) omitt. *F. H.* [3]) Sidensis, add. *H.*

concedas. Rex reponit: quoniam bene de me meruisti, Thorstein, insignisque vir es, hocce tibi nomen minime invideo, ut filio tuo imponas. Etsi vero rex fuerim exiguæ auctoritatis, fore tamen puto, qui dicant, non esse nullius audaciæ, meo uti nomine virum ignobilem; verum tamen, quoniam video te hoc ex amore et magna cum cura petere, nomen tibi meum sane concedo, quanquam præsagit animus, dolorem honori adjunctum hujus nominis comitem fore.

Cap. 37. Brevi ante obitum Magni regis rex Haraldus denuo ad eum venit propeque eum adsedit; tum levis somnus Magno regi obrepsit, quo somno cum os dormientis patefieret, piscis aureo colore ex ore ejus prodire visus cum in os reverti vellet, neque posset, os Haraldi regis intravit, tum nigrum colorem referre visus. Quod portentum cum experrecto regi nuntiassent sui, ille infit: hæc res, opinor, me brevi obiturum significat, atque fieri potest, ut consilia Haraldi regis, quibusdam obscuriora minusve salutaria existant, quam mea. His dictis denuo testabatur, se regi Haraldo totum dare regnum Norvegiæ, Sveini vero totum Danorum imperium; post hæc ad eum venerunt clerici, qui ei supremum officium solenniter præstiterunt. Deinde eum, qui ei a calceis erat, adfatus: ecquid tui memor fui? Neganti puero rex cultrum et zonam porrexit, res pretiosissimas, quas puer accipiens, regem intuitus est, eo ipso temporis momento exspirantem; qua re tantopere affectus est, ut animo linqueretur; cum vero linquentem animum revocasset, pretiosa illa munera ablata erant, ut ea nunquam postea videret.

Cap. 38. Obiit rex Magnus tribus noctibus ante festum[1] Simonis et Judæ. Cujus mors ex-

[1]) apostolorum, add. *H.*

templo tubarum sonitu nuntiata; quod audientes Thorer ac comes, qui in sylva delitescebant, regem mortuum esse pro certo habuerunt. Simul audiunt voces hominum prope a se in sylva, ita loquentium: hoc ipso loco nuper erant; deinde sagittæ prope eos advolarunt, unde conjecerunt, regem Haraldum milites in sylva constituisse, qui se interficerent; quare fugam capessendo saluti consuluerunt, neque prius ab itinere destiterunt, quam regem Sveinem convenerunt [in Skania ad orientem. Hic eo tempore iter orientem versus in Svioniam paraverat, quem sumserat dignitatis titulum depositurus, atque quo tempore Thorer comesque eum convenerunt, in eo erat, ut equum conscenderet[1]. Quem cum Thorer verbis compellare non valeret, rex, qui statim iis conspectis animadverterat, ingentia quædam habere, quæ narrarent, interrogavit: numquid inter Nordmannos novi? Revus, comes Thoreris, respondit, atque ei mortem Magni regis nuntiavit, supremaque morientis mandata, quibus Sveini regi totum Danicum imperium concessisset, ejusdemque fidei Thorerem fratrem commendasset; Revus causam Thoreris strenue audacterque egit, demonstrans, quantum luctum ac damnum in morte Magni regis accepisset. Hic Svein magna affectus animi sollicitudine respondit: ingentia narras, inquit; tu nobis exoptatus adsis, Thorer, insignes tibi honores tribuemus, credo enim bonum illum regem Magnum fratri meo sic facturum fuisse, si ei simile quid accidisset; Denuque testem adhibeo, me nunquam, usquedum vixero, ex Dania fugiturum. His dictis equo conscenso, in loca interiora Ska-

[1]) Hunc, qui Dania nondum excesserat, convenerunt apud amnem Helgam (Sanctum) cum jam abiturus equum conscenderat, a signo [· F.

niæ equitavit, quo cum certa fama de obitu Magni regis perlata esset, ingens ad eum multitudo confluxit. Hac eadem hieme rex Svein totum imperium Danicum suæ subjecit potestati, ab omnibus Danis rex creatus. Thorer apud eum versabatur, maximo honore habitus, ut rex ei pollicitus erat; ille vero nulla ex re lætitiam capere potuit, neque diu vixit.

Cap. 39. Alvilda[1], mater Magni regis, gravi post obitum ejus tristitia, quod exspectari poterat, afficiebatur; jussit se in terram exponi, comitibusque paratis, primum ad Thorkelem Geysam se contulit, a quo magno gaudio excepta, aliquantisper apud eum commorata est; festo vero Jolensi appropinquante, tristitia ejus augebatur. Thorkel eam adiens ita dixit: pervelim, regis mater, te hilarem esse, nam te quam possumus optime tractabimus. Tu quidem perbene facis, respondit ea, recordor autem prioris hiemis festi Jolensis, si quidem futurum est, ut instanti festo Jolensi cum ignobilibus viris potem. Hoc ignoscendum est, inquit ille, et si vis Sveinem regem adire, illuc te comitabor, spero enim eum te bene excepturum. Accipit ea conditionem, et ab rege perquam liberaliter excepta est, apud quem deinde bene habita commorabatur; dicitur regi Sveini mensam eximiam, totam auro ornatam et gemmis pretiosis distinctam muneri dedisse.

Cap. 40. Mors regis Magni omni populo perquam acerba fuit[2]; fuerat vero vir mediocris staturæ, facie recta et candida, badiis crinibus, ore diserto, in excogitandis consiliis celer, magnanimus, pecuniæ munificentissimus, insignis

[1]) Ulvilda, *H*, prave. [2]) præsertim, cum unam tantum filiam reliquisset, Ragnildam nomine, quæ adhuc in teneris erat, add. *F*.

bellator, ad arma tractanda audacissimus et omnium victoriosissimus; præter omnes reges gratia valuit, ut eum non magis amici quam inimici collaudarent. Statim post obitum ejus, rex Haraldus advocatis colonis concionem habuit, palam vulgo quæ statuisset faciens, se Vebjarga profecturum, conventuque ibi acto facturum, ut rex totius Daniæ crearetur, deinde hoc regnum armis subacturum, hoc enim non minus, quam Norvegiam, suam esse hæreditatem; rogavit, ut uterque exercitus se adjuvaret, in spe enim esse, si nunc Dania potiri possent, Nordmannos reliquo semper tempore Danis superiores fore. Einar Arcipotens orationi regis respondit: sui potius officii esse, funus Magni regis, alumni sui, ad sepulturam deportare patrique regi Olavo Sancto tradere, quam extra patriam bella gerere cum Haraldo rege, alienis regnis ac possessionibus inhiante. In exitu orationis significavit, se malle regem Magnum mortuum, quam alium quemlibet regem vivum comitari. Dein suos jussit funus tollere, splendide ad sepulturam componere in nave regia, locoque edito collocare, ut apparatus funeris ex aliis navibus conspici facile posset; omnes Thrandi multique alii ex Nordmannis se ad reditum accinxerunt, funus regis Magni comitaturi, quo factum est, ut copiæ dilaberentur. Quare Haraldus, consultissimum esse sentiens, in Norvegiam reverti, primum eo regno, quod jure majorum hereditario possedit, potiri, opportunoque tempore ibi copias ad expeditionem contrahere, ab austro in Vikam contendit; hic comitia Borgensia[1] habuit, terramque sibi jurejurando a colonis addici fecit; dein ab oriente comitia habendo regnum obiit, donec septemtrionem versus in Thrandheimum

[1]) Borgundensia, *F.*

perveniret, quovis conventu rex totius regni creatus.

Cap. 41. Einar Arcipotens et universæ Thrandorum copiæ, funus Magni regis comitatæ, Samum appulerunt, classemque in eo portu tenuerunt, ubi rex Magnus aut austrum versus aut ab austro classe proficiscens sæpius stationem habere consverat. In hac insula erat vir quidam cæcus, pauper, cujus inopiam rex, siquando classem ad insulam appelleret, religione ductus, stipe conferenda sæpius magnopere sublevaverat. Cæcus ille, cum eodem vespere animadvertisset, multas naves ad insulam appulisse, se ad mare duci jussit, clamitansque interrogavit, quis in his navibus summus vir esset. Einar respondet: rex Magnus Olavi filius. Vir ille cæcus: num rex pro more suo paupertatem meam nunc respiciet? Einar: non ita res se habet; rex mortuus est. Quo audito pauper ille adeo commotus est, ut luctus diu vocem præcluderet; cum vero sese recepisset ex dolore, in hæc erupit: quo me nunc animo excipies, Einar! an mihi stipem aliquam, Dei gratia tuæque liberalitatis ergo dare, atque sic memoriam beneficiorum Magni regis renovare vis? an potius, fatis volentibus, evanuit omnis solatii spes, quo miseriam meam sublevatum iri putaveram? Einar respondit: sane quidem tui ratio habebitur; constituit, quantum cibi ex quaque nave ei daretur, quod in unum locum collatum, magnam effecit cibariorum copiam; quam stipem Einar in terram exponi cæcoque tradi jussit. Hic cæcus ille vir: jam, Einar, [ut sæpius[1], tuam ostendisti liberalitatem, atque hoc magnum est levamen meæ paupertatis, verum tamen est, quod te amplius rogem, si qua forte res sit parvi pretii, quam

[1]) in me, ut in complures alios, *H.*

Magnus rex possederit, hanc ut mihi dono des, solatii memoriæque servandæ gratia. Einar contra: ita rex Magnus hac vita exiit, ut eum credam omnes res pretiosas, aurum et argentum et vestimenta, erogasse, neque satis scio, an aliquid reliqui sit; manu deinde in crumenam demissa, parvum annulum aureum invenit, quem cæco tradi jussit. Ille præ gaudio lacrimans, annulum oculis admovit, ut lacrimæ in genas et annulum deciderent. Tum lacrimans: præsagivit mihi animus, bene mihi fore, si quam pretiosam rem quæ regi Magno fuisset, nactus essem; cujus etiam nunc fructum percipio; nam vos quidem me collata stipe magnopere juvistis, rex vero majus in me contulit beneficium, adeo ut ab hoc tempore nunquam futurum sit, ut aliorum auxilio ad necessaria vitæ comparanda indigeam; ego enim, qui tamdiu cæcus fui, nunc utriusque oculi visum recepi. Quibus auditis, Einar multique alii in terram egressi, vera esse quæ dixerat pauper, cognoverunt; quæ res omnibus, qui regi fuerant amicissimi, gaudium attulit, sive Deus hoc fecerat propter bonitatem Magni regis, sive propter sanctitatem regis Olavi, patris ejus; deinde septemtrionem versus navigantes, funus in Thrandheimum transportarunt. Tum de itinere eorum hi versus compositi sunt:

Jam naves, bello ad austrum maris
gesto celebres, mœstæ domum in
crepusculo redeunt, hunc egregie
strenuum regem mortuum vehentes.
Infelix fuit populus in obtinendo
viro, qui regum præstantissimus fuit:
exinde tempus dolore non caruit;
satellites corpus regis condiderunt[1].

[1]) Ordo: *Nú fara daprar skeiðr, herkunn a) fyrir sunnan lög, heim í húmi með b) þenna dýrnenninn gram dauðan. Öld*

Ut Nidarosum convenerunt, omnes oppidani obviam funeri exierunt, quæ pompa maximo cum apparatu ducta est: funus Magni regis conditum est [in æde Clementi sacra[1], ubi eo tempore scrinium regis Olavi Sancti servabatur. Multi fortes viri lacrymas fundentes sepulcro Magni regis adfuerunt, atque diu exinde obitum ejus lugebant, quod Oddus Kikinii poëta testatur:

Homines multas lacrimas fuderunt,
cum liberalem regem ad sepulcrum
ferrent; id onus grave fuit his,
quibus ille pecunias donaverat.
Animi ita distracti sunt, ut
domestica regis cohors lacrimis
vix temperaret; populus vero
regis sæpe postea mœstus sedebat[2].

Aliquo die Oddus poëta tristi animo foris ambulans, cuidam interroganti, quomodo se haberet, his versibus respondit:

Admodum male me habeo, ex quo
vita decessit Magnus bonus,
animosus ille rex; animi
ægritudo Oddo supervenit.
Huc illuc erro, cujusque hominis
indigus, gravi dolore affectus;

---

hefir illa haldit þat c) höfut, er var d) fremst e) jöfra: síðan era stríðvana f); hirðmenn hafa hulit skylja.

a) malui *herkunnar.* b) *fyrir, F.* c) *þess,* ejus regis (caput), *F.* d) *er,* est, *F.* e) *fremstr* (masc.), *F.* f) *stríðvaða, F.*

[1]) in æde Kristi extra chorum, nunc vero intra chorum est, ante sedem archiepiscopi, *F.*

[2]) Ordo: *Menn feldu mörg tár, þá er báru mildan þengil í gröf: sú byrðr var þúng þeim, er hann gat a) seimu. Hugr deildist svá, at húskarlar grams hèldu b) varla vatni, en þjóð siklings sat opt hnípin síðan.*

a) *gaf, F, H, Fagrsk.* b) Sic *H, Hk., Fagrsk.; hèldust, F; hreldu, A;* meum exscr. *hieldu.*

populus mortuo rege factus est
tristis: hinc animo saucius sum[1].

Hæ res, ut ante dictum est, magnum vulgo in Norvegia luctum excitarunt; cumulavit etiam dolorem regis amicorum, quod nullam reliquerat prolem superstitem, præter unam filiam Ragnildam, quæ tum in teneris erat. Sic narratio de Magno rege Bono, filio regis Olavi Sancti, concluditur.

Cap. 42. Rex Haraldus hac ipsa hieme, qua quæ supra commemoravimus gesta sunt, in Norvegiam delatus, ut in oppidum venerat, ad comitia Eyrensia populum convocavit; ubi, sicut in aliis locis, cum ei nomen regium, ut totius regni principi, datum esset, singulare imperium totius Norvegiæ ad eum delatum est; hac hieme in Thrandheimo consedit. Haldor Snorrii filius, qui, ut antea commemoratum est, Constantinopoli cum Haraldo versatus erat, cum eo ex Gardarikia in Norvegiam venit, eoque tempore honore et auctoritate plurimum apud regem valuit; idem hac hieme, quam rex in emporio (Nidarosi) transegit, cum eo versabatur. Sub finem hiemis et initio veris, solito quidem maturius, mercatores naves suas parabant; nam ob bellum et dissidia, Norvegiam inter et Daniam intercedentia, perpaucæ vel omnino nullæ naves ex Norvegia ad alias terras trajecerant. Ubi vero

---

[1]) Ordo: *Ek má a) harða b) illa, sízt þraut c) æfi Magnúss góða, móðfíkins d) stillis e); stríð hafa ofstaddan Odd. Ek hvarfla, hvers manns þurfi: [strángr harmr fær f) ángrat mèr g); þjóð er döpr at dauðan dögling: því förum h) vèr aprir.*

a) því, add. *F.* *b) harðla,* id., *F, H.* *c) þvarr,* id., meum exscr. *d) móðfíkings, F.* *e)* conjeci; *stillir, A.* *f) hvarmstrángaðan, F,* corrupte, ut puto. *g) mann, F.* *h) vorum, H*; *erum*, meum exscr.

processerat ver, rex Haraldus sentiens, Haldorem Snorrii filium magna affici tristitia, aliquo die quæsivit, quænam res animum ejus tentasset. Cui Haldor: in Islandiam trajicere cupio, domine! Rex contra: profecto multos esse credo, qui in patriam redeundi te cupidiores sint, ubi vero sunt res ad profectionem necessariæ, quove modo succedit mercium permutatio? Haldor: has brevi tempore credo permutari posse, nihil enim præter vestes quotidianas habeo. Parcius itaque remunerata tibi est longinqua militia multaque pericula; dabo tibi navem cum onere, ut pater tuus intelligat, te haud frustra sub me militasse. Haldor, gratiis pro munere actis, paucis post diebus regem convenit; a quo interrogatus, quantum conductio nautarum procederet, respondit: omnes nautæ suis quisque navigiis se obstrinxerunt, ut ne unius quidem mihi facultas sit, qua re navis mihi a te data hic necessario remanebit. Rex: itaque hoc munus parvam gratiam habebit; age vero, adhuc exspectemus, si quo pacto possit ista nautarum difficultas expediri. Postero die oppidani ad conventum tuba convocati: regem enim cum oppidanis et mercatoribus colloqui velle. Rex serius in conventu adfuit, veniensque vultu sollicito esse videbatur; ille sic verba fecit: Fama audivimus, inquit, regnum nostrum orientale in Vika hostium incursionibus vexari, Sveinemque Danorum regem danicas copias eo adduxisse, nobis nociturum; cum autem nullo modo velimus regnum nostrum ei cedere, interdicimus, ne quæ naves hinc solvant priusquam a quavis nave, quantum libeat hominum atque cibariorum sumserimus, una excepta navicula, quæ Haldori Snorrii filio est, cui in Islandiam trajiciendi veniam concedo; quamvis autem hoc vobis paulo durius videatur, qui

vestra paravistis itinera, tamen necessitate adactus talia vobis impono onera, magisque optaverim, ut otio frui liceret, et quisque quo vellet proficisceretur; post hæc concionem dimisit. Paulo post Haldor regem convenit; interrogavit rex, quatenus in apparanda nave progressus esset, et numquos nactus esset nautas. Haldor respondet: nimis multos jam conduxi, multo enim plures locum in nave petentes ad me veniunt, quam ut omnibus concedere possim; accursu advenientium fatigor, quin etiam parum abest, quin fores domus meæ irruentium impetu frangantur, ut noctu interdinque nulla frui quiete, ob hominum interpellationem, liceat. Rex: itaque quos jam conduxisti nautas retineas, quid deinceps agatur, exspectemus. Postridie ejus diei signo tuba dato promulgatum, regem denuo cum mercatoribus velle colloqui; jam adventus regis in concionem serus non erat, venit enim inter primos, vultumque serenum præ se tulit; surgensque verba fecit: jam lætum nuntium affero: quæ enim de bello pridie audistis, mera sunt commenta et mendacia; jam cuilibet, quo quisque velit, navigandi potestatem facienus; sequenti autumno redeatis, nobisque res pretiosas referatis, a nobis vicissim commoda et gratiam reportaturi. Omnes præsentes mercatores, hac re valde lætati, verba regis uno ore collaudarunt. Itaque Haldor insequenti æstate in Islandiam navigavit, hiememque apud patrem suum transegit; proxima vero post æstate rursum peregre profectus, iterum se ad aulam Haraldi regis contulit; tum vero ferunt Haldorem non tam assiduum quam antea comitem regi adhæsisse, sæpe enim vesperis, rege cubitum eunte, poculis indulgentem remansisse.

Cap. 43. Vir erat nomine Thorer, qui in

Angliam mercandi gratia navigare consverat; hic inclytissimus mercator fuerat, diuque navigationibus ad varias terras operam dederat, regique res pretiosas retulerat; erat aulicus Haraldi regis, annis tum admodum gravis. Hic in colloquium regis veniens, sic locutus est: sum, ut notum tibi est, ætate provectus, senioque magnopere defatigor, ut me imparem sentiam aulicæ consvetudini servandæ, quales sunt haustus poculorum memorialium, aliaque, quæ fieri oportet; nunc itaque vitæ ratio mutanda, quanquam mansio apud te et optima est et jucundissima. Rex: huic rei facile occurremus, amice! remane inter satellites, neque plus quam tibi ipsi libuerit mea cum venia pota. Bardus nomen erat viro, Uplando, ingenio liberali, adhuc juveni, hic apud Haraldum regem magna usus est gratia, consessorque erat Thoreris atque Haldoris. Accidit aliquo vespere, rege locum, ubi poculis indulgentes sedebant, prætereunte, ut Haldor eo ipso momento ingens cornu ferinum remitteret, quod cum esset bene politum ac pellucidum, facile perspici potuit, eum aliquanto plus quam dimidiam partem Thoreri præbibisse, qui tardius cornu vacuare potuit. Hic rex: sanequam sero homines experiundo cognoscas, Haldor, inquit, siquidem tu virum ætate gravem potando turpiter vincere satagis, meretrices seris vesperis venaris, regem tuum sequi negligens. Haldor nihil respondet; cum vero sentiret Bardus verba regis ei displicere, primo mane sequentis diei regem adiit. Sanequam mature cubitu, Barde, surrexisti, rex inquit. Ille: adsum domine, ut te reprehendam, quod heri vesperi male et immerito Haldorem amicum tuum increpuisti, cum objiceres ei, quod certatim biberet; hoc enim erat cornu Thoreris, qui cum ad satietatem bi-

hisset, et cornu ad craterem laturus esset, Haldor accepto cornu plus quam dimidium loco ejus exhausit; maximum quoque mendacium est, quod dixisti, eum prostibula sectari, verum tamen optarent amici ejus, ut majori cura te sequeretur. Rex significavit se et Haldorem hanc rem, cum convenissent, composituros. Dein Bardus Haldorem adiit, ostendens, eum a rege collaudari, quare consultissimum esse, non curare, si rex talia verba per jocum jaciat. Sic Bardus maxima benevolentia inter eos intercessorem egit. Interea tempus procedebat, frigente inter regem et Haldorem familiaritate. Festo autem Jolensi appropinquante, leges de scyphis multatitiis, ut mos erat, promulgatæ sunt. Aliquo mane festi Jolensis pulsus campanarum mutabatur, pueri enim, qui a candelis erant, æditnos pecunia corruperunt, ut solito prius campanas pulsarent; unde Haldor multique alii in crimen (mensæ neglectæ) incurrerunt. Ceteri quidem, in stipula considentes, eodem die pocula multatitia vacuarunt. Haldor vero in loco suo sedebat, cui cum scyphus multatitius nihilo minus afferretur, se hausturum negavit. Quod ut regi relatum est, dixit: hoc verum esse non puto; accipiet, si ipse ei cornu attulero. Deinde scyphum multatitium Haldori attulit; ille regi advenienti adsurrexit, exhaurire vero jubenti: non mihi pœnam videor eo magis meruisse, inquit, quod dolis adhibitis pulsuque campanarum mutato homines in crimina induxeris. Cui rex: tu vero huncce scyphum haud secus ac alii exhaurito. Fieri quidem potest, inquit Haldor, ut tu, rex, efficere possis, ut huncce scyphum hauriam, haud vero crediderim, Sigurdum Porcum coacturum fuisse Snorronem Pontificem, ut con-

tra voluntatem suam [talia faceret[1]. Quibus dictis acceptum scyphum vacuavit, rex vero valde iratus ad sedem suam se recepit. Octavo die festi Jolensis, stipendium militibus solutum est, quod argentum *moneta Haraldi* vocabatur, cujus maxima pars cuprum erat[2]; cum autem Haldor stipendium accepisset, manu in sinum pallii demissa argentum inspexit, quod cum ei haud purum esse videretur, altera manu argentum excussit, ut in stipulam decideret. Hic Bardus: male jam fecisti, rex enim stipendio ita deperdito sibi ignominiam factam judicabit. Cui Haldor: hoc jam minime curabo, jam enim nihil est, in quo pericliter.

Cap. 44. Elapso festo Jolensi, rex naves suas parari jussit, austrum versus secundum litora navigaturus, cum vero tantum non paratus esset, Haldor se itineri non accinxit. Bardo interroganti, cur se itineri non accingeret, Haldor respondit: quia nusquam proferre pedem statui, video enim regem rebus meis minime favere. Volet tamen haud dubie, inquit Bardus, secum ut iter facias. Idem extemplo regem adiens, significat, Haldorem se ad iter non parare; intelligere facile potes, inquit, virum pari strenuitate haud facile inveniri, qui locum ejus in prora occupet. Dic ei, inquit rex, me jubere, ut mecum iter faciat, his additis, simultatem, quæ aliquamdiu inter nos intercesserit, non serio esse. Bardus Haldorem convenit, eique significavit, regem nullo pacto ejus carere ministerio velle; cujus adhortationibus factum est, ut Haldor se itineri accingeret, regemque comitaretur. Aliqua

[1]) biberet, *H.* [2]) quodque optimæ notæ erat, dimidiam partem argento constabat, add. *M.*

nocte, iis[1] navigantibus, Haldor gubernatorem navis regiæ his admonuit: fac cursum nonnihil flectas. Rex gubernatori: sic recta cursum dirige. Haldor iterum: fac navem flectas. Rex eundem cursum tenere jussit. Haldor: recta in scopulum cursum dirigitis. Mox navis tanta vi in scopulum irruit, ut pars inferior frangeretur, qui vero in nave erant, ceterarum navium auxilio usi in terram sunt expositi, ubi positis tentoriis navem refecerunt. Sequentis diei mane Bardus expergefactus, Haldore stragula pellicea colligante, interrogavit: [quod tibi nunc consilium est[2], sodalis? Cui Haldor: statui, onerariam, quæ hinc prope in ancoris stat, conscendere, fierique potest, ut contubernium nostrum dirimatur, si in diversa abeamus; nolo regem naves suas aliasve res pretiosas corrumpendo mihi in posterum ignominiam adferre[3]. Bardus: exspecta paulisper, sodalis, dum regem conveniam. Rex, Bardum videns: solito maturius, inquit, jam surrexisti, Barde. Neque hoc citra necessitatem est, inquit Bardus, Haldor enim se ad abeundum parat, nam existimat, neque sine causa, te inimico in se animo fuisse; atque difficile est, gratiam inter vos conciliare; jam constituit septemtrionem versus in Thrandheimum reverti ad navem suam, iratoque animo in Islandiam trajicere, quod si fiet, haud bene discedditis; nam quæ mea est sententia, alium pari strenuitate, haud facile invenies. Rex se sperare dixit, fore, ut inter se in gratiam redirent, addens, se ob hanc rem non succensurum. Post hæc Bardus abiit, Haldorique amica regis verba retulit. Cui Haldor: cur, inquit, diutius apud eum militem, qui mihi stipendium sine fraude

[1]) austrum versus secundum litora, add. *H.* [2]) quo nunc cogitas, *H.* [3]) ut eapropter pejus, quam antea, audiam, add. *M.*

non pendatur. Bardus contra: cave ne ista loquaris; æquo animo ferre debes ea, quæ præfectorum filii ferunt patiunturque, neque te modo facilem præbuisti, cum argentum in stipulam dejectum perdidisti, quod regem ad suam ignominiam factum judicare, non est quod dubites. Haldor respondet: at vero mihi persvadere non possum, me regem unquam in navanda opera tantum fefellisse, quantum ille in solvendo stipendio. Cui Bardus: hoc quidem fortasse verum est, verum opperire me, regem convenire volo. Mox regem adiens, his compellavit: annue precibus meis, domine, Haldori stipendium puro argento solve; [est enim meritus[1]. Rex: nonne tibi nimiæ audaciæ videtur, Haldori aliud poscere stipendium, quam quod præfectorum filii accipiunt, qui modo tam ignominiose stipendium perdiderit? Bardus: ea potius, quæ majoris sunt, domine, spectanda: fortitudo ejus, diuturna inter vos amicitia, vestraque liberalitas; nosti quoque ingenium Haldoris animique asperitatem, cujus honori servire, gloriæ tibi erit. Rex: belle agis, argentum ei trade! Sic factum; Bardus Haldori attulit duodecim uncias argenti defæcati, his verbis usus: jam vides, te omnia quæ petieris a rege impetrare. Haldor: neque tamen eo magis posthac in nave regia versabor, quare, si diutius me comitem habere velit, mihi navem gubernandam et possidendam tradat. Bardus: non convenit suas tibi naves concedere filios præfectorum, tu majora quam fas est postulas. Haldor se regi comitem fore negavit, nisi hoc impetraret. Bardus abiit, regique postulata Haldoris exposuit: quod si nautæ ejus navis, inquit, gubernatorem virtute æquant, magno tibi auxilio

[1]) hoc enim postulare potest, *H.*

erit. Rex: quamvis hæc superbe dicta videantur, tamen oblatam ab Haldore operam non recusabo. Erat præfectus quidam nomine Svein Lyrgiensis; hunc ad se arcessitum rex allocutus est: tu, Svein, amplo genere natus es insignique prudentia, quare te in mea navi versari jubeo, ut consiliis te adhibere possim. Ille respondit: ad hoc tempus alios magis tuis adhibuisti consiliis, ad quam etiam rem parum sum aptus; cui vero navis est destinata? Haldori Snorrii filio, inquit rex. Svein reposuit: hoc mihi in mentem non venerat, passurum te, ut vir Islandus me gubernatione navis privaret. Rex dixit: genus ejus in Islandia non vilius est, quam tuum in Norvegia, multique adhuc hanc insulam incolunt, qui per perpaucos cognationum gradus possint genus suum ad potentes nobilesque viros Norvegos referre. Cui regis voluntati cum resisti non posset, Haldor navem accepit, quo facto rex orientem versus in Vikam delatus conviviis ibi exceptus est.

Cap. 45. Accidit die quodam, cum rex et multi alii poculis indulgentes considerent, Haldore etiam in cœnaculo versante, ut hujus nautæ toto corpore permadentes intrarent, dicentes, navem Haldoris, suæ custodiæ commissam, a Sveine et contubernalibus ejus raptam, et sese in mare præcipitatos. Haldor confestim exsurgens regem adiit, et ab eo quæsivit, utrum navis, quam sibi dedisset, sua esset, an ea donatio retractaretur. Rex donationem ratam esse jubens, aulicos extemplo jussit Haldorem comitari, sexque navibus quam optime instructis Sveinem persequi. Illi, dicto audientes, iverunt, Sveinem suosque consectaturi. Hic ab insequentibus oppressus fugatusque ad terram se recepit, cursuque in sylvam contendit, Haldor autem navem rece-

ptam ad regem reduxit. Rex cum suis procedente æstate septemtrionem versus in Thrandheimum navigavit, et in emporio hiemem transegit. Svein Lyrgiensis, hac hieme in prædiis suis commoratus, Haraldo regi nuntium misit, velle se omnem causam raptæ navis potestati ejus submittere, maxime tamen cupere navem ab Haldore, si regi ita placeret, redimere. Rex autem intelligens, Sveinem velle rem omnem suæ sententiæ permittere, sic rem constituere voluit, ut utrisque placere posset; quare ab Haldore navem venalem petiit, atque emit, pretium statim pendens auro et defæcato argento, ut nihil præter dimidium selibræ restaret, quod neque Haldor exegit, neque rex pependit. Ubi vernare inceperat, Haldor regi significavit: velle se ea æstate in Islandiam trajicere, quare commodum sibi esse, si tum penderetur, quod ex pretio navis restabat. Rex solutionem detrectavit, qui etsi flagitatione Haldoris haud obscure indignaretur, non tamen prohibuit, quo minus in Islandiam proficisceretur. Haldor vere navem suam paravit. Aliquando, multo vespere, cum jam accinctus esset itineri, vente secundo spirante, ex amne navem deduxit. Haldor scapham cum aliquot viris conscendit et per interiora ad pontes remigavit, quibus obversa puppi, unum scapham retinere, reliquos remis adsidere, et ita se opperiri jussit. Solus in oppidum ascendit, plena indutus armatura, et ad cubiculum, in quo rex et regina quiescebant, se contulit. Strepitu ingredientis cum utrique excitarentur, rex interrogavit, quis nocturno tempore in cubiculum suum irrumperet. Hic Haldor adest, ille respondit, jam ad proficiscendum paratus sum, ventusque secundus spirat; nunc consultissimum fuerit, quod ex navis pretio restat, solvere. Hoc tam

festinanter fieri non potest, inquit rex, lucem exspecta, tumque aurum tibi solvam. Postulo, inquit Haldor, ut jam statim pendatur; hac ego vice re infecta non abibo, novi enim ingenium tuum, atque scio, hanc profectionem meam et exactionem, utut nunc dissimulas, tibi displicere, ab hoc tempore parum tibi credam; et incertum est, an tam crebro posthac ita congrediamur, ut melior occasio mihi offeratur, quare nunc data occasione utendum. Video reginam annulum brachio gestare, qui pro magnitudine pretio respondere videtur; hunc mihi da. Cui rex: itaque lances quærendæ, et annulus ponderandus. Hoc minime opus est, inquit Haldor, accipio eum pro debito meo, in præsenti dolis uti non poteris, cedo illico. Hic regina: annulum ei, ut postulat, trade, nonne vides eum supra te stare infesto animo. Illa dein annulum digito detractum Haldori tradidit, qui, accepto annulo, gratiisque ambobus pro solutione actis, eos valere jussit. Mox raptim egressus, ad scapham descendit; sui remis (mari) quam vehementissime impulsis ad navem remigarunt, ancorisque illico sublatis, vela sustulerunt; qui ut primum prætervecti (oppidum) erant, sonitus tubarum ab oppido exauditus est; ad postremum viderunt, tres naves longas in mare deductas se consectari. Ventus secundus spirabat, quare navis magna celeritate ferebatur; cum autem regii viderent, Haldorem elabi, reverterunt. Haldor in altum delatus hoc modo effugit; ventis secundis usus in Islandiam pervenit, et ab eo inde tempore regem Haraldum nunquam convenit.

Cap. 46. [Haldor Snorrii filius erat ingenti statura, faciei decore præstans, manu fortissimus et ad arma audacissimus; tale de Haldore testimonium rex Haraldus dixit: ex omnibus, qui se-

cum versati essent, eum rebus improvisis minimum commotum fuisse; sive instaret præsens vitæ periculum sive læti nuntii afferrentur, neque lætiorem neque tristiorem fuisse; neque edisse, nec bibisse, nec dormivisse plus aut minus, quam consvesset, sive res prosperæ, sivæ adversæ ei accidissent. Idem pauca loquebatur, in dictis indignatio quædam, libertas in sententia dicenda, ingenium asperum et difficile, in omnibus rebus, cum quocunque ei res esset, contentio; quod quidem cum animo Haraldi regis male convenit, cui satis multi alii erant satellites, quare animi eorum parum coaluerunt, postquam Haraldus rex Norvegiæ factus est. Haldor in Islandiam delatus, villicationem Hjardarholti instituit[1]. Aliquot post annis, rex Haraldus ad Haldorem misit, ut peregre profectus secum denuo versaretur, pollicens, si oblatam conditionem acciperet, majores quam antea honores tributurum, neque ullum ex Norvegis ignobilibus altius collocaturum. Haldor his auditis sic respondit: posthac nunquam regem Haraldum conveniam, jam quisque nostrum, quod obtinuerit, habebit; notum mihi est ingenium ejus, atque certo scio, eum promissa sua servaturum, nec ullum Norvegorum me altius collocaturum, si in conventum ejus veniam; si enim res ipsius arbitrio geratur, me altissimo patibulo suspendi jubebit. Rex Haraldus cum multum ætate provectus esset, calorisque indigere sibi videretur, dicitur Haldori nuntium misisse, petisseque, ut sibi aliquot pelles vulpinas mitteret, quibus lectus suus sterneretur. Quibus auditis mandatis, Haldorem ferunt in hæc primo erupisse: „jam gallus senescit," inquit; pelles tamen, ut petierat, ei misit; sed postquam Haldor et rex, ut modo dictum est, in Thrandheimo

[1]) Quæ ab signo [sunt, desunt in *M.*

discesserunt, nunquam peregre profectus est; Hjardarholti ad senectutem usque habitavit, diuque vixit.

Cap. 47. Ubi rex Haraldus unam, post obitum Magni regis fratruelis sui, hiemem Norvegiæ præfuerat, adpetente vere copias ex toto regno, dimidiam partem et militum et navium, evocavit, quas copias austrum versus in Daniam duxit. Magnam partem æstatis ad Jotiam classem tenuit, multaque loca prædationibus et incendiis vastavit. Godnarfjördum classe invectus, ibi aliquantisper mansit, tum hos versus lusit:

> Dum mulier, femina!
> blanditur suo viro,
> nos in Godnico sinu
> naves in ancoris tenemus[1].

[Tum rex Thjodolvum allocutus, reliquos versus addere jussit; hic cecinit[2]:

> Sequenti æstate (hoc auguror)
> ancora dente tenebit
> abietem, propius austro,
> pessumque demergemus uncum[3].

Bölverkus in suo carmine memorat, regem Haraldum, proxima post obitum Magni regis æstate, copias austrum versus in Daniam traduxisse; ille hos versus pepigit:

---

[1]) Ordo: *Galdrs gerðr a)! meðan lincik lirlar b) veri c) sínum, látum vèr [haldit akkerum d) í Goðnarfirði.*

a) dea cantus, i. e. femina; *gerðor, Hk.*, ubi *galdrs gerðor* aut de armamentis navalibus, aut apparatu bellico sumitur. *b*) Sic *A, Hk., M*; *litar, H; litlar, Fagrsk.* *c*) *ver*, id., *H.* *d*) *akkeri, halda*, sensu non diverso, *Hk., Fagrsk.*

[2]) Quæ sunt a signo [desunt in *F, M.*

[3]) Ordo: *Annat sumar skal a) kallnefr b) halda furu c) (með) fleini sunnar: segik eina spá; vèr aukum króki kaf.*

a) *ek*, add. *F, M.* *b*) *kaldnefr*, id., *Hk.*, *Fagrsk.*, metro convenientius; *kaldgeðr, F*, minus apte h. l.; *kaldnez*, frigida fibula (i. e. ancora), *M.* *c*) *skipum*, naves, *F.*

Expeditionem anno sequenti
e regno fecisti; mare classe
splendida sulcavisti: undæ in
pulcram navem irruebant.
Navis pretiosa in cærulea
unda stabat; tunc Dani, videntes
naves onustas ante litora stare,
in angustias redacti sunt[1].

Cap. 48. Traduut Thorkelem Geysam (præcedenti) hieme Sveini regium nomen in comitiis Vebjargensibus imposuisse; omnes vero Dani, præsertim filiæ Thorkelis, eadem hieme multa in regem Haraldum Nordmannosque probra jactarunt, dicentes, non ausuros classe in Daniam proficisci. Geysæ filiæ ancoras ex caseo exciderunt, jactantes, has satis firmas esse ad destinandas naves bellicas Haraldi regis, quibus Daniam in suam esset potestatem redacturus; multa adhæc alia in Nordmannos ludibrii ergo fecerunt. Rex Haraldus cum ad Daniam appulisset, navibus egrediens, suos his compellavit: paululum hinc abest villa Thorkelis Geysæ, nobis inimicissimi, qui Sveini regium nomen dedit; neque mihi iniquum videtur, si effecerimus, ut Thorkel et filiæ intelligant, an audeant Nordmanni in Daniam venire, ancorasne ex caseo factas habeant, an usu probentur aliquanto firmiores. Delati ad villam Thorkelis, ignem statim domibus subjecerunt; qui intus erant, audito flammæ strepitu, pacem et exeundi veniam im-

[1]) Ordo: *Árit næsta bjóttu leiðángr af láði; reistu græði glæstum a) gjálfrstóðum b): lögr gekk um c) (hin) fögru skip. Dýr skukkr d) lá á dökkri báru; herr e) sá hlaðnar skeiðr fyrir hauðri: Danir váru þá f) illa staðnir g).*

a) glæstr um, H. b) gjálfstóðum, id., *M. c) of, F, H, M. d)* skokkr, id., *H, Hk., M. e) Haralds, F. f)* omitt. *H. g) staðnar, H.*

plorarunt. Quibus rex Haraldus respondit: etsi Geysæ filiæ dignæ sint, quæ his ædibus vivæ comburantur, tamen nihil nociturum existimo, si nunc potius experiamini, an catenæ Norvegicæ cruribus Danicis adhærere possint; quibus dictis, villa incensa, filiæ Thorkelis catenis vinctæ ad naves ductæ sunt; tum hi versus sunt pacti:

Danorum maritimorum virgines
ex acido caseo annulos
ancoræ exsculpserunt, quam
rem ægerrime rex ferebat.
Hoc vero mane multæ
virgines vident naves regias
unco ferreo satis firmo
teneri; hanc rem pauci ridebunt[1].

Dicitur explorator, qui classem Haraldi regis conspexerat, filiabus Thorkelis dixisse: dixistis, Geysæ filiæ, regem Haraldum in Daniam non venturum. Cui Dotta Thorkelis filia: heri scilicet. Thorkel filias suas immensa pecunia redemit, cujus meminit Granius poëta:

Proterva mulier, auro conspicua,
nunquam passa est palpebras
siccas esse, incedens per
sylvam Hornensem, perquam densam.
Fjalensium dominus hostes
suos fugientes ad litus

[1]) Ordo: *Meyar cybaugs Dana skáru akkeris hrínga ör jast- a) osti: þat b) þíng of ángraði c) þengil. Nú i morgin sèr mörg mær ærnan d) krók ör járni halda skipum allvalds; færi e) hlær at því.*

a) *oss*, nobis (secuerunt), *Fagrsk.*, vix recte; sequor constructionem celeb. *Magnusenii Hk.* T. 6; possis et jungere *jast-cybaugr*, mare acidum, serum, et *jast-eybaugs meyar*, virgines, seri confectrices, per contemtum. *b*) *þau* (plur.), *Hk.* *c*) *öngruðu* (plur.), id., *Hk.* *d*) *ernan*, id., (e = æ), *M.* *e*) *færri*, id., *Hk.*

persecutus est; pater Dottæ citissime
pendere pecunias coactus est[1].

[Rex Haraldus per totam hanc æstatem Daniam depopulatus, immensa præda potitus est; hac vero æstate nullam partem terræ suæ subjecit potestati; commisit prælia cum Danis loco, Thjolarnesum vocato, cujus meminit Granius[2]:

Rex proli aquilinæ Danicum
sangvinem dedit bibendum:
novi ab eodem sævam stragem
ad Thjolæ lingulam editam.
Soboles aquilæ hic illic cæsorum
corpora supercalcavit: lupus
carnem Cimbrorum pro lubitu
(quod ei bene sit) comedit[3].

Cap. 49. Rex Haraldus autumno reversus, hiemem in Norvegia transegit. Proxima post obitum Magni regis hieme, rex Haraldus Thoram, Thorbergi filiam, uxorem duxit, ex qua duos filios procreavit, quorum natu major Magnus, alter Olavus nominatus est. Haraldo regi et Ellisivæ duæ erant filiæ, quarum uni nomen

---

[1]) Ordo: *Ósvifr a) hlökk b) Kraka drifu lèt aldregi brá þorna úti c) i harða þykkum d) Hornskógi. Fila e) drottinn rak flótta fjanda grams til strandar; faðir Dóttu f) varð allskjótt at reiða g) út auð.*

a) ósvifis, F. b) hlekk, F; lökk, Fagrsk. c) ýtu, H. d) þjokkum. id., *F, Hk., M.* e) i. e. Fjalarum, Norvegiæ provinciæ, incolarum; *fjalla, F,* prave. *f) dóttur,* filiæ, *F, H, M. g) greiða,* id., *Fagrsk.*

[2]) Ab signo [desunt in *M.*

[3]) Ordo: *Döglingr fèkk ara jóði danskt blóð at drekka: [veitk hilmi gerðu hörð a) jól hugins við nes þjólar. Ætt arnar spornaði allvitt um b) valfalli: vargr át hold Jóta, sem vildi: njóti hann þess vel!*

a) hilmir gjörði hörð verk, rex sæva facinora patravit, *H; hykk hilmi gjörðu hrið,* novi impetum ab rege factum, *M. b) of,* id., *H; við, M.*

erat Mariæ, alteri Ingigerdæ. Proxima vere post expeditionem modo memoratam, Haraldus, evocatis copiis in Daniam trajecit, quod deinde alia post aliam æstate fecit, teste Stuvo:

Falstria, ut ferunt, vastata est:
populus admodum timuit;
corvus lætatus est, sed Dani
quovis anno pertimuerunt[1].

Cap. 50. Rex Svein toti præfuit regno Daniæ post obitum Magni regis, hiemes quiete transigens, per æstates vero cum universis regni copiis bellicis navibus excubans, minatus, se septemtrionem versus in Norvegiam Danorum exercitum traducturum, ibique non minoribus, quam Haraldus in Dania fecisset, vastationibus, terram obiturum. Auctoritate principum ceterorumque civium rex Svein hac hieme nuntios septemtrionem versus in Norvegiam misit ad Haraldum, qui coram rege sua mandata exposuerunt, regem Sveinem omnesque Danorum principes ab Haraldo rege petere, ut proxime insequenti æstate a septemtrione cum copiis adveniret, Sveinem enim ab austro in congressum ejus venturum; congrederentur in Albi (Gothorum), ubi aut prælium decretorium committerent, aut pacem inter se componerent. His mandatis rex Haraldus ita respondit: hac petitione rex Svein atque Dani magnam exhibuerunt virtutem, atque profecto velim, si hic congressus erit, ut Dani ejus memoriam teneant; hæc autem responsa Sveini regi et Danis referatis, me sequenti

---

[1]) Ordo: [*Falstr varð autt a), at fréttum; drótt fékk mikinn ótta; hrafn [varð b) gladdr c), en Danir váru hræddir hvert ár d).*

a) *Flaustr, H,* prave; *eytt var falar, F,* perp. *b*) *var, Hk., M.* *c*) *glaðr,* lætus, *H; gæddr,* cibatus, *Hk., M;* a signo *bræddist,* præda satiatus est, *F.*

æstate in congressum eorum venturum. His cum mandatis missi ad Sveinem regem reverterunt. Reliqua deinde parte hiemis in navibus armandis consumta, utrique sequenti æstate universum populum in armis habuerunt. Hac æstate ex Islandia advenit Thorleikus[1] Pulcer, et de Sveine Ulvi filio carmen componere cœpit; delatus in Norvegiam, cognito, regem Haraldum austrum versus ad Albim[2] profectum esse contra Sveinem regem, hos versus composuit:

> Spes mihi est, fore, ut copiæ
> Thrandorum Interiorum regem
> belli peritum mari conveniant
> mucronum in conflictu.
> Verum tamen penes Deum est,
> uter alterum vita regnoque
> spoliet. Svein fœdera, quæ raro
> servari solent, parum curat[3].

Porro cecinit:

> Haraldus, qui sæpe rubros
> clypeos litoribus circumdat,
> alacri animo latas naves
> per mare a borea ducit.
> Sveinis vero, hastas rubefacientis,

---

[1]) Thorleivus, *F.* [2]) in Daniam, *H.*

[3]) Ordo: *Erumsk a) ván, (at) ört b) lið Innþrænda finni *) vigs kænan c) visa á rakna d) stigum e) í odda snertu f). [Enn þó má g) guð h) valda i), hvárr nemr k) annan l) öndu m) eða löndum; Sveinn hyggr n) litt á sjaldfestar sættir.*

a) crumk, id., *H, M, Fagrsk.*; *er at*, est, quod, *Hk.* *b)* Sic *Hk.*; *örr, A*, cet. *c)* Sic *Hk.*; *kænum, A, F, H*; *könum, Fagrsk.*; *kœnum, M.* *) *minna, Fagrsk.* *d)* Sic *F, M, Hk., Fagrsk.* et meum exscr.; *raka, H*; *..aka, A.* *e)* Sic *Hk.*; *stigu, A*, cet. *f)* Sic *Hk.*; *snerru, A*, cet. *g) man*, erit, *Fagrsk.*; a signo *þá er annan, F*, prave. *h) goð*, id., *F.* *i) valdi, H.* *k) nemdr, M*; *nærr, F.* *l) annarr, H.* *m) endu, H.* *n) hyggi*, curet, *Fagrsk.*

splendidæ naves, auratis rostris
instructæ, pulcroque colore pictæ,
ab austro per mare contendunt[1].

Cap. 51. Rex Haraldus in locum condictum veniens, cum audiret regem Sveinem classem ad Selandiam tenere, hæc dixit:

Fidem fefellit, bellicoso principi —

Thjodolvus statim excipiens, subjecit:

datam, rex gladio conspicuus,
qui regno, ad meridiem Norvegiæ
sito, rex munifice, imperat.
Certe regni borealis imperator,
peritus prælii navalis, multo
constantius promissa servat;
præstas, o rex, omnibus borealibus[2].

Verum est, poëta, inquit rex, Sveinem regem fidem datam deseruisse, et fieri potest, ut Danis facilius videatur, sues in sylvam agere, quam

---

1) Ordo: *Haraldr, sá er opt hefir rauða a) rönd fyrir löndum, færir b) reiðr breið borðrökn c) norðan á slóðir Buðla. En gullmunnut d) glæsi-[dýr e) lauks, fagrdrifin steini, Sveins, þess er rýðr f) geira g), sækja sunnan of sjá h).*

a) randa, F, mendose. *b) fær, F.* *c) borðrögn* (*g* pro *k*), id., *H.* *d) gullmunne,* aureo rostro, *H.* *e) býr, F.* *f) fyrir, F.* *g) geisa, H.* *h) sæ,* id., *Hk.*; *sjæ, M.*

2) Ordo: *Baldr fetilstinga, sá er ráða á fyrir sunnan a) land, hefir logit at brynþings b) baldri, linns láðbrjótr! [þó c) er sjá d) enn e) norðri f) njörðr glym- g) hriðar h) borða hála i) fastmálari; gramr, þú er flestum k) fremri norðr.*

a) Sic *Fagrsk.*; *sunnarr, A,* i. e. *sá er á land fyrir ráða sunnarr,* qui regnum curandum habet, propius ad austrum situm. *b)* Sic *Fagrsk.*, qui scribit *brynðings*; *brynþing, A.* *c)* Sic *F, M*; *þá, A.* *d)* a signo *sjá mun, Fagrsk.* *e)* Sic *M, Fagrsk.*; *hinn,* id., *F*; *ur, H*; *er, A.* *f) neirðri* (rect. *neyrðri*), id., *F.* *g) hlym,* meum exscr. *h) riðar,* id., *Fagrsk.* *i) halla, F,* prave. *k)* Sic *Fagrsk.*; *frækn ok, A,* cet., i. e. *frækn gramr! þú ert ok fremri,* tu quoque, rex strenue, præstantior es; sed illud præfero.

ictus cum Nordmannis commutare; quoniam vero in loco condicto adesse ex pacto nolunt, ultro eos visum ibimus, regnoque eorum non minores, immo graviores, quam antea vastationes inferemus. Deinde rex Haraldus, copiis bipartito divisis, colonos ex provinciis septentrionalibus remisit; aulicis vero et præfectis stipatus iter fecit, eos ex colonis secum habens, qui Danis erant proximi. His cum copiis rex Haraldus in Jotiam trajecit, cursum a parte meridionali lingulæ Vendiliensis dirigens, indeque Thjodam præterlapsus terram armata manu obiit, vicos incendit, homines, quotquot invenit, interfecit, plerisque, quibus elabendi facultas esset, aufugientibus. Sic Stuvus poëta:

Thjodenses congressum regis
extemplo fugerunt. Animosum
illud pectus magna agitabat.
Anima Haraldi, terris superior[1].

[Austrum versus Heidabæum usque penetrarunt, ubi multas res pretiosas, quæ Danorum regi erant, occuparunt, omnem pecuniam diripuerunt, homines et multas potentium virorum uxores, quæ eo salutis causa confugerant, captivas abduxerunt. Deinde oppidum expugnatum incenderunt; de quo milites Haraldi hos versus pepigerunt:

Totus Heidabæus, quantum patnit,
ab iratis militibus exustus est:

---

[1]) Ordo: *þeir a) á þjóðu b) flýðu c) fund þengils* [*af stundu d*); *hugfullt e) hjarta rèð f) stórt. Haralds önd ofarr g) löndum h*).

a) *sem*, qui, add. *H*. *b*) *þjóði*, id., *F*, cf. *Edd. Sn.* p. 138. c) *flúðu*, id., *Fagrsk.* *d*) *á stundum*, interdum, *Fagrsk.*, ad sequ. sententiam referendum. *e*) *hugprútt*, generosum, *F*, *M*, *Fagrsk.* *f*) *ræðr* (præs.), *H*; *rètt* (2. impf.), *M*. *g*) *ufur*, id. (*u* = *o*), *Fagrsk.* *h*) vide supra cap. 11. ad stroph. 1. et 2.

hoc vero, ut equidem sentio,
forte facinus dicendum est.
Danda nobis est venia, si Sveini
facessimus dolorem. Hac nocte
ante diluculum in muro urbis fui,
domibus flammam in sublime vomentibus[1].

Hujus etiam meminit Thorleikus Pulcer, cum famа comperisset, nullum fuisse prælium in Alhi commissum:

Præliator, qui nescit, cohortem
regiam interrogare potest,
cur rex, vindictæ cupidus,
Heidabæum profectus sit:
quando Haraldus olim oppidum
regium, classe profectus ab oriente,
mane petiit, nullo suo emolumento;
cui rei melius supersedisset[2].

His gestis rex Haraldus cum suis, cursu reflexo, septemtrionem versus profectus est, sexaginta naves ducens, quarum pleræque erant magnæ, et præda, qua hac æstate potiti erant, onustæ.

---

1) Ordo: *Allr a) Heiðabær [var brendr b) upp með endum c) af reiði; en þat má kalla hraustligt bragð, er ek hugða d). Ván e) er, at vinnim f) Sveini harm, vark g) á borgararmi í nótt fyrir óttu: hár logi gaus ör húsum.*

a) allt, H. b) brendu (i. e. *menn*), *H. c) endu, H. d) heyrða,* audivi, *Fagrsk. e) þá, H. f) unnin, H. g) verk, F, Fagrsk.*

2) Ordo: *Fólkrögnir, hinn a) er veitað b), getr fregna sveit fylkis, hve c) heiptgjarn konúngr hefr d) arnat til e) Heiðabæar f); þá er Haraldr rendi endr austan byrskiðum ár g) til þengils bæar þarflaust h); þat i) er án k) um væri.*

a) en hinn (honum), F; hin, H. b) Sic *H, M, Fagrsk; veitat,* id., *Hk.; reitat, A,* mendose. *c)* omitt. *H, Fagrsk.; hví, Hk. d) hefir,* id., *Hk., Fagrsk. e)* omitt. *F. f) Haukabæar,* id., *Hk.; býar, Fagrsk. g)* Sic *Fagrsk.* et *Hk; or, A, H; orð, F; Hk.* T. 3. scribit *ar,* labor, T. 6. *ár,* annus. *h)* Sic cet. et meum exscr.; *þarflavstr, A. i) þau, F. k) avnn, H;* un s. *on, M; ey, F.*

Qui cum a Thjoda septemtrionem versus cursum dirigerent, rex Svein eo ex locis superioribus magno eum exercitu descendens, regem Haraldum his compellavit: jam vos hortor, inquit, ut appulsis ad terram navibus egrediamini, et cum Danis prælio contendatis; neque diutius opus habebitis nobis objicere ignaviam, quod vobiscum congredi non audeamus, etsi jam æstas longius quam ex condicto processerit; [nam putamus, etsi rex Danorum generis nobilitate minus valeat, paulo majus fore tentamen vestræ virtutis, instructo exercitu cum eo confligere[1], quam vitulum aut hædulum aut aliorum res pretiosas rapere, quibus nulli sunt defensores, ut sæpius hic in Dania fecistis. Rex Haraldus respondet: multis notum esse arbitror, nos non cum solis rusticis et ignavionibus decertasse; et congressus noster ad Albim ideo condictus est, quod eum ipsi postulavistis, quod quoque rege dignum erat; illud vero vos dedecere existimamus, magno contracto exercitu, oblatam a vobis ipsis conditionem fefellisse; haud enim vestræ convenit dignitati, iis tantum rebus operam dare, quæ ad dolos pertineant, atque ita multorum vituperationi vos exponere; at enimvero Dani suis dolis meriti sunt, quod hac æstate regiones eorum peragravimus. Neque dubito, si Dani tam prope accessissent, ut res cominus gerenda fuisset, quin iis tam acrem fuissemus pugnam illaturi, ut ejus memoriam haud facile deposituri fuissent; nunc vero eo facilius conditionem ab iis oblatam in usum nostrum pro

[1]) virtutem Nordmanni exhibent, qui se omnibus rebus superiores Danis esse putant, si jam in terram egrediuntur, et cum Danis dimicant, quod aliquanto majus vobis et tentamen virtutis et gloria erit, quamvis rex (Danorum) haud multum valeat; habent *F, M* loco eorum quæ ab [signo priori sunt,

lubitu convertere potuimus, quod neque possessiones, neque uxores suas tuiti sunt, quarum hic jam multas cernere licet captivas et dolore plenas. Sed hoc loco egredi in terram, omnique cum Danorum exercitu, ut postulas, decertare, cum tam exiguas habeamus copias, mei consilii non est; at, si vultis, classe pugnabimus, etsi Dani duplo majorem numerum copiarum habeant. [Sic Thorleikus[1]:

Svein, qui hora felicissima
in terris natus est, populum
potentem invitavit ad clypeos
terrestri prælio rubefaciendos.
Haraldus vero, impatiens moræ,
se malle dixit prælio navali
decertare, si rex, consilio
celer, retinere regnum statuisset[2].

Cap. 52. Post hæc rex Haraldus, cum septemtrionem versus navigans lingulam Vendiliensem prætervcheretur, adversis tempestatibus impeditus, classem ad Lessoyam constituit, ibique pernoctavit. Tum densissima nebula mari incubuit; die vero illucescente soleque orto, ex altera parte in alto, speciem ignium accensorum conspicati sunt; quod ut Haraldo regi nuntiatum est, ille, cum prospexisset, extemplo clamavit: tentoria quam citissime navibus detrahite, et ad remos properate; classis Danica prope a nobis

1) hanc oblatam ab Haraldō conditionem adserit Thjodolvus poëta, *F, M.*

2) Ordo: *Sveinn, sá er varð borinn beztrar tíðar a) und b) miðgarði, bauð ríkri þjóð c) at rjóða randir á landi. þó lèzt d) bilstyggr Haraldr heldr vilja berjast á byrjar val, ef e) hvatráðr konúngr f) hèldi g) láði.*

a) tírar, M, ubi confunduntur *tíð* et *tír*, ut *Hk.* T. 5. cap. 25. str. 3. *b) unn*, id., sed insolite, *F.* *c)* i. e. Norvegos. *d) lèzk*, id., *M.* *e) at,* etsi, *F, M.* *f)* omitt. *F.* *g) hildi, F.*

abest: quo loco sunt, nebulam dispulsam esse, et inaurata draconum capita sole matutino collustrari autumo. Rem acu tetigit rex Haraldus; aderat enim rex Svein invictum adducens exercitum; tum utrique, quantum potuerunt maxime, remigationem urgebant; Danorum naves erant velociores, quippe quæ nuper in mare deductæ fuissent, Nordmannorum autem naves aquis permaduerant et valde onustæ erant, quare utrique paulatim inter se appropinquarunt. Quum rex Haraldus rem ad discrimen spectare intelligeret, e dracone ipsius, qui postremus ibat, ut qui propter molem remis tardius propelleretur, armamenta (malos et antennas) in mare ejici, hisque splendida vestimenta aliasque res pretiosas imponi jussit; factum. Cum tempestas esset tranquilla, mareque immotum, quæ ejecta fuerant, obviam Danis æstu ferebantur. Qui eum bona sua resque pretiosas in pelago ferri viderent, qui primi erant, eo deflexerunt, facilius existimantes, quæ ante se sua sponte ferrentur, recipere, quam impetu in naves facto eadem hostibus vi extorquere. Hinc alacritas insequentium retardata est. Cum vero rex Svein eo cum navi sua adveniret, suos magnopere hortatur ad hostem insequendum: summum dedecus est, inquit, qui tantum habeamus militum numerum, si hoc tempore Nordmannos manibus elabi patiamur, qui tantulas habent copias; atque mirum est, vos cunctari et falsum hunc splendorem, qui nullius pretii est, consectari, magnam negligentes victoriam, quæ si concordes sitis, in manibus est. Memoria igitur teneatis, quæso, quanta vobis ignominia, cædibus et populationibus illata, rependenda sit. Multis ex vobis hic repetendæ sunt nobiles uxores aut filiæ, et si jam eos effugere patiamur, incertum est, an se melior

unquam occasio offerat. Toto orbe perecelebrabimur, si omnes contumelias nobis ab eis illatas, brevi tempore ulcisci poterimus. His cohortationibus adducti Dani remigium incitarunt, unde celeriter spatium inter utrosque contractum est. Sed cum rex Haraldus videret, naves Danorum celerius currere, suas jussit naves onere levari, polentam, triticum et lardum in mare ejici, cerevisiam et potum effundi; quo facto, utrique aliquamdiu æquo spatio remigarunt. Interea rege Haraldo animadvertente, naves Danorum nihilo secius appropinquare, suis dixit: profecto non proderit, præsenti rei nullum invenire consilium, jam omnes plutei in mare dejiciuntor, his vacua dolia et amphoræ alligantor, uxoresque Danorum et alii captivi iis imponuntor. Quæ cum omnia æstu abrepta ferrentur, rex Svein hominibus opem ferre jussit. Dani sic fecerunt; quæ res cum tardius administraretur, quia passim deflectere naves necesse erat, hac mora distracti sunt; cumque maxima pars maris superata esset, Dani reverterunt, Nordmanni vero suum iter continuarunt; sic Thorleikus:

Audivi, Sveinem per oceanum
penitus Norvegos persecutum
fuisse, altero alacris ingenii
principe insequentem fugiente.
Factum est, ut omnis præda regis
Thrandorum, qui naves complures
levarunt onere, in pelago Cimbrico,
procellis turgido, nataret[1].

[1]) Ordo: *Ek of- a) frá, hve Sveinn elti Austmenn allt á veg flausta, þá er annar snarrlundaðr b) siklingr hèlt undan. Allr fengr þrænda þengils (þeir lèttu c) fleiri skip) varð d) fljóta á eli sollnu e) Jótlands hafi.*

a) omitt. *H.* b) *örlundaðr, F.* c) *lètu, A, H, Fagrsk.* d) *var, F.* e) *sollinn, H.*

Cap. 53. Rex Svein austrum versus ad Lesseyam classem ducens, prope insulam in septem naves Nordmannorum incidit, quibus evocati colonique ex Vika vehebantur; hi pecunia oblata vitæ gratiam petierunt; eujus rei Thorleikus meminit:

Regis amici fortes domino virorum
magnam pecuniæ vim pro pace
obtulerunt; qui copiis erant
inferiores, a prælio deterrebantur.
Atque coloni, consilio celeres,
postquam in colloquium venerant,
pugnam distulerunt; his enim
hominibus vita venalis non erat[1].

Multi regem hortati sunt, ut Nordmannos interfici juberet, dicentes omnes Nordmannos luere debere, quæ rex Haraldus patrasset. Quibus rex Svein: ea ratio me indigna videtur, ex præliis plerumque inferiorem discedere, in fidem vero acceptos nefarie occidere; quare, cum major victoria manibus nostris jam erepta sit, hi vitam a nobis haud gravatim accipient; qui deinde pace concessa discesserunt. Hac hieme rex Svein quiete in regno suo consedit.

Cap. 54. Rex Haraldus erat vir potens, domique rempublicam diligenter administravit; tanta prudentia, ut vulgaris sermo esset, nullum principem in terris septemtrionalibus profunda sagacitate et in excogitandis consiliis acumine parem Haraldo fuisse; erat insignis bellator et in armis

---

[1]) Ordo: *Hugstinnir vinir siklings a) buðu seggja drottni b) mikla c) sætt; þeirs d) höfðu minna lið, svöfðu e) hjaldr f). Ok snarráðir búendr g) dvöldu siðan sókn, er tókust orðum: önd var ófól ýta kindum.*

a) Haraldi. b) Sveini. c) *vikla*, prave, *H.* d) *þess*, *H.* e) *svæfðu*, id., *Hk.*, *Fagrsk.*; *söfðu*, id., eliso *v.*, *H.* f) *hjaldus*, perp., *H.* g) *bóendr*, id., *H*; *bændr*, id., *Fagrsk.*

tractandis audacissimus, fortis manu et in plerisque rebus gerendis válde strenuus, quorum aliqua jam exempla attulimus; multæ tamen res ab eo gestæ sunt, quas literis non mandavimus, cujus rei causa est cum ignorantia nostra, tum quod nolumus conscribere res, argumentis destitutas, quamvis ab aliis traditas acceperimus; satius esse rati, his aliquid in posterum adjici, quam demi opus esse ea, quæ antea descripta sint. Multa, quæ ad historiam regis Haraldi pertinent, carminibus continentur, quæ ab Islandis composita et coram ipso aut filiis ejus sunt recitata. Quibus ob eandem causam amicissimus erat, ut ante omnes principes (Norvegiæ) summam benevolentiam præbuerit, omnibus Islandiæ incolis. Magna cum esset in Islandia caritas annonæ, quatuor eo naves misit farina onustas, præcipiens, ne quod nauticum pondo[1] pluris veniret, quam [centenis ulnis[2] panni crassioris; præterea omnibus pauperibus, qui ad navigationem cibaria sibi comparare possent, veniam concessit in Norvegiam proficiscendi, quibus rebus factum est, ut respublica annonæ caritate levaretur et iterum florere inciperet. Rex Haraldus campanam in Islandiam misit, quam eidem templo destinavit, cui ædificando rex Olavus Sanctus materiam et alteram campanam antea miserat, quod templum Thingvalli exstructum est, ubi comitia universalia habentur; talia benevolentiæ monumenta ab Haraldo rege exhibita Islandi habent, præterea liberalitatis multa, cum

[1]) Pondo nauticum apud Norvegos, tempore Magni regis Lagabæteris, constitisse trecentis quadraginta sex libris (pondo), docet *P. Vidalinus* (Scripta Soc. litt. isl. Tom. 4. p. 263-64 et 282). [2]) tribus selibris, *F*; tres selibræ efficiunt centum et viginti quatuor (i. e. 144) ulnas.

venientes ad se magnis muneribus donaret. Ulvus Ospaki filius, Islandus, apud Haraldum regem magnis habitus honoribus versabatur, ut ante dictum est; hic erat insigni prudentia et eloquentia, ingenio valde heroico, fidelis et sincerus. Rex Haraldus Ulvum fecit aulæ magistrum suum, eique nuptum dedit Jorunnam filiam Thorbergi Arnii filii, sororem Thoræ, quam rex in matrimonio habuit. [Liberi Ulvi et Jorunnæ erant: Jon Robustus, qui Rasvalli habitavit, et Brigida, mater Södulvi, patris Sveinis, patris Ulvi Flysii. Filius Jonis Robusti erat Erlendus Himaldus, pater Eysteinis Archiepiscopi et fratrum ejus. Rex Haraldus Ulvo aulæ magistro præfecti dignitatem concessit et duodecim selibrarum convivia, præterea reditus ex dimidia in Thrandheimo provincia.

Cap. 55. Rex Magnus Olavi filius ædem sacram in Emporio exstruendam curavit, eo loco quo corpus regis Olavi positum per noctem fuerat, qui locus tum supra oppidum fuit; ibidem exstrui fecit ædes regias. Exstructio templi ante obitum Magni regis ad finem perducta non erat, partem imperfectam rex Haraldus perficiendam curavit; hic etiam in eadem area aulam lapideam exstruxit, quæ nondum erat perfecta, cum ædem Sanctæ Mariæ supra in loco arenoso exstruendam curavit, prope ab eo loco, ubi sanctæ reliquiæ Olavi regis prima post casum ejus hieme humo conditæ jacuerant; quæ ædes erat magna adeoque firma calce conglutinata, ut vix destrui posset, cum Eystein Archiepiscopus eam demoliendam curaret. Sanctæ reliquiæ Olavi regis, dum ædes Mariæ exstruebatur, in æde Olavi servatæ sunt. Rex Haraldus palatium regium ædificari fecit usque ab æde Mariæ ad amnem, eodem loco, quo nunc est; ædem vero

lapideam, quam exstruendam curaverat, Gregorio dedicari jussit[1].

Cap. 56. Ivar Albus nominatus est vir, nobilis præfectus, qui in Uplandis prædium habuit; is erat nepos ex filia Hakonis dynastæ Potentis; idem omnes faciei decore superavit. Hujus filio nomen erat Hakon, qui omnium, qui eo tempore in Norvegia vixerunt, præstantissimus, tam formæ dignitate quam viribus et artium peritia, fuisse dicitur; hic jam in pueritia profectionibus operam navans, magnam sibi famam gloriamque conciliaverat, unde vir excellentissimus evasit. Einar Arcipotens præfectorum in Norvegia potentissimus erat; qui etsi minus familiari regis amicitia uteretur, tamen eadem beneficia, quæ a rege Magno acceperat, retinuit. Einar in matrimonio habuit Bergljotam, filiam Hakonis dynastæ, ut supra commemoratum est. Horum filius, Eindridius, qui eo tempore ad virilem ætatem pervenerat, in matrimonio habuit Sigridam, filiam Ketilis Kalvi filii et Gunnildæ, regis Haraldi ex sorore neptim; hic pulcritudine et decore retulit maternos cognatos, Hakonem dynastam ejusque filios, statura autem et viribus nec

---

[1]) Ulvus aulæ magister nobilis in Norvegia prosapiæ auctor exstitit; filius ejus nominatus est Jon, pater Himaldii, patris Eysteinis Archiepiscopi. Rex Haraldus ex Thora Thorbergi filia duos filios procreavit, quorum major natu Magnus vocabatur, minor autem Olavus. Rex Haraldus ædem Mariæ sacram Nidarosi exstruendam curavit, cujus altare tum eo loco stetit, ubi nunc sunt gradus, quibus in templum Christi adscenditur; eidem ædi magnos reditus attribuit, emporiumque Nidarosianum magnopere auxit; eo regnante familia Arnmodidarum, ob junctam cum rege affinitatem, ceteris Norvegiæ præfectis antecelluit: quæ res regi omnibus in rebus, quæ ejus interessent, maximum adjumentum attulit, *F*, a signo [in fine capitis præcedentis.

non dotibus naturæ et artis patrem suum Einarem, qui his rebus alios præstitit; idem ante omnes amicorum gratia florebat. Eodem tempore in Jadare habitavit Aslakus Erlingi filius, cujus uxor erat Gunnilda, filia dynastæ Sveinis Hakonis filii; alteram filiam Sveinis dynastæ in matrimonio habuit Svein Ulvi filius, Danorum rex. Tunc temporis Ormus dynasta Uplandis præfuit, cujus mater, Ragnilda, filia erat Hakonis dynastæ Potentis; Ormus dynasta erat vir excellentissimus. Talis erat progenies Hakonis dynastæ in Norvegia, multique præterea viri nobiles; quæ prosapia pulcritudine alias longe superabat, quorum plerique naturæ artisque dotibus, omnes nominis claritate insignes erant.

Cap. 57. Rex Haraldus superbi erat ingenii, quæ superbia eo magis gliscebat, quo magis ipsius potentia firmaretur, eoque tandem processit, ut perpauci ei contradicere, aliamve caussam, quam ipsi placuisset, commendare auderent; sic Thjodolvus:

Quisque civis regis bellicosi,
domino fidus, stare ac sedere
debet, uti eximio principi,
pugnam cienti, placuerit.
Totus populus bellicosum
regem veneratur; vix reliqui
quicquam civibus est, nisi ut,
quæ jubeat facienda rex, probent[1].

[1]) Ordo: *Hverr a) drottinvandr þegn hjaldr-vitjaðar b) skyli sitja ok c) standa, sem dýrum dólg- d) stæranda e) hugnar. [Öll þjóð f) lýtr g) feiti fólkstara: fátt er til, nema játta þat h) sem konúngr vill þá bjóða gotnum i).*

a) herr, Hk. b) Sic *H, Hk.; vitjað, A.* c) *ath, H.* d) *dólgr, H.* e) Sic *Hk.; stýrandi, A,* cet. *f)* Sic *Hk.* et *A.* p. 339; *þjóðvaldr,* rector populi, h. l. *A,* cet., ut subjectum τοῦ *lýtr* subaudiendum sit. *g) lýkr, H.* *h) þvi, H.* *i)* omitt. hanc

Einar Arcipotens ante alios colonorum in provincia Thrandheimica patronum agebat, et in conventibus eos, quos regii reos agebant, defendebat; erat enim legum peritus; neque ei defuit audacia, vel ipso rege præsente, ad verba in conventibus facienda aut ad justas exceptiones pro colonis, cum arguerentur, proferendas; omnes autem coloni opem ei præstiterunt. Qua re rex ira commovebatur; atque eo res devenit, ut inter se verbis contenderent, Einare dicente, nolle colonos pati, leges ab rege violari, si jus civile in se violaret; sic inter eos aliquoties res gerebatur. Post hæc Einar magnum hominum numerum circa se domi habere cœpit, multo autem majorem, cum in oppidum veniret; tum enim habuit octo aut novem naves longas, et ad quinque hominum centurias, si rex ibidem adesset. Aliquando cum Einar, appulsis ad oppidum navibus, cum exercitu suo in terram egrederetur, rege, qui in oppido aderat, interea in ambulacro quodam consistente copiasque Einaris e navibus egredientes conspiciente, dicunt regem Haraldum hos versus pronuntiasse:

Hic acrem video Einarem
Arcipotentem, qui peritus est
sulcandi æquoris, multis viris
stipatum, navibus egredi.
Hic præpotens vir se solium
regium sperat occupaturum;
sæpe novi, pauciores domesticos
stipatores dynastæ vestigia premere[1].

---

stropham *F*; lectiones Cod. *A* hunc ordinem svadent: *hverr drottinn-vandr dólgstýrandi þegn skyli sitja ok standa, sem dýrum hjaldr-vitjað hugnar*, unde idem sensus emergit.

[1]) Ordo: *Ek sè hinn örfa Einar þambarskelfi a), þann er kann skeina þángs b) þjálfa c), gánga hèr upp fjölmennan.*

Porro cecinit:

Einar, gladium cruentare
solitus, nisi tenue rostrum
securis osculetur, nos per
dolum regno spoliabit[1].

Einar in oppido aliquot dies commoratus est. Aliquo die conventus agebatur, in quo rex præsens aderat; fur quidam, qui in oppido prehensus fuerat, in conventum productus est, qui olim apud Einarem versatus fuerat, ejusque favorem sibi conciliarat. Qua re cognita Einar regem homini, quantumvis sua interesse videretur, pacem non concessurum ratus, in conventum cum copiis, plena indutis armatura, accessit, atque hominem vi eripuit; quod regi magnopere displicuit, unde inter eos summum odium exstitit.

Cap. 58. Accidit æstate quadam, uti sæpius, ut navis ab Islandia ad Thrandheimum delata, Nidarosum appelleret. Erat inter nautas vir quidam Islandus pauper. Hic noctu in nave excubias agens, omnibus sopore oppressis, vidit duos homines instrumenta sepulcralia secum portantes clam in Gaularasum ascendere, ibique terram fodere; persvadens sibi, pecunias ab iis quæri, ex nave in terram egressus, iis improviso supervenit, viditque eos arcam effodisse pecunia plenam. Compellavit eum, qui eorum primus esse videbatur, cui nomen erat Thorfinno: quan-

---

Fullafli bíðr fyllar hilmisstóls; [*ek finn d) at minna lið húskarla drífr opt á hælum e) jarli.*

a) þambarskelmi, id. (*m* pro *f*), *Hk.*, *Fagrsk.* *b) þíng, H.* *c) þjálma*, id. (*m* pro *f*), *Hk.*, *Fagrsk.* *d) finnr* impers., *H.* *e) hæla*, id., *F*, *H*, *Hk.*, *Fagrsk.*

[1]) Ordo: *Einar, rjóðandi a) randabliks b), mun ráða oss ör landi, nema kyssi enn þunna öxar munn.*

a) rjóðan, F. *b) randbliks*, id., *A*; ceterum *rjóðandi randabliks* etiam pro vocativo accipi potest, quod forte rectius est.

tum pecuniæ mihi dare vis, ut de inventa pecunia taceam? Thorfinno, quid optaret quærenti, ille: nihil amplius, quam ut jam mihi des tres selibras argenti ponderati; et si quando magnopere pecuniis indigeam, alias tres selibras mihi pendito. Hoc se facturum Thorfinnus pollicitus, tres ei selibras pependit. Aperientes arcam magnum annulum crassumque monile aureum in summo deprehenderunt. Islandus runicos characteres in arca insculptos vidit, quarum hoc erat argumentum, Hakoni dynastæ has pecunias fuisse. Re ita comparata discesserunt; Islandus ad navem descendit; Thorfinnus autem brevi tempore perquam opulentus evasit, unde cognomen mercatoris adeptus est, in quoque enim fere itinere mercatorio merces possidebat, se[1] vestimentis quam splendidissimis ornabat, et nominis celebritate inclaruit. Contra ea Islandus mala usus fortuna, pecuniis amissis, aliquot post hiemes ad Thorfinnum venit, et ab eo petiit, ut pecuniam sibi daret; ille vero, rem dissimulans, negavit se ei pecuniam debere. Quare Islandus Einarem Arcipotentem adiit, opemque ab eo petiit, se, ut erat, pecuniarum expertem, dicens; statuerat autem opem ei ita remunerare, ut de inventa pecunia eum certiorem faceret, putabat enim, si jure res gereretur, hæredes Hakonis dynastæ pecuniam possessuros; neque tamen fecit, ut rem aperiret, animo enim exciderat; apud Einarem hiemem transegit. Æstate autem incipiente, cum profecturi se ad itinera pararent, Einar ex Islando quæsivit, quid de rebus suis statuisset; ille se scire negavit, quid potissimum consilii capesseret, cum penitus esset pecuniarum expers, maxime tamen cupere, in Islandiam reverti. Hoc quoque e re tua maxime fuerit,

[1]) armis et, add. *H.*

inquit Einar, viaticum per mare tibi dabo[1], et insuper arcam, in qua merces sunt, quæ quidem pecunia non magna est, sed tamen ea potes tibi emere res necessarias; Islandus ei pro beneficiis gratiis actis discessit, nulla dum facta de inventa pecunia mentione; pervenit Nidarosum ibique commorabatur, sibique in nave locum conduxit.

Cap. 59. Eo tempore rex Haraldus in oppido se continebat; et aliquo die, cum ex templo iretur, rex quæsivit: quis est vir ille splendide vestitus, qui in platea ambulat? Significant, esse Thorfinnum mercatorem. Rex porro: multa mirum in modum possunt accidere, neque id minimum, quod tales viri tantam pecuniarum vim exiguo tempore coacervarunt, paucisque annis perquam divites fiunt, qui antea mendicorum pæne more vixerunt. Dein rex eum arcessi jussit, cumque advenisset interrogavit, unde ei venisset magna illa pecunia, quam brevi tempore corrasisset. Ille impavide respondit, varias causas fingens: se in itineribus mercatoriis lucrum fecisse, primumque mutuo sumta pecunia initaque cum aliis societate; tandem tamen res eo venit, ut verum fateri cogeretur. Quo cognito, rex Thorfinno omnem pecuniam eripi jussit, etiam quam in mercatura collocatam habuit, suæque possessioni subjecit; dicens, se melius quam meritus fuisset, cum eo egisse, qui eum nec interfecisset neque suspendisset; aliquantum tamen pecuniæ rex Thorfinno dedit, qui deinde peregre profectus est. Jam Islando in mentem venit, se nimis diu de inventa pecunia tacuisse; ivit tamen Einarem conventurus, et omnem rem ei explicavit. Tum Einar: melius tibi fortuna, nec non omnibus nobis favisset, si pecuniis prius,

[1]) teque ad navem deducendum curabo, add. *H.*

quam rex, potitus fuissem, nunc enim haud facile erit cum eo de iis contendere, sed cum Thorfinno pro lubitu agere potüissemus, qui tamen ita meliorem conditionem tulisset, quam qua nunc utitur; tibi vero, Islande, profecto non favet fortuna, cui primo tam benigna fore videbatur; nihilo tamen minus aliquid argenti etiam nunc a me accipies, dein in Islandiam revertere, neque unquam in Norvegiam redi, dum Haraldus huic terræ imperabit; itaque in præsens digressi sunt. Brevi post Einar magna eum multitudine cognatorum et amicorum in oppidum profectus, ad templum se contulit, ubi rex versabatur; cui templo exeunti, Einar obviam progressus, cum salutasset, interrogavit, an pecuniam ab Thorfinno mercatore inventam suō fisco addixisset. Rex sic esse dixit, esse enim legibus conveniens, regi cedere pecuniam in terra inventam. Recte quidem, inquit Einar, si possessor ignoratur, ego vero opinor, omnem hæreditatem mortui Hakonis dynastæ ad filium Eindridium, et Bergljotam matrem ejus venire debere, quare jure mihi videor hanc pecuniam, quam ille possedit, mihi vindicare; deinde Einar, ut demonstraret, hanc pecuniam Hakoni dynastæ fuisse, et characteres runicos et res pretiosas indicavit: et si pecuniam reddere non vis, inquit, ego non parcam, quin repetam, tu vero, si vis, defende. Cui rex: jam nimium tibi sumis, Einar, nunc enim tu magis, quam ego, imperium exerces, etsi regio nomine utar. Tum benevoli viri intercedentes negotium ita curarunt, ut nulla res gravior inter eos existeret; dein pecunia Einari soluta, ita digressi sunt, ut, utriusque amicorum opera, verbo reconciliati essent.

Cap. 60. Dicitur rex Haraldus aliquot Danos, quos comprehensos in vinculis, paucis scien-

tibus, occulte retinuit, die quodam adiens ita locutus esse: jam vestram consideravi causam; eo pacto vitam conservabitis, si cum iis, quas vobis dabo, mandatis, præfectos et potentiores Norvegiæ colonos adeatis. Acceperunt conditionem lubenter. Rex magnam iis vim pecuniarum dedit, quas viris potentioribus afferrent, quantum cuique traderent, ipse constituens; simularent, se cum his muneribus a Sveine rege missos, ut opem sibi ferrent, si Norvegiam bello invaderet; ad hæc literas eis dedit nomine Sveinis Danorum regis subscriptas obsignatasque, quæ eadem testarentur, quæ rex missis in mandatis dederat. Legati iter fecerunt, veneruntque ad multos potentes viros, quorum in regem animi valde dissimiles esse cogniti sunt. Venientes ad Einarem Areipotentem, sicut aliis, mandata exponunt, pecuniamque, nec non literas ab rege Sveine datas ostendunt. Quibus Einar: notum vulgo est, regem Haraldum meum non esse amicum; regis Sveinis verba in me amica sæpe quidem audivi, cujus etiam amicus lubenter esse volo; sin vero eum copiis in Norvegiam veniet, Haraldo regi bellum illaturus, regnumque ejus depopulaturus, omnibus opibus meis ei resistam, regique Haraldo, quantum in me est, opem feram, ad terram cum eo defendendam. Inde digressi Steigam ad Thorerem venerunt, qui, pecunia proposita literisque prolatis, ita fatus est: sæpenumero rex Svein benevolentiam et amicitiam mihi ostendit, fierique potest, ut in posterum non desinat. Quo dicto pecuniam accepit atque servavit. Deinde missi ad colonum quendam, nomine Högnium Langbjörnis filium, advenerunt, divitiis abundantem et gratiosissimum; cui literas et pecuniam ostenderunt. Quibus ille: credibile mihi quidem videtur, me,

vilioris notæ colonum, regi Sveini minus notum esse; hanc autem ad rem ita respondebo, si rex Svein infestis armis Norvegiam aggressus fuerit, neminem ex colonorum filiis ei plus incommodi illaturum, quam me. Post hæc missi ad regem Haraldum reversi sunt, a quo bene excepti, eum diligenter quærerentur, quæ a quoque responsa tulissent, rem, ut erat, exposuerunt. Tum rex interrogavit, quomodo res inter eos et Einarem cessisset; cujus responsis ab misso renuntiatis, rex: cecidit res, ut opinatus eram, eum honeste, neque tamen ex bono in me animo locuturum: at, qualem experti Thorerem estis? Nuntius ostendit eum pecuniam accepisse, amica tamen verba de utroque rege dixisse. Rex respondet: minime animadverti aut sciri potest, quid de quaque re cogitet. Dein regi verba Högnii Langbjörni filii retulerunt. Ad quæ rex: en virum ad gerendum præfecti munus aptum. Sic rex Haraldus, quo loco amici sui essent, expiscatus est.

Cap. 61. Paulo post rex Haraldus ad convivia obeunda profectus, hos, qui proditionis manifesti essent, partim pecunia multavit, partim interfici jussit. Rex Thorerem Steigensem adiit, improviso ei superventurus; erat autem inter regios stipatores amicus Thoreris, qui eum eum de adventu regis certiorem fecit, tum qua rex ira incensus in eum esset quasque dedissent pœnas, qui pecunias accepissent. Thorer equum suum adduci jussit, regique obviam equitavit, qui ut inter se congressi erant, Thorer rege honorifice salutato, ita locutus est: convivium tibi, domine, domi meæ apparatum est, cui si interesse non dedigneris, rem gratissimam mihi feceris; aliam quoque rem tibi dicere habeo, domine: Dani quidam non ita pridem ad me ve-

nerunt, qui mihi literas officiosas Sveinis regis attulerunt, et præterea aliquantum pecuniæ, quod quidem accepi servandum, putans hanc pecuniam, qua exteri principes regnum tibi eripere studuissent, ita optime et dignissime collocari, si in tuam potestatem venisset; jam eam accipe! Quæ dicens ingentem crumenam, quam sub pallio gerebat, depromsit, et regi tradidit: jam vero ita res se habet, domine, inquit, ut vicini mei inter se decertarint, quos, ut inter se in gratiam reducam, eo concedere necesse mihi est, hujus vero diei vespera ad te redibo; his dictis, equo calcaribus concitato, se abripuit. Rege cum suis ad convivium veniente, pauci ibi aderant homines, Thorer vero domum non rediit; tum rex: jam Thorer nimis se callidum ostendit; hic est, cui quid in animo sit, minime cognoscere queas, neque facile intellectu est, quid animo moliatur; in præsenti quidem ejus potestatem non habebimus, mihi vero animus præsagit, fore, ut hujus doli ac perfidia gravem ipsi calamitatem afferant.

Cap. 62. Inde rex se ad Högnium contulit, a quo exceptus convivio magnam ostendit hilaritatem, dicens se amica ejus in se verba comperisse, quam rem ei bono futuram; velle se ei præfecti dignitatem tribuere. Cui Högnius: grato animo, domine, accipio, quicquid in ceteris mihi gratificari velis, quantumque possum, tuæ dignitati serviam, sed præfecti nomen gerere nolo; scio enim fore aliquos, qui, cum præfecti convenerint, dicent, quod verum est: Högnius locum extremum obtineto, cum minimus sit præfectorum, utpote rusticano genere natus; atque ita præfecti nomen mihi non honori, sed ludibrio erit; malo igitur coloni nomen gerere, quod meis

natalibus convenit; ex iis enim, quæ tunc a colonis congressis dicentur, Högnium ipsis antecellere, quamvis haud forte vera sint, majorem honorem adipiscar; honorem autem, benevolentiam et amicitiam tuam lubens accipere volo [idemque reddere[1], quamvis coloni nomine, ut ad hoc usque tempus, utar. Rex responsum ejus, magno et prudenti viro dignum, collaudavit, et ab eo amicissime digressus est.

Cap. 63. Rex Haraldus eo, quod fecerat, tentamine sinceritatem et fidem Einaris Arcipotentis expertus, atque etiam bonorum virorum intercessione et auctoritate motus, se Einari amicum esse vultu simulavit, eumque in oppidum, ubi splendido convivio exciperetur, invitavit. Venientem benignissime excepit, atque juxta se sedere jussit. Vespere, cum cœnati essent, mensæque remotæ, rex et Einar multique alii regis amici in stipula in orbem consederunt, magnaque hilaritate poculis indulgebant. Tum pulvini sumti, ad quos rex et Einar reclinarent, qui deinde sermones et oblectamenta inter se miscere orsi sunt, rege res suas in exteris terris gestas enarrante. Rex animadvertens, Einarem sermonem suum parum curare, quin etiam somno opprimi, secum ita æstimavit, ut si narrationem suam contemneret, et jam, ut antea, intelligere sibi visus est, Einarem in rebus inter eos intercedentibus nullam sibi ex animo amicitiam ostendere velle, ipse vero ingenium mitigasse, et animum ad gratiam reconciliandam inclinasse. Jam convivæ admodum inebriari cœperant. Einar, qui id temporis erat ætate valde gravis, pulvino reclinis sedens obdormiverat. Rex Haraldus se ad virum quendam, nomine Grjotgardum, sibi propinquum inclinans, ita lo-

1) Hæc verba omitt. *H.*

cutus est: jam manipulum stipulæ collectum et conglobatum, volæ Einaris infige, eumque gravius preme, his usus verbis: tene jam parare vis, Einar? Grjotgardus, quod rex jusserat, fecit; cumque Einar premeretur, crepitum ventris misit. Quo facto rex subito exsiliit et egressus est. Ubi vero Einar compererat, quanto se ludibrio habuissent, magnopere iratus, cubitum ivit; ut vero primum dies illuxerat, cum cohorte sua cœnaculum, in quo Grjotgardus dormivit, agressus est; effractoque, Grjotgardum captum interfecerunt. Rex magnam sibi injuriam in cæde cognati sui illatam judicavit, unde inter eos grave renovatum odium est. Post ea utriusque amici denuo intercedentes, conditiones pacis proponebant; pactum tandem est, ut congressu condicto ipsi in curia convenirent, quæ eo tempore in ædibus regiis erat ad amnem Nidam, ubi nunc aula est. Rex curiam intravit paucis comitatus, reliquis aulicis foris in area remanentibus; jussit tabulam fenestræ obtorqueri, ut exigua tantum apertura relinqueretur. Mox Einar cum suis in arçam venit; qui Eindridio filio: extra ante curiam cum cohorte remaneto, sic mihi nihil nocebit; Eindridius extra ad fores curiæ stetit. Ut Einar curiam intraverat, in hæc erupit: opaca est curia regia; eodem ipso momento regii in eum impetum fecerunt, alii gladiis, alii hastis eum petentes. Einar se eo, ubi rex sedebat, proripuit, eumque telo percussit, qui cum duabus esset loricis indutus, non vulneratus est; cum autem Einari vulnera inferrentur, fatus est: aspere jam canes regii mordent; quo audito Eindridius, [gladio vibrato in curiam irrupit, ubi unacum patre interfectus est. Tum regii ad curiam concurrentes, ante fores constiterunt; quo

facto coloni, consilii inopes et, quo se verterent, nescientes, quod duce destituti erant, alii alios hortari, dicentes, dedecus admitti, si principem suum non ulciscerentur; nullus tamen impetus ab eis fiebat. Rex ad suos exiit, signoque sublato aciem instruxit; cum autem nullus a colonis impetus fieret, rex cum omnibus copiis, navibus conscensis, quam citissime ex amne in sinum remigarunt. Bergljota, uxor Einaris, quæ interea in eo cubiculo, quod ipsa cum marito in oppido conduxerat, versata erat, audita cæde mariti sui, ad ædes regias, ubi multitudo colonorum erat, confestim advolavit, eosque magnopere ad pugnam hortata est. Eo ipso momento naves regiæ ex amne remis actæ decurrebant. Hic Bergljota: jam cognatum meum Hakonem Ivaris filium desideramus, qui, si in ripa staret, haud credo interfectorem Einaris ex amne remigaturum. Deinde funera patris et filii ad sepulturam componenda curavit, qui ad ædem Olavi, juxta sepulcrum regis Magni, Olavi filii, humati sunt. Post cædem Einaris rex Haraldus tantam sibi invidiam vulgi conflavit, quemadmodum ante dictum est, ut hoc unum impedimento esset, quin præfecti et coloni aggressi cum eo decertarent, quod nemo dux colonorum esse vellet[1].

[1]) sui non amplius compos irrupit in curiam, ibique interfectus est a viro, qui Arnius nominatus est; eoque loco cecidit Einar Arcipotens et Eindridius filius ejus, qui omnes strenuitate et naturæ bonis superavit. Sic lenta illa ira et odium, quæ diu, ne erumperent, rex Haraldus cohibuerat, quemadmodum supra in hac historia demonstratum est, in caput Einaris reciderunt; et vero, antequam res ita cecidisset, multa alia memoratu digna inter eos gesta sunt. Hoc autem tempore tanta erat præfectorum Norvegicorum licentia, ut, si quando eis facta regis minus probarentur, relicta patria in Daniam perfugerent ad regem Sveinem, qui eos in Dania ad summos dignitatis gradus evexit, quosdam auro, rebus pretio-

Cap. 64. Eo tempore Finnus Arnii filius Ostrattæ in Yrjis habitavit; ille tum præfectus erat regis Haraldi; Finnus in matrimonio habuit Thorbjargam, filiam Halfdani filii Sigurdi Porcæ; Halfdan erat frater regis Olavi Sancti et regis Haraldi; Thora vero, uxor Haraldi regis, neptis erat ex fratre Finni Arnii filii: Finnus erat intimus amicus Haraldi regis, nec non omnes fratres, Arnii filii, qui quidem tum in Norvegia versarentur. Finnus per aliquot æstates in terris occidentalibus piraticam exercuerat, quocum una piraticam fecerant Guthormus, filius Ketilis Kalvi ex Ringuneso et Gunnildæ, filiæ Sigurdi regis Porcæ, et Hakon Ivaris filius. Rex Haraldus cum copiis per sinum classe profectus non ante destitit, quam Ostrattam pervenit, ubi bene exceptus est. Deinde rex et Finnus inter se de rebus, quæ gestæ erant, collocuti, tam de cæde Einaris et Eindridii, quam de fremitu et tumultu, quem coloni in regem concitarant, disserebant. Finnus, qui animi sensa libere exprimeret linguaque esset volubili, regem inconsideratius allo-

sis, omni denique honorum genere ornavit, aliis alia beneficia tribuit. Sic Thjodolvus:

Fidem et bonum dominum; quod
indignum facinus diu manebit[1].

Tum quoque Finnus Arnii, relicta Norvegia, in Daniam concessit, cui rex Svein dynastiam, amplaque insuper salaria tribuit, *F*, *M*, a signo præced. [.

[1]) Hic versus vix plene intelligi possent, nisi Fagurskinna integram nobis semistropham conservasset; quæ sic se habet: *Frán hefir sveit við Sveini sinni skipt (til minna) — dáð ok drottni góðum — (drengspell er þat lengi)*, hoc ordine: *Frán sveit hefir skipt sinni dáð ok góðum drottni við Sveini: þat drengspell er lengi til minna*, i. e. acer populus fidem suam bonumque dominum cum Sveine permutavit (migrata erga bonum dominum fide, ad Sveinem transiit); quod facinus, liberalibus viris indignum, in memoria diu servabitur.

cutus: tuum, inquit, ingenium omni ratione pessime comparatum est: primo nihil non mali aggredi audes, post vero tanta te rapit formido, ut, quo te vertas, plane nescias. Tum rex ridens: affinis, inquit, jam te volo ad oppidum mittere, ut me in gratiam cum colonis reducas; quod si minus succedat, volo, ut in Uplanda profectus, impetres ab Hakone Ivaris filio, ne mihi adversarius sit. Finnus respondet: quid merebor, ut hanc legationem suscipiam, his enim cædibus Thrandorum et Uplandorum tantum in te odium concitasti, ut nemini ex tuis, nisi propriis meritis adjuto, eo proficisci tuto liceat? Rex: suscipe, quæso legationem, affinis, scio enim per te, si quem, effici posse, ut hoc instanti periculo liberer, quo facto, quæ cupias, a me pete. Finnus: tu rex, promissa fac serves, ego vero statim, quid optem, expromam: Kalvo fratri meo, et omnibus ejus bonis incolumitatem et pacem publicam intra fines Norvegiæ peto, præterea, ut æquo honoris titulo et dignitate et privilegiis gaudeat, atque habuit, ante quam patriam reliquit. Rex, quæ Finnus petebat, promisit, adhibitis testibus et stipulatione. Tum Finnus: quid Hakoni offeram, ut pacem tibi polliceatur; ille nunc plurimum valet inter Thrandos et Uplandos. Cui rex: primum postulata ejus audito, dein meis commodis, quantum in te est, consulito, ad extremum vero nihil, præter regiam dignitatem, ei denegato. Post hæc rex Haraldus austrum versus in Mæriam profectus est, ubi copiis contractis magnum militum numerum habuit.

Cap. 65. Finnus Arnii filius iter in oppidum fecit, domesticos suos ad octoginta numero secum habens; qui cum Nidarosum venisset, conventum cum oppidanis egit; in quo conventu

longam et disertam orationem habuit, petens ab oppidanis, ut aliud caperent consilium, quam ut in regem suum odium susciperent, hostiliaque in eum facerent; monuit eos, quam multa mala sustinuissent, postquam idem regi Olavo Sancto fecissent: rex, inquit, has cædes pecunia expiare vult, arbitratu optimorum et prudentissimorum virorum. Ita Finnus finem dicendi fecit, ut omnes pollicerentur, causam in neutram partem decreturos, donec redissent nuntii, quos Bergljota miserat in Uplanda ad Hakonem Ivaris filium, cognatum suum. Dein Finnus in Orkadalum profectus est cum iis, quos secum in oppidum habuerat, inde ad montem Dovricum ascendit, et in Uplanda tandem venit; primum Ormum satrapam, affinem suum adiit (is in matrimonio habuit Sigridam Finni filiam), eique causam adventus sui exposuit. Depacto deinde cum Hakone Ivaris filio congressu, cum convenissent, mandata ab Haraldo rege Hakoni exposuit; ex verbis Hakonis intelligi facile potuit, eum sui ducere officii, Eindridium, cognatum suum, ulcisci, eundemque per nuntios cognovisse, in Thrandheimo sat copiarum ad rebellionem contra regem faciendam comparari posse. Dein Finnus ei demonstravit, quam præstaret, ab rege tantum accipere honorem, quantum ipse postulare vellet, potius quam rebellionem et bellum contra eum regem excitare conari, cui obsequio obstrictus esset: tu inferior prælio discedes, inquit Finnus, tumque apparet, te bona et pacem commisisse; sin autem victoriam ab Haraldo rege reportabis, proditor in dominum appellaberis, ab omnibus bonis contemtus et ejectus. Quam orationem Finni cum Ormus dynasta confirmasset, Hakon, re perpensa, quæ in animo habuit, palam fecit: ego, inquit, in gratiam cum rege Haraldo redibo,

si mihi in matrimonium dare vult Ragnildam, regis Magni cognati sui filiam, tanta cum dote, quanta conveniat ipsique omni nomine placeat. Finnus respondet: hæc nomine regis polliceri volo; hanc itaque pactionem tesseris adhibitis confirmarunt. Quibus actis Finnoque septemtrionem versus in Thrandheimum reverso, omnes discordiæ et turbæ sedatæ et compositæ sunt, ut rex Haraldus regnum suum pacatum in præsens retineret; jam enim dissoluta et ad nihilum redacta erat consociatio et conjuratio ea, quam Einaris ejusque filii cognati et amici contra regem Haraldum inierant et conflaverant, maxime enim spem in Hakone Ivaris filio positam habuerant. Multorum enim sermo erat, Hakonem multis in rebus patrem suum virtute superare, quanquam Ivar Albus strenuus fuerat vir, sed difficilioris ingenii et varii; qui præfectus fuerat regis Olavi Sancti, magni ab eo æstimatus.

Cap. 66. Ivar aliquando ab rege Olavo invitatus convivio intererat, cum Sigvatus poëta regi carmen, quod composuerat, recitaret. Quod recitatum cum vulgo magnopere laudaretur, Ivar Sigvato: haud abs re fuerit, in plures nobiles viros, quam in regem solum, carmina componere; fieri enim potest, ut rex, quem versibus celebrare nunquam intermittis, remunerandi tædio capiatur. Sigvatus talem virum, qualis Ivar esset, multas ob res dignum esse, qui carminibus laudaretur, testatus est. Atque paulo post abitum Ivaris Sigvatus a rege veniam conveniendi Ivaris petiit. Cui rex: ita quidem existimo, posse te eo honore, quo apud me uteris, bene contentum esse, neque majori tibi honori est, præfecti muneribus donari; verum tamen, quo velis, iter facias, quanquam sunt qui dicant, Ivarem non eundem semper animum servare. Sigvatus in

Uplanda profectus est, convenit Ivarum eumque salutavit, Ivare tardius nullaque cum comitate resalutante. Cui Sigvatus: composui in te carmen, cujus recitandi gratia jam adsum. Ivar contra: hoc tibi cum ceteris poëtis commune est, quod, quando reges nimiæ vestræ garrulitatis pertæsi sunt, subducitis vos, et colonos pecuniis emungere cupitis. Tum Sigvatus ita:

Haud sane procul, Ivar,
sedisti, cum carmen, in honorem
nostri egregii domini
factum, ad finem usque recitavi.
Non convenit tibi, carmen de te
laudatorium aspernari, siquidem
ille suæ laudi aures præbere dignatus est;
utriusque scamni sessores silentium postulavi[1].

Hic Ivar: vera dicis, poëta; ego vero carmini aures præbebo; Sigvatus carmen recitavit, quod Ivar magnifice remuneravit; inde Sigvatus ad regem rediit. Ivar suum honorem et præfecti dignitatem ad diem usque fatalem obtinuit, et seram attigit senectutem; hoc autem tempore, quo res hic narratæ acciderunt, jam obierat, Hakon vero omnem hæreditatem patre mortuo acceperat, qui omnes in Norvegia adolescentes artium peritia, naturæ dotibus et gratia antecelluit.

---

[1]) Ordo: *Ivar! eigi sátuð meginfjarri, þá a) er færðag orð at ossum b) itrum drottni: lof sóttist. Þèr c) er vant at hnekkja lofi þinu d), alls hann e) rèð hlýða hróðr sinn f); hefig beidt hljóðs á báða bekki g).*

a) *þar, H.* b) *avrum*, liberali (vel = *orum*, nostro), *F, M.* c) *yðr, F.* d) *minu, H*, i. e. carmen a me factum. e) omitt. *H.* f) meum exscr. habet *hróði siñ*, quod legere malim *hróði sín* (per aphæresin pro *sinum*), solet enim verbum *hlýða* cum dativo construi. Ceterum lectiones var. ad duplicem constructionem respicere videntur, i. e. *yðr er alls hann rèð hlýða hróði sín*, et *þèr er, alls hann rèð heyra hróðr sinn.* g) Sic *F, H, M*; *bekk, A.*

Cap. 67. Cum autem tempus adesset, quo de rebus inter Hakonem et Finnum pactis ageretur, Hakon se ad regem contulit; qui cum in colloquium venissent, rex se sua ex parte omnia, de quibus inter eos convenisset, servaturum pollicitus: hac de re, inquit, cum Ragnilda loquere, utrum annuere velit, annon; eam enim sine ipsius consensu uxorem ducere, neque tibi, neque alii cuiquam tuto licet. Dein Hakon Ragnildam adiit, eique, quod ejus nuptias ambire cogitaret, indicavit. Illa sic respondit: uti sæpe experta sum, mortuum esse regem Magnum, patrem meum, sic quoque nunc experior, si jam futurum est, ut colono nubam, quamvis pulcer sis et artium bene peritus; si rex Magnus in vivis esset, me certe nemini, nisi regia dignitate prædito, collocaret, quare nemo animum inducat credere, me obscuro viro nupturam. Tum Hakon regem adiens, suum cum Ragnilda colloquium ei exposuit; dein pactum inter se et Finnum, ipso Finno præsente, pluribusque aliis, qui colloquio eorum interfuerant, recitavit; quorum omnium testimonia citavit, ita inter se et Finnum pactum fuisse, ut rex Haraldus sibi Ragnildam in matrimonium daret, tanta cum dote, quanta ipsi bene placeret: quæ cum viro ignobili loco nato nubere nolit, nomen dignitatis mihi dare facile potes; et vero ea sum natalium conditione et ut nonnulli dicunt, iis virtutibus præditus, ut me deceat nomen dynastæ gerere. Rex reposuit: rex Olavus, frater meus, hujusque filius, rex Magnus, dum huic regno, præfuerunt, singulos viros dynastarum titulo ornarunt; ego quoque sic feci, ex quo rex factus sum, quare Ormo dynastæ, quam nunc habet et a me accepit, dignitatem abrogare nolo. Hic Hakon intelligens, negotium non processurum, magnopere offensus

est; Finnum quoque gravis ira cepit, quorum utrique dixerunt, regem suis promissis non stare; atque ita discesserunt. Hakon statim Norvegiam reliquit, navem longam ducens, bene instructam, austrumque versus in Daniam delatus, mox se ad Sveinem regem, affinem suum, contulit, qui eum lubenter exceptum multis commodis et beneficiis ornavit; Hakon curam suscepit regni contra piratas defendendi, qui eo tempore imperium Daniæ vexarunt, Vindos, Kuros et alios maris Baltici accolas; hiemes atque æstates in navibus bellicis excubuit.

Cap. 68. Asmundus nominatus est vir, nepos ex sorore Sveinis regis, ejusque alumnus; hic ante omnes naturæ et artis dotibus erat præditus, et regi probatissimus. Ut vero adoleverat, magnam sumsit animi ferocitatem, et ad cædes patrandas magno studio ferebatur; quæ res cum regi displiceret, eum amandavit, lucrosa donatum præfectura, unde se suosque alere posset. Acceptis vero pecuniis regiis, Asmundus tantum contraxit militum numerum, ut pecunia, quam rex ei dederat, ad sumtus non sufficeret, quare aliam dimidio majorem, quæ regi erat, occupavit; quo cognito rex Svein advocatum Asmundum inter aulicos versari, nullis comitatum stipatoribus, jussit; quod jussum regis a nemine irritum reddi potuit. Ubi vero Asmundus brevi tempore apud regem versatus erat, nocte quadam aufugit, confluenteque ad eum omni turba, quæ eum antea secuta fuerat, plura quam antea malefacta patravit. Rex aliquando regnum obiens, cum prope eum locum, ubi Asmundus erat, venit, misit, qui eum vi comprehenderent; quem deinde catenis vinctum aliquamdiu servari jussit, sperans, eum ita furorem depositurum. Catenis vero solutus, statim aufugit,

copiisque et navibus bellicis comparatis, cives populationibus vexare, tractus habitatos passim incendere, homines partim interficere, partim spoliare, maximaque latrocinia patrare cœpit; incolæ, his rapinis vexati, quorum vitæ fortuna pepercerat, regem adierunt, damnaque sua conquerebantur. Quibus rex: quid has res coram me queriminі? Hakonem Ivaris filium convenite, vestrasque res coram eo conquerimінor, ille enim regni custos et, eoque constitutus consilio, ut vobis colonis, pacem et securitatem conciliet, in piratas vero rapinas atque maleficia animadvertat. Audivi quidem, Hakonem esse audacem et in omnibus periculis strenuum, nunc autem, quantum videre est, nullam rem aggredi audet, cum aliquo vitæ periculo conjunctam. Quæ regis verba cum Hakoni magna cum vehementia, et admodum exaggerata, relata essent, adsumtis suis, Asmundum quæsitum ivit; navali prælio congrediuntur: Hakon statim prælium committit; pugnatur acriter; Hakon fortiter in pugna procedit, navem Asmundi cum suis conscendit, gladium in utramque partem vibrans; navis ad tectum puppis militibus nudatur; eo tandem res deducitur, ut Hakon et Asmundus ictus commutarent. Cecidit Asmundus, cujus capite præciso, Hakon quam ocissime ad Sveinem regem reversus, eo tempore adfuit, cum rex Svein mensis accumberet. Hakon regem adiens, caput Asmundi mensæ coram eo imposuit, an cognosceret, interrogans. Rex nihil respondit, facies autem ejus sangvinis instar rubuit. Hic Hakon: jam credo, domine, intelligi posse, te mihi minores, quam putavi, gratias habere pro cæde Asmundi; quem cum crederem nullam vitæ tuæ insidiandi facultatem, si jam evasisset, prætermissurum, ideo eum occidi. Hic dictis Hakon conversus

aula exiit. Quo digresso, rex misso nuntio eum ab officio removit: ipse quidem nolo, inquit rex, mali quicquam ei facere, non vero possum eum omnibus cognatis meis tutum præstare. Itaque Hakon, Dania relicta septemtrionem versus in Norvegiam reversus, in Uplanda ad possessiones suas se contulit, ubi multi, cognati et amici, reditu ejus lætabantur. Tum Ormus dynasta, cognatus ejus, obierat; quare viri illustres et benevoli id negotii susceperunt, ut pacis internuntios inter eum et regem Haraldum agerent; eo tandem exitu, ut pax inter eos ita conveniret, ut Hakon Ragnildam uxorem duceret, ab Haraldoque satrapæ dignitate donaretur, tantæque provinciæ, quantam Ormus dynasta, cognatus ejus, obtinuerat, præficeretur. Hakon dynasta regi Haraldo fidem suam jurejurando obstrinxit, [ut justo principi debuit. Quo facto cives lætam spem præcipiebant, fore, ut eorum amicitia fideliter servaretur, prout [alter alteri pollicitus fuisset[1].

Cap. 69. [Kalvus Arnii filius, ex quo Magno regi cedens patria excesserat, ut ante dictum est, piraticam in terris occidentalibus exercuerat[2]; sæpissime autem hiemes in Orcadibus, apud Thorfinnum satrapam, affinem suum, transegit. Finnus Arnii filius, frater Kalvi, misso nuntio eum certiorem fecit de pactis, quæ ipse atque rex Haraldus inter se stipulati essent: Kalvo reditum in patriam concessum esse, eumque in pristinas possessiones atque in eadem beneficia, quæ a Magno rege accepisset, restituendum esse;

---

[1]) Loco eorum quæ a priore signo sunt *H* tantum habet: „*se officia, quæ deberet, præstiturum.*" Quæ a posteriore signo sunt, omitt. *A*; *sættust*, editores conjecerunt: meum exscriptum habet „*hètu hvor öðrum,*" quod in versione expressi.
[2]) Quæ ab initio capitis sunt, *omitt. A.*

quibus ad Kalvum relatis, statim se ad iter ab occidente paravit, orientemque versus in Norvegiam delatus, primum se ad Finnum fratrem contulit, qui publicam securitatem ei impetravit. Dein ipsi convenerunt, rex et Kalvus, pacemque inter se fecerunt, secundum pacta, de quibus inter regem Haraldum et Finnum convenerat. Kalvus fidem suam regi stipulatione obstrinxit, eadem lege, qua Magno regi se antea obligaverat: se omnia, quæ Haraldus rex juberet regnoque utilia esse putaret, facturum; quo facto Kalvus omnia sua bona, et omnia, quæ antea habuerat, commoda recepit.

Cap. 70. Proxima post reconciliatam cum Kalvo gratiam æstate, rex copiis contractis, classe in Daniam profectus, ibi per æstatem populationem fecit. Qui cum ad Fioniam appulisset, magnusque ibi numerus copiarum illi resisteret, rex suos e navibus egredi at ad escensionem parare se jussit. Divisis deinde copiis, Kalvum Arnii filium uni manipulo præfecit; hunc primum escendere jussit, ostendens, quam in partem iter facerent; se post paulo sua cum cohorte subsecuturum, iisque, si opus esset, opem laturum. Kalvus ac sui statim, escensione facta, copias obvias habuerunt; Kalvus extemplo prælium committit; fit acerrima pugna. Neque diu pugnatum erat, cum Kalvus, multitudine adversariorum oppressus, terga cum suis vertit, Danis persequentibus, multosque Norvegorum interficientibus. Hac pugna Kalvus Arnii filius cecidit. Rex Haraldus ac sui, ut parati erant, e navibus in terram egressi, cum paululum processissent, in cæsorum corpora inciderunt; funus Kalvi mox inventum ad naves portarunt; rex vero in mediterranea progressus populationes fecit, magnaque hominum numerum interfecit; sic Arnor:

Rex fulgidam aciem in Fionia
cruentavit, incolarumque
numerum minorem reddidit; ignis
per domicilia hominum grassatus est[1].

Finnus Arnii filius ob casum Kalvi fratris grave in regem odium concepit, ejus svasu necatum fratrem dictitans, se ab eo delusum fuisse, cum Kalvum ex terris occidentalibus pellectum in potestatem et fidem Haraldi regis tradidisset; quidam vero dixerunt, Finnum se in hac re minus perspicacem ostendisse, regem enim minores res, quam quas Kalvus patraverat, longinquis odiis persequi solitum esse. Rex Haraldus hac de re quemque pro lubitu loqui passus, rem neque fassus, neque infitiatus est; id tantum intelligi potuit, regi, quod factum esset, non displicere. Haraldus hos versus composuit:

Nunc omnino undecim ac duorum
hominum necis svasor factus sum;
quas cædes etiam nunc memoria teneo;
necessitate adigor occidendi.
Etiam nunc homines malitiam (vulgo)
exhibent, et comes est fallacia doli;
ajunt, parum (lætaminis) allio
opus esse ad incrementum[2].

---

[1]) Ordo: *Tiggi rauð fráua egg á Fjóni, en vann a) síðan Fjónbyggja lið rýrt: eldr rann um sjavt b) manna. c)*

a) varð, factus est, *Hk.* b) Sic *H* (i. e. *sjöt*); *sjót, A*, minus recte; *siot* (i. e. *sjöt*) *Hk.* c) omitt. *H.*

[2]) Ordo: *Nú emk ordinn ráðbani allra ellifu ok tveggja manna a): þau morð eru svá, at ek b) man enn; eggjumst vígs. Lýtendr golls inna enn c) grálcik, ok d) ginn e) ferr f) með skolli; kveða g) lauki litit gæft at h) auka.*

a) Sic *Hk*; neque caret exemplis tam propinquus situs literarum metricarum (*man manna*), vide Korm. S. ed. Havn. p. 136: *nú hefik en tel Tanna*; *inna, A*, quod metri causa ferri non potest, nisi sequentem versum sic mutes: *orð ráðbani vorðinn*, ut cohæreant, *þau orð eru svá, at ek man enn inna*,

Finnum hæc res tam vehementer movit, ut relicta Norvegia in Daniam concederet; Sveinem regem adiit, et ab eo humaniter exceptus est; sæpe inter se secreto collocuti sunt, eo tandem exitu colloquii, ut Finnus Sveini regi obsequium juraret ejusque ministerio se addiceret, rex vero ei dynastæ dignitatem provinciamque Hallandiam daret, cui diu præfuit atque regnum contra incursiones Nordmannorum defendebat.

Cap. 71. Rex Haraldus emporium Osloæ, in regni parte orientali, instaurandum curavit, ibique sæpe versatus est: situs enim loci et ad commeatum supportandum aptus erat, quod ampli circa erant tractus habitati, et ad fines contra incursiones Danorum defendendos, item ad impetus in Daniam faciendos, quos sæpius, atque exiguis copiis evocatis, facere consvevit. Accidit æstate quadam, ut rex Haraldus aliquot du-

---

ea demum verba sunt, quæ nunc quoque proferam; similis sensus est Korm. S. l. c.: *þau beri menn frá morði min orð*, hæc mea de cædibus (a me editis) verba homines divulgent. *b*) omitt. *Hk.*, sensu non mutato. *c*) omitt. *H.* *d*) *er*, *Hk.*; vide *f*. *e*) accepi pro substant. neutr. gen., unde verbum *giuna*, decipere; *ginnir*, *H*, *Hk.*, pro *girnir*, lubet (*nn* pro *rn*, cujus nonnulla exempla sunt), hoc ordine: *ginnir enn inna gráleik*, lubet (me) et adhuc mala rependere, *Hk.* T. 6, ubi subintelligitur subjectum *mik* in accus.; possent et jungi: *lýtendr golls ginnir enn inna gráleik*, etiamnunc homines cupiunt malam indolem ostendere; videtur enim astutus ille princeps communi hominum perversitate dolos suos excusare voluisse. *f*) *ferð*, *Hk.*, conf. var. lect. *d*, scil.: *ferð er með skolli*, ad verbum: homines sunt cum dolis, i. e. dolos exercent. *g*) Subint. *menn*, ellipsi vulgatissima. *h*) *til*, *Hk.*, eod. sensu; sensum hujus sententiæ, quam pro proverbio accipio, hunc fere puto esse: facile est, volentem instigare; quibus verbis Haraldus propensionem animi sui ad injurias ulciscendas et malum malo rependendum haud obscure indicare videtur. De aliis rationibus hunc locum interpretandi, adi *Hk.* T. 3 et 6.

eens celoces exiguumque numerum copiarum, in australes Vikæ partes, vento secundo spirante, contenderet; trajecto pelago, appulsaque ad Jotiam classe, terram prædando vastare cœpit. Incolis ad terram defendendam confluentibus, Haraldus classe Limafjördum ingressus est. Ea est hujus sinus natura, ut introitus non latior sit, quam angustum fluminis caput, ubi vero intraveris, sinus se in mare vastum diffundat. Rex Haraldus loca utrique sinus lateri adjacentia populationibus vastavit, Dani autem hinc illinc copias contractas habuere. Rege Haraldo naves ad insulam quandam, parvam et desertam, appellente, potus classiariis defuit, qui ideo in insulam ad quærendam aquam egressi, eum nusquam invenirent, regi aperuerunt; ille angvem quæri jussit, qui inventus ad regem allatus est. Hic rex: angvis vivere non posset, nisi haberet, quod biberet; quare fieri potest, ut latentis aquæ vena ei nota sit, quamvis eam invenire non possimus. Dein rex angvem igni admotum torreri atque defatigari jussit, ut quam maxime siti vexaretur; quo facto, filo caudæ alligato angvem missum fecerunt. Quem, glomere lini filum remittente, labentem regii subsecuti sunt, donec se in terram demersit. Hoc loco rex fodi jussit, quo facto, abundantem aquæ venam invenerunt. Hic rex Haraldus per exploratores certior factus est, Sveinem regem magna cum classe, ad ostium sinus adesse. Cui cum tardius succederet sinum ingredi, quod ostium singulis tantum navibus adiri potuit, rex Haraldus in partem sinus interiorem, qua latissimus est, penetravit. Hic locus est, Lusbreid dictus, cujus intimus recessus angusto isthmo ab mari occidentali dirimitur; huc cum rex Haraldus ac sui vespere remigassent, noctu,

tenebris ohortis, naves exoneratas per isthmum traxerunt; quibus omnibus ante lucem confectis, atque navibus iterum oneratis, borealia Jotiæ litora præterveeti sunt; tum hæc dixerunt:

Haraldus e manibus
Danorum evasit.

Tum rex Haraldus minatus est, se proximo tempore majorem copiarum numerum navesque majores in Daniam transmissurum. Inde septemtrionem versus in Norvegiam, regnum suum, cursum direxit, litoraque ab austro legens, non prius destitit, quam in Thrandheimum venit, hiememque Nidarosi transegit.

Cap. 72. Vir erat nomine Ödun, natione Islandus, ex Vestfjördis oriundus, pauper quidem, se probatæ virtutis. Hic aliqua æstate, cum Norvego quodam, nomine Thorere, peregre ex Vestfjördis profectus est; ante vero quam iter ingrederetur, matri sustentandæ maximam bonorum partem adtribuit, quæ tamen non nisi per triennium[1] victibus ejus suffecerunt. Dein velis in altum datis, ventis usi commodis, in Norvegiam delati sunt. Ödun apud Thorerem hieme transacta, proxima æstate cum eodem in Grænlandiam trajecit, ubi alteram hiemem commorati sunt; ibi Ödun ursum emit, scite insvefactum, rem in suo genere pretiosissimam, cui emendo omnes quas habuit pecunias insumsit. Proxima post æstate, expedita navigatione usi, in Norvegiam revecti sunt; Thorer nauclerus ad prædium suum se contulit, Ödun autem loco in alia nave conducto, orientem versus in Vikam contendit, ursum secum habens. Qui cum Osloam venisset, ursum ducens in terram egressus est, hospitium, dum ibi commoraretur, quæsiturus; statuerat

[1]) Sic *H*, quod rectius esse ex sequentibus apparet; biennium *A*.

deinde austrum versus in Dauiam proficisci, regique Sveini ursum dare; co autem tempore inimicitiæ bellumque gravissimum inter Haraldum regem et Sveinem ardebat. Aderat in oppido rex Haraldus, qui cognito, virum quendam Islandum ex Grænlandia advenisse, ursumque admodum cicurem adduxisse, extemplo Ödunem arcessi jussit; ille regem adiit, atque salutavit; rex, cum humaniter resalutasset: tuusne est ursus ille pretiosus? Annuenti rex porro: an mihi ursum tanti vendere vis, quantum eum emisti. Nolo, domine, respondit Ödun. Visne, rex interrogat, ursum mihi duplo tanto vendere, quod magis justum fuerit, si omnibus facultatibus eum mercatus es. Neque id volo, domine, respondit Ödun. Visne igitur ursum mihi dono dare, rex dicit. Hoc quoque cum Islandus se velle negaret, rex: quid igitur eo facere vis? Cui Ödun: id quod antea statui, austrum versus in Daniam proficisci, Sveinique regi ursum dare. Tum rex Haraldus: utrum tam ignarus es, ut famam de dissidiis hæc regna intercedentibus non audiveris, an putas, cum aliis necessitate adactis iter facere tuto non liceat, tanta te usurum fortuna, ut rem pretiosam regi tradere possis? Ödun respondet: hoc quidem nunc in tua potestate est, domine, nihil autem polliceor, præter quam quod dixi atque antea constitui. Tum rex: quidni permittam, quam in partem volueris, iter ut facias, ea tamen conditione, ut reversus me conveuias, mihique dicas, quo te rex Svein pro donato urso remunerarit; fieri potest, ut fortuna tibi arrideat. Hoc me facturum polliceor, inquit Ödun. Dein conducto in nave loco austrum versus in Daniam trajecit; quo cum venisset, omnibus pecuniis consumtis, cibum sibi et urso emendi-

care coactus est; itaque regium quendam procuratorem, nomine Akium adiit, et ab eo alimenta sibi et urso, quem dare regi statuisset, petiit. Cui Akius: alimenta, si vis, tibi vendam. Ödun: at non præsto est, quo emam; sed magnopere cupio, rem sic curare, ut ursum regi possim offerre, [male enim est, si tam pretiosum animal fame intereat. Akius: multis adhuc cibariis tibi ursoque opus erit, antequam ad regem venietis; hanc igitur tibi conditionem propono, ut utrumque vestrum usque eo sustentem, tu vero mihi vicissim des dimidium animalis[1]; hoc spectandum tibi est, si fame pereat, nullum ex eo fructum te capturum. Hæc conditio Öduni iniquior visa; cum vero intelligeret, quo res jam perducta erat, nullam præsto esse æquiorem, id tandem inter eos convenit, ut Ödun Akio dimidium ursi venderet, ea conditione, ut ambo e vestigio regem adirent, qui et cibaria ab Akio accepta et ursum pecunia æstimaret; qui, si dimidium ursi majoris esse judicaret, Akius, quantum satis esset, Öduni restitueret. Una iter fecerunt, donec convenerunt regem Sveinem, qui Akium, procuratorem suum bene excepit; comitem sibi ignotum, quis esset, interrogavit. Ödun respondit: sum Islandus, nuper ex Norvegia delatus, qui antea ex Grænlandia adveneram; eo autem consilio huc veni, ut hunc tibi ursum darem, quem in Grænlandia omnibus emi facultatibus; hoc vero incommodi accidit, ut nunc nonnisi dimidium ursi possideam; dein regi omnia, quæ inter se et Akium intercesserant, exposuit. Tum rex: verane sunt, Aki, quæ dixit? Vera, inquit Akius. Cui rex: adeone tu, quem possessionibus meis præfeceram, cuique amplam provinciam dederam, tui officii esse duxisti, impedire et demorari virum

[1]) Sic *H*; quæ a signo sunt, omitt. *A*.

peregrinum mihique ignotum, qui rem pretiosam, omnibus suis facultatibus emtam, mihi dare constituerat, quem libere iter facere, vel infensissimi nobis hostes passi sunt? Fac igitur consideres, quantum in hac re dedecus admiseris; et vero credibile est, inter te et Haraldum regem magnum esse discrimen, qui ei pacem concessit. Tu sane meruisti, ut non modo omnibus tuis bonis, sed etiam vita spolieris; etsi vero te in præsens interfici non jubeam, tamen extemplo, omnium tuarum fortunarum expers, regno meo te excedere jubeo, neque posthac unquam in conspectum meum venire; ego vero, Islande, ita existimo, te integrum ursum mihi dedisse, inquit rex, idque eo magis, quo pluris sunt cibaria, quæ cum Akius dare debuisset, tibi vendidit; atque apud me versare. Ödun gratias regi pro his dictis oblataque conditione persolvit, ibique aliquantum temporis commoratus est, Akius vero tristis abiit, magnis amissis bonis, propterea quod, quæ sua non erant, appetierat.

Cap. 73. Ödun, brevi tempore apud regem Sveinem exacto, se abeundi cupidum esse ostendit. Cui rex tardius respondens, quo igitur, inquit, iturus es, si mecum commorari non vis. Ille: austrum versus Romam iter facere in animo est. Rex: nisi tam pium consilium suscepisses, tuam hinc discedendi cupiditatem graviter ferrem, hoc vero propositum neutiquam impediendum est; dein rex ei dedit magnam vim argenti, rationem itineris ordinavit, curavit, ut in societatem aliorum peregrinatorum adsciseeretur, seque, cum redisset, adire jussit. Ödun Romam iter fecit, rediens vero, gravi morbo implicitus, lecto diu affixus jacuit; tum omnes pecuniæ, quas rex Svein ei dederat, consumtæ sunt, comitesque eum deseruerunt. Ut tandem ex morbo

convaluerat, macie admodum confectus, viribus pæne desertus, [cum nullas haberet pecunias, quibus victum sibi emere posset[1], persona mendici suscepta cibum petiit; venit in Daniam tempore festi paschalis eum in locum, ubi tum se rex Svein continebat. Ödun comam abraserat, vestibus carebat, squalorisque plenus erat, quare in celebritate versari non ausus est; abdidit se in aliqua crypta templi die Saturni ante festum paschale, regem, hora tertia pomeridiana ad cantum euntem, conventurus; ubi vero regem conspexit aulicosque splendide vestitos, pudor eum vetuit in conspectum eorum prodire. Deinde cum rex cœnatum ivisset, Ödun foris sub aulæ pariete, cibum sumsit more peregrinatorum, qui nondum baculum et peram deposuerint. Jam constituit regem convenire, cum ad cantum vespertinum iret; sed cum in luce conturbatus pudore fuisset, nunc multo minus audebat in regis conspectum procedere, cum sui vino incaluissent; quare de transverso ad occultandum aufugit. Rex speciem alicujus hominis aufugientis animadvertisse sibi visus, cum templo exisset, omnesque aulici cubiculum ingressi essent, iterum exiit, voceque altiore clamavit: si quis hic in vicinia est, qui, ut puto, me convenire velit, pudore vero impediatur, jam procedat in medium, seque ostendat. Tunc Ödun progressus, se ad pedes regis prostravit; quem rex tantum non ignorans, dextra ejus prehensa, exoptatum adesse jussit: tu magnopere, inquit, mutatus es, ex quo te proxime vidi, ita ut vix te cognoverim; eumque statim in cubiculum duxit, quem visum aulici irridebant. Quibus rex: non est, inquit, quod illum irrideatis, quamvis squalidus vobis videatur, etenim animæ suæ melius

[1]) Omitt. *H.*

consuluit, quam vos, quare eum in conspectu Dei formosum et pulcrum esse puto. Mox ei lavacrum parari jussit, ipseque ei famulatus est; dein bona ei vestimenta dedit, et operam dedit, ut quam optime curaretur; unde Öduni, qui juvenis esset ætate, celeriter vires restituebantur. Aliquantum temporis ibi commoratus, hominum in frequentia scite se gerere novit, cum ab aliis lacessendis se abstineret, lingvæ temperaret et pauca loqueretur; quo factum est, ut omnibus esset acceptissimus, et ab ipso rege in summis deliciis haberetur.

Cap. 74. Accidit aliquando, cum ver jam processerat, Ödune et rege confabulantibus, ut rex ita loqueretur: exquirere abs te, Ödun, oblitus eram, quam rem, usibus tuis inservientem, donati ursi pretium optes; copiam tibi facio diu apud me commorandi, te pincernam faciam, et alium insuper honorem tibi tribuam. Ödun: Deus tibi, domine, hanc conditionem liberalissime oblatam remuneret, nec non omnem, quo me afficis, honorem; nunc autem animus inclinat, ut in Islandiam revertar. Rex: hæc mihi ratio perquam mira videtur. Cui Ödun: non possum, domine, inquit, animum inducere, ut hic apud te verser, magno habitus honore et deliciis, mater autem mea viam calcet mendicorum in Islandia; nunc enim præterlapsum est tempus, quo ei pecuniis prospexeram, antequam patriam reliqueram. Rex: hæc a te dicta sunt pie et humaniter; profecto vir fortunatus eris; hæc sola res est, quæ facit, ut tibi non succenseam, quod a me discedendi veniam petiisti; jam maneas apud me, donec naves apparantur; fecit ita. Die quodam, cum jam ver ad finem vergeret, rex Svein ad pontes descendit, ubi naves ad varias terras, ad regiones mari Baltico adjacentes, aut in Saxoniam,

aut Sveciam, aut Norvegiam ituræ, instruebantur; tum rex et Ödun ad navem quandam pulcram mercatoriam, bene magnam, quæ ad navigandum instruebatur, accesserunt. Rex quæsivit: quomodo hæc navis tibi probatur, Ödun? Cui navem laudanti, rex porro: jam, inquit, pretium ursi tibi persolvam, hancque navem tibi dabo, eis onustam mercibus, quas in Islandia bene vendi scio. Ödun pro hoc munere regi quam maximas potuit gratias egit. Post aliquando, cum navis omnino ad iter parata esset, ad litus iterum descendunt: tum rex; quoniam a me discedere vis, Islande, non te dehortabor. Fama autem cognovi, litora vestræ terræ esse importuosa, ibidemque vasta esse brevia et arenas navigantibus periculosa; quam ob rem fieri potest, si tibi adversa fuerit fortuna, ut naufragio facto oneris jacturam facias; quod si fiat, parum est, unde appareat, te regem Sveinem adiisse eique rem pretiosam dedisse. His dictis rex ei dedit ingentem ex pelle saccum, argento[1] plenum, dicens: non omnino pecuniis carebis, etsi naufragium feceris, si hoc retinebis. Fieri quoque potest, rex inquit, ut etiam hanc pecuniam amittas, quem fructum tum inde capies, quod regi Sveini rem tuam pretiosam dedisti? Dein rex annulum, rem magni pretii, manu detractum Öduni dedit, his verbis usus: quamvis tam infeliciter accidat, ut, naufragio facto, omnes merces amittas, non tamen inops eris, si annulo servato in terram evaseris; est enim hoc moris navigatoribus in naufragio constitutis, ut annulos suos secum portent; sique annulum servabis, apparet, te Sveinem Ulvi filium convenisse, quamvis aliorum bonorum jacturam facias; hoc autem consilium tibi do, ut hunc annulum ne abalienes,

[1]) et auro, add. *H.*

dignum enim te judico, qui possideas. Quodsi vero tibi videaris alieni nobili viro tantum debere, ut hunc dignum existimes, cui rem pretiosam des: tum ei annulum dato; convenit enim viris nobilibus eum possidere, jamque vale! inquit rex.

Cap. 75. Post hæc Ödun vela in altum dedit et ad Norvegiam adpulit, compertoque, quo se loco rex Haraldus contineret, ad eum, ut pollicitus fuerat, se contulit; quem, cum adiisset, salutavit; rex eum benigne resalutans: hic, inquit, considas, atque mecum poculis indulgeas. Sic Ödun fecit. Tum rex Haraldus quæsivit: quo te rex Svein pro urso remuneravit? Ödun: eo, domine, inquit, quod eum accepit. Hoc etiam fecissem, inquit rex, quid amplius tibi dedit? Ödun: viaticum iter Romam facienti. Rex: multis rex Svein peregrinatoribus pecunias dat, aut in alios usus necessarios suppeditat, quamvis rem pretiosam ei non dederint; quid amplius? Pollicitus est mihi, inquit Ödun, ut ministrum me mensæ suæ faceret magnoque honore afficeret. Dictum egregie, inquit rex, plura vero haud dubie dedit. Ödun: magnam mihi dedit navem mercatoriam, lectissimis mercibus onustam. Rex: regium sane donum, inquit, tali vero præmio ego quoque te ornaturus fuissem; verum, an tibi plura dedit? Ödun: dedit mihi saccum e corio argento plenum, dicens, si naufragium ad Islandiam facerem, me non omnino inopem esse, modo hunc retinerem. Rex: huic rei eximie erat provisum, quod equidem haud fecissem, officio liberalitatis satis fecisse ratus, si tibi navem mercibus onustam dedissem; ecquid his muneribus addidit? Sane, domine, inquit Ödun, dedit mihi annulum, quem manu gesto, dicens evenire posse, ut omnes merces

unacum nave amitterem, non vero omnino inopem futurum, si annulum possiderem; vetuit, ne annulum alienarem, nisi me tantum alicui nobili viro debere existimarem, ut eum annulo donare vellem; hunc autem jam inveni, nam cum in tua potestate fuisset, domine, urso me, quin etiam vita spoliare, tu, quo aliis non licuit, me libere iter facere passus es. Rex donum vultu hilari accepit, pro quo Öduni digredienti eximia rependit munera. Hac eadem æstate Ödun in Islandiam reversus est, et in fortunatissimis est habitus. Ab hoc Ödune Thorstein Gydæ filius[1] originem duxit.

Cap. 76. Eadem hieme, qua rex Haraldus Nidarosi, ut ante scriptum, commoratus est, magnam navem instituendam curavit, nempe celocem, magnitudine Serpentis longi æmulam, omnique ratione quam scitissime fabricatam; e prora caput draconis exstabat, cujus cauda in puppim desinebat, cervices vero penitus erant auro ornatæ; hæc navis habebat triginta quinque interscalmia, quorum numero magnitudo corporis respondebat; eadem ceteras naves pulcritudine superabat, omnem enim apparatum rex diligentissime faciendum curavit, vela et armamenta, ancoras atque funes. Eadem hieme rex Haraldus ad Sveinem regem misit, ut vere insequenti sibi ad Albim occurreret, ubi prælio ultima experirentur, ut alterutri in posterum principatus utriusque regni Daniæ atque Norvegiæ cederet. Hac eadem hieme rex Haraldus universos ex Norvegia milites ad expeditionem evocavit, quæ copiæ cum vere appetente convenissent, rex Haraldus magnam illam navem in amnem Nidam deducendam, eique deinde capita draconis aptanda curavit; tum Thjodolvus cecinit:

[1]) de hoc vide Sturl. S. Lib. 2. p. 76; lib. 3. p. 193. 198.

Vidi, pulcra femina, navem
mare versus in amnem trudi;
adspice longas splendidi draconis
costas ante litus aquis innatantes.
Onusti draconis setæ fulgidæ
splendent, postquam ex falanga
deductus fuit: cervices ornatæ
aurum igne purgatum gestabant[1].

Quæ navis cum omnino esset parata, rex ea prono amne divectus est; sic Thjodolvus:

Die Saturni dux militum
longum velum ab se removet,
dum elegantes feminæ, ex oppido
prospectantes, latera draconis contuentur.
Secundum hæc juvenis princeps
recentem navem gubernans
occasum versus ex Nida contendit,
remis juvenum mare plangentibus[2].

Tum remigatio ab classiariis magna arte facta; sic Thjodolvus:

Socii navales remos e mari
scite evellere norunt; adstat
femina atque motum remorum,
tanquam rem insolitam, miratur.

---

[1]) Ordo: *Fagrt sprund! ek sá skeið hrundit í á fram at flæði a); kenn þú, hvar laung súð hins prúða dreka liggr fyrir landi. Frán föx b) orms glóa und farmi, sízt c) hánum var ýtt af hlunni: búnir svírar báru brunnit gull.*

a) *flóði*, id., *Hk.* *b*) *vox*, *H.* *c*) Sic *Hk.*; *þvíat*, nam, *A.*

[2]) Ordo: *Laugardag slýngr liðbaldr af sèr laungu tjaldi, þá a) er prúðar ekkjur b) líta orms súð út ör bæ c). Næsta rèð úngr allvaldr d) at stýra nyrri skeið vestr ör Nið, er árar drengja e) falla í sjó.*

a) *þar*, *Hk.* *b*) *eikjur*, *H*, prave h. l. *c*) Forte rectius construitur: *liðbaldr! laugardag, þá er orms súð slýngr af sèr l. tj., líta pr. ekkj. út ör bæ;* tum *liðbaldr* non de rege, sed de viro in genere sumendum, ab *lið*, navis. *d*) *alvalds*, *H.* *e*) *dreingri*, per sigla *H*, vix recte.

Dolore adficietur femina, si
nigra quadrifida instrumenta
navalia rumpentur; sed, certa pace,
hoc fieri minime moleste feret[1].

Idem porro cecinit:

Vim sentiet scalmus, antequam
remi e rapido mari vellantur.
Norvegi pontigradum Draconem,
clavis compactum, secundo flumine
gelido, remis propellunt. Septuaginta
remi nautarum, in altum
properantium, speciem intuentibus
præbent alæ aquilinæ, e ferro confectæ[2].

---

[1]) Ordo: *Reiðis a) herr kann rètt slita ræði ör verri; ekkjan stendr, ok undrast áraburð sem furðu. Ert b) mun snót, ef c) (hin) svörtu d) ferkleyf e) sæfáng gánga í tvö: þöll leggr f) leyfi á þat, við fullan frið.*

a) *ræsis*, regis, *Hk.*, it. *Edd. Sn.* p. 279, ubi duo primi versus citantur. *b*) Sic et Codd. membr. *Hk.*, *A* et *E*; *ort*, *Hk.*, i. e. *ort mun snertu*, committetur pugna. *c*) *áðr*, antequam, *Hk.*; *at*, *H.* *d*) *snertu*, *Hk.*, vide *b*, sed h. l. verissima lectio videtur esse *sortot*, nigro colore obducta. *e*) Sic *Hk.*; *ferkleyfa*, *H*; *fer klaufa*, *A*; hoc epitheto describitur aut crassitudo remorum aut materiæ bonitas. *f*) Sic *Hk.*; *liggr*, *A*.

[2]) Ordo: *Hárr a) veit b) sorgar c), áðr enn d) sæfáng e) slítist ör straungum mar. Norðmeðr f) róa negldum unnar g) naðri út [inn heglda h) straum i). þar er herr heldr sjö k) tigum ára til verra l), er sem líti arnarvæng af járni m).*

a) Sic *H*, *Hk.*; *hárr*, *A*; *Hk.* pro adjectivo accipit et refert ad *herr*, præstans exercitus. *b*) *ek*, add. *H.* *c*) Sic *Hk.*; *skógs*, *A*, quod cum ceteris conciliare nequeo. *d*) omitt. *H.* *e*) *sæföng*, id., *Hk.* *f*) *norðrmeðr*, *H*, inusit. *g*) *innan*, ex interiore parte, i. e. ex oppido, *Hk.* *h*) *helgda*, ex unius Cod. auctoritate, i. e sanctum, *Hk.*, neglecta consonantia metrica. *i*) Ab signo sic *H*, *Hk.*; *stranminn hegida*, *A*. *k*) *sex*, *H*, prave *l*) *varra*, portus, *Hk.* *m*) h. l. bini remorum picatorum (v. versum præced.) versus, ab utroque navis latere, cum fuscis aquilæ alis expansis comparantur.

Rex Haraldus hanc classem quæ ex universis regni militibus ac navibus constabat, austrum versus secundum litora duxit; quæ orientem versus in Vikam contendens, vehementi adversa tempestate disjecta, in varios portus, tam ad insulas a continente remotiores, quam in sinuum recessus confugit; hujus rei Thjodolvus mentionem facit:

Dolatas liburnarum proras
sylvæ umbracula a ventis
defendunt. Dux expeditionis litora
cingit navium bellicarum rostris.
Naves in expeditionem instructæ
intra scopulos cujusque sinus latent;
sic liburnæ scalmis munitæ
isthmos fluctibus strepere patiuntur[1].

Vehementi illa quæ tum sæviebat tempestate magnæ illi navi firmis ancoralibus opus erat; sicut Sigvatus testatur:

Rex altos strepentesque maris
cumulos prora quassat,
tumque rudentum navalium
robur ad extremum experitur.
Ventus, vel arboribus noxius,
curvo ferro minime commodus est:
saxa fœdaque tempestas crassum
clavum rodendo adterunt[2].

---

[1]) Ordo: *Skafnir snekkjubrandar eigu a) skjöl und skógi: visi leiðángrs læsir lönd herskipa bröndum. Almenníngr b) liggr innan hverja vik í skerjum: svá c) láta hábrynjaðar d) skeiðar eið hrynja e).*

a) eigut, cum negatione, *Hk.* *b) almenníng,* id, *H.* *c) sér, Hk.,* vide *e.* *d)* Sic *Hk.; hábrynjandi, A,* insolite. *e) hlýa, Hk.,* i. e. *láta eið hlýa sér,* isthmos se protegere faciunt.

[2]) Ordo: *Konúngr lemr barði háfan hlymgarð a) Hlæsseyar: þá neytir þengill snekkju strengja b) til þrautar. Skaði c)*

Vento autem secundo oborto, rex classem orientem versus ad Albim duxit; sic Thjodolvus:

Nunc Haraldus copias suas
fortiter ad Albim movet.
Strenue Norvegiæ domine!
ad regnorum confinia pernoctas.
Princeps conventum agit cum incolis
Thumlæ, ubi Sveini cum eo
indictus est congressus, corvo
debitus, modo Dani non aufugiant[1].

Fama cognito, exercitum Nordmannorum ad Albim pervenisse, omnes Dani, qui proximi erant regnorum confiniis, fugam capessiverunt.

Cap. 77. Rex Haraldus cum cognovisset, classem ab rege Danorum coactam ad Fioniam et Smalanda jacere, ipsum vero nolle cum Nordmannis ex pacto congredi aut prælio contendere, idem, atque antea, consilium cepit: colonorum copias remisit, centum autem et octoginta navibus lectissimos milites imposuit, qua classe

---

liudis er cigi indæll bjúgu d) járni: grjót ok e) ljótu veðrin gnegr f) af digrum gaddi g).

a) *hlyngarð, H.* b) *drengja,* id., *H.* c) Sic *Hk.*; *snagi, A.* d) i. e. curvis ancoræ brachiis; *bjuggu, H.* e) Sic *Hk.*; *á, A.* f) Sic *Hk.*; *gagr, A.* g) i. e. crus ancoræ.

[1]) Ordo: *Haraldr þrýstir a) nú sinn helming b) hraustla at Elfi; nær Noregs drottinn! náttið c) at landamæri. Gramr á þing við þumla d): þar er Sveini eindagaðr e) hans fundr f), skyldr g) hröfnum, nema h) Danir haldi i) undan.*

a) *þeysti, Hk.,* usitate et, ut puto, rectius. b) *helfing, Hk.,* metro magis accommodate. c) *náttar* (3. sing.), *Hk.* d) Sic et *Hk.* T. 3; *þumlo, Hk.* T. 6; *þumla,* quam in nomenclatura insularum affert *Ed. Sn.* msc., haud dubie ad ostium Albis Gothorum fuit; cujus incolæ h. l. *þumlar,* masc. plur., dicuntur. e) Sic *Hk.*; *eindagr, H*; *eindagat, A,* i. e. *þar er Sveini eindagat (at) halda hans fund, skyldan hröfnum*; sed ita cetera claudicant. f) Sic *Hk.*; *fund, A.* g) Sic *Hk.*; *skyldan, A.* h) add. *Hk.* i) Sic *Hk.*; *halda, A.*

austrum versus Hallandiam prætervectus, passim arma circumtulit; ingressus in Lovofjördum, tractus adjacentes depopulatus est; eo tempore cum rege Haraldo versabantur Hakon Ivaris filius, Ulvus aulæ magister multique alii viri insignes ex Norvegia. Post paulo Svein Danorum rex iis supervenit, tres ducens navium centurias. Hic rex Haraldus, copiis tuba convocatis, sic verba fecit: jam rex Svein nobis supervenit, magno, ut videre est, militum numero stipatus; quare sententias principum omniumque militum exquirere lubet, an cum hostibus, duplo majorem habentibus navium numerum, dimicari placeat. Tum multi ad fugam capessendam hortari, dicentes, Sveinem regem tantas habere copias, ut imprudentis esset, prælii fortunam experiri; quidam tacuere. Tum Hakon dynasta: Dani, domine, etsi magnam habeant classem, videntur tamen naves habere nostris minores; opinor quoque milites eorum nunc, uti sæpius, Nordmannis virtute cessuros. Dani ita sunt natura comparati, ut primo impetu satis acres sint, mox, si fortius restiteris, animum abjiciant; sæpius cum impari numero congressus, victoriam reportasti, quod etiam nunc eveniet. Rex magna cum lætitia locutus est: nocte præterita somniavi, inquit: visus mihi sum cum rege Sveine congredi, nos ambo funes in spiram collectos tenere et distrahendo certare, illeque ad postremum funes e manibus meis extrahere, quo facto expergefactus sum. Quod somnium animos militum minime confirmavit, plerique enim ita somnium interpretati sunt, Sveinem, de quo contenderent, obtenturum. Hic Hakon dynasta: fieri potest, domine, ut somnium hoc recte interpretentur, potius tamen putarim, regem Sveinem in tricas conjectum iri. Hoc, inquit rex,

mihi videtur magis credibile, et hoc modo somnium melius explicatur; neque jam diutius differam, quid sentiam, aperire: potius alii super alios cadamus, quam ut Danis re intentata cedamus. Horum regis Haraldi dictorum mentionem facit Stein Herdisæ filius, qui tum in nave Ulvi aulæ magistri erat; sic ille:

Rex, acri animo præditus,
quid ipse futurum crederet,
aperuit, dicens spem pacis
eo loco sibi ab eo evanuisse.
Celeber princeps præcepit, ut quisque
nostrum alius super alium caderet,
potius quam ut cederet hostibus.
Milites omnia arma depromserunt[1].

Idem sequentibus versibus memorat, quantum numerum militum uterque rex habuerit:

Animo acer ducum dominus,
qui cum centum et octoginta
navibus longis loco se continuit,
congressum cum Danis periclitatus est.
Proxime ab his alacer
rex Lethræ algosum mare
sulcavit, eodem ducens
naves trecentas et sexaginta[2].

---

1) Ordo: *Hauklyndr a) þengill sagði hitt, er hugði vera myndu: kvað þar þrotna b) ván eirar frá c) hánum. Frægr hilmir kvað hvern várn skyldu falla of þveran annan, heldr en vægja; menn brutu upp öll vápn d).*

a) hauklundr, id., *M.* *b) þraut*, *H.* *c) fur*, *M*; *fyrir*, id., *Hk.*, sed utraque membr. (*A*, *E*): *frá* (i. e. ab Sveine). *d)* Sic *H*, *Hk.*, *M*; *ván*, *A*.

2) Ordo: *Hugstrángr hersa drottinn, hinn er beið við hálft annat hundrað lángra skipa, hættist a) Dana fundar b). þat var næst, er reiðr atseti c) Hleiðrar réð rista þángs láð þingat d) þrimr hundraðum sunda e) mörum.*

a) Sic dedi; *hrættist*; *A*; *hætti*, se periculo objecit, *Hk.*,

Deinde rex Haraldus in proram navis suæ procedens, destrictum gladium ter in auras ante se vibravit. Hakoni dynastæ, cur ita faceret, interroganti rex: hæc in exteris terris indicem victoriæ vocant, quando rex hoc modo iram suam præsignificat. Dein rex Haraldus aciem navium ad impetum faciendum disposuit, dracone in media acie constituto; sic Thjodolvus:

Rex bellicosus, collatis in amicos
muneribus clarus, in media fronte
draconem lætus statui jussit, insigne
primæ classis regiæ propugnaculum[1].

Hæc navis multis admodum et fortibus viris erat instructa; rex suos hortatus, clypeos obtendere firmiterque stare, si prælium committeretur, jussit; cujus Thjodolvus meminit:

Rex, pacem fastidiens, strenuam
aciem firmo gradu stare jussit.
Visi mihi sunt regis amici clypeis
consertis latera navium munire.
Rex fortis, rebus præclare gestis
celeber, draconem, aquas strenue
secantem, extra Nizam ita clypeis
cinxit, ut sese mutuo tangerent[2].

Fagrsk.; hvattist, instigatus est, *H*; *hitti, M.* *b*) Sic *H, Hk., M*; *fundi, A.* *c*) *at sæti,* in sede regia, *H, Hk.,* minus apte. *d*) *þángat,* id., *M.* *e*) Sic *Hk., Fagrsk., M*; *sunnan, A,* cet., forte ex correctione, nam videtur librarius construxisse *þángs-láð-mörum,* navibus.

[1]) Ordo: *Varghollr veitir vingjafa a*) *lèt lystr b*) *dreka skolla fyrir miðju brjósti*; *þat var oddr lofðúngs c*) *liðs.*

a) Sic *Hk.*; *viga fa, A*; *vaga fa, H,* corrupte. *b*) *lyst, H.* *c*) *leiðángrs, Hk.,* quod refer ad *brjósti.*

[2]) Ordo: *Friðvandr a*) *jöfurr bað hrausta fylking standa fast; mèr sýndust b*) *viðir c*) *hildings skjalda d*) *hömlr ham-*

Ulvus aulæ magister suam constituit navem ab altera parte navis regiæ, suosque navem audacter provehere jussit; quod Stein testatur:

Ulvús, aulæ magister regius, nos
omnes cohortatus est, quando
longæ hastæ torquebantur. Alacre
remigium mari institutum est.
Amicus fortis principis,
manu promtus, navem suam
bene longe promoveri jussit, regi
opem laturus, viris annuentibus[1].

---

alt. *Nýtr ráðandi manndáða lauk rammsyndan naðr röndum fyrir utan Nizi, svá at hver tók aðra.*

a) *ferðvandr*, præstantium comitum studiosus, *Hk.* *b*) *sýndist* (sing.), *H*, *Hk.* c) *vinir*, *Hk.* d) *skilda*, id., *Hk.*

[1]) Ordo: *Úlfr*, *stallari grams*, *hèt á oss alla*, *þá er hákesjur skulfu*: *róðr var greiddr úti á græði. Skeleggjaðr a*) *spjalli b*) *snjalls landreka bað leggja sitt skip vel framm með c*) *skylja*, *en seggir játtu d*).

a) *skaleggjaðr*, *Fagrsk.*, quod idem valet, ex scriptura hujus Cod., qui alias quoque *a* pro *e* usurpat, ut *sax*, *var* = *sex*, *verr*; *skeleggjaðir*, in plur., *H*, *M*, quod cum *seggir* connectendum. Dissentiunt inter se in hac voce explicanda interpretes: Olavio, *eggjaðr með skýlja skel*, piratæ concha (crusta) munitus (loricatus, galeatus v. clypeatus): Celeb. Magnusenio *eggjaðr* est hortator (militum), imperator, et *skip með skylja skel*, navis clypeorum longe ordine munita. Mihi *skeleggjaðr* est adjectivum, formatum, ut videtur, ab adject. *skeleggr*, celer, velox, promtus, v. c. Hist. Alex. Magni, interprete Brando episc., *hafa skeleggjan vilja til at vinna*, promtam voluntatem; affine est adverb. *skeleggliga*, celeriter, *Fm. S.* II, 128. Omitto formam *skeligr*, adverb. *skeliga*, quæ sæpius occurrit. Hinc *skeleggjaðr* verto „manu promtum, strenuum" posset et verti „constantis, intrepidi animi." *b*) *spjalla*. (acc.), *Fagrsk.*, vide *d*. c) *meðr*, id., *H*. d) *löttu*, dehortati sunt (mallem *löttut*, cum negatione), *Fagrsk.*, i. e. *en seggir löttu* (*löttut?*) *spjalla snjalls landreka*; hæc itaque præced. *skeleggjaðr* pro substantivo accepit.

Hakon dynasta in altero aciei cornu extremus erat, multis navibus stipatus, quarum propugnatores splendide erant armati; in altero autem cornu Thrandorum principes erant, cum magno et splendido exercitu. Rex Svein suas quoque naves instruxit, et navem qua ipse vehebatur contra navem Haraldi regis constituit; juxta autem navem Sveinis regis, Finnus dynasta Arnii filius suam provexit navem, proxime autem eum Dani, quos fortissimos habebant, milites disposuerunt; dein utrique naves suas in media acie conjunxerunt, propterea vero quod ingens ibi navium multitudo convenerat, maxima pars earum libere extra aciem vagabantur, quare quisque, quantum fortitudo et animus suppetebat, magno tamen discrimine, navem suam provexit.

Cap. 78. Instructis navibus rex Haraldus bellicum cani jussit, navesque contra hostem remigio incitari; teste Stuvo poëta:

Haraldus ante amnis ostium
Sveini impedimentum facessivit;
hic rex pacem petere coactus est,
quod tu, princeps, tam fortiter restitisti.
Amici regis, gladiis cincti,
extra Hallandiam remigium
intenderunt. Calidum vulnus
sangvinem in mare efflavit[1].

Dein prælium commissum, et acerrime pugna-

---

[1]) Ordo: *Haraldr vann Sveini meinfært fyrir móðu mynni a); vísir varð biðja friðar, [þar b) er gerðut c) viðrnám. Spjallar jöfrs d) gyrðir e) hjörvi, herðo f) atróðr fyrir g) utan Halland; heit h) und blés blóði á lög i).*

a) Sic *Hk.*; *minni, A.* b) Sic dedi; *þeir, H*; *þat, A.* c) a signo: *þviat gerði, Hk.* d) Sic *Hk.*; *jöfurr, A.* e) Sic *H, Hk.*; *gyrði, A.* f) Sic *Hk.*; *herr dró, A.* g) *fyr*, id., *Hk.* h) *heitt, H.* i) *legg*, crus, *H.*

tum, utroque rege milites suos hortante; qua de re sic Stuvus:

Uterque strenuus rex, clypeos
spernens, milites jussit tela
mittere et gladiis ferire, brevi
spatio inter acies distante.
Tam saxa quam sagittæ volarunt,
dum gladius rubrum sangvinem
excutiebat: vita præclaris
viris cito adeınta est[1].

Die Laurentii sero vespere prælium commissum, et per totam noctem pugnatum est. Rex per totam noctem arcu sagittas emisit; cujus mentionem facit Thjodolvus:

Rex Upplandus tota nocte
arcum tendebat: animosus
militum dux fecit sagittas
in albos clypeos dispergi.
Mucro cruentus penetravit
colonorum loricas; volatus
telorum increvit, siquidem sagittæ
clypeis draconi affixis inhæsere[2].

---

[1]) Ordo: *Hvártveggi nýtr hlífarstyggr skjöldúngr bað seggja lið skjóta ok höggva: skamt var á miðli liðs. [Bæði fló a) grjót ok örvar, [þá er a) brandr hrauð af sèr b) rauðu blóði: fjörvi frægra c) gotna d) brá fljótt e).*

a) Sic *Hk.*; *benja flóð i, A.* b) omitt. *H.* c) *feigra*, morti destinatis, *H, Hk.* d) *flotna*, id., *Hk.* e) *þat*, hoc (viris) vitam ademit, *Hk.*

[2]) Ordo: *Upplenzkr hilmir a) dró álm alla nótt: hinn snjalli oddviti b) lèt hremsur drífa á hvítar hlífur c). Blóðugr oddr smó d) brynjur búandmönnum e); flýgr f) vigra óx g), þars gjöld Finna h) stóðu í fannings i) skjöldum k).*

a) i. e. Haraldus, cfr. pag. 171. b) *landreki*, administrator reip., rex, *Hk*, *Fagrsk.* c) *lífr*, id., *Fagrsk.*; *hlífar*, usitate, *Hk.* d) Sic *Hk.*; *sínu*, *A*, facili errore. e) Sic *Hk.*; *brynjaðra*, loricatorum, *A*, (forte *brynnjarða smó benjar*, quam ultimam vocem unus cod. *Hk.* habet). f) Sic *A*; *flugr*, id., *Hk.*

Hakon dynasta quique eum secuti sunt milites, cum hostium navibus suas non conjunxerunt, sed Danorum naves extra aciem vagantes remigando aggressi, cedentes persequebantur quasque adorti essent, defensoribus nudarunt; unde factum, ut Dani ea parte in fugam converterentur. Tum cursoria ad navem dynastæ remigavit, qua qui vehebantur, eum inclamantes dixerunt, alterum aciei cornu regis Haraldi retro cessisse, magnumque ea parte militum numerum cecidisse; dynasta eo se convertit, tam acrem impetum dedit, ut Dani repulsi cederent. Ita satrapa per totam noctem, qua maxime opus erat, naves suas in prælium duxit, remigio classem pugnantium circumvectus; quacunque vero impetum fecisset, nemo ei resistere potuit. Cum prælium haud procul a terra fieret, navis Skjalgi Erlingi filii ad littus æstu delata est, quæ cum æstu derelicta in arido staret, omnes hujus navis propugnatores ab supervenientibus copiis pedestribus Sveinis regis, quæ naves non conscenderant, ad internecionem occisi sunt. Jam vehementissime pugnatum est, strage in Danos versa, contra quam paulo antea opinati erant, dum putarunt, rem Norvegorum in sua fore potestate, propter multitudinem copiarum; Norvegi autem fortiter restiterunt, strenueque præliati sunt, teste Steine:

Prælium commisimus. Mirum est,
ni gestores prælii Dani, qui latam
defenderunt terram, ad extremum
Haraldum probe cognoverunt:
quando Norvegi olim bellicum

g) Sic *Hk.*; *af*, *A.* *h*) tributa Finnorum sunt sagittæ. *i*) Sic *H*; *faunigs*, *A*; utrumque inusitate, quantum scio: mallem *fánings*, serpentis, a *fánn*, *fáinn*, vel reponere usit. *frænings*, id.; *fofnis*, id., *Hk.* *k*) Sic *Hk.*; *skjöldu*, *A*; posteriorem semistropham omitt. *Fagrsk.*

clypeum tenuerunt ante ostium
Nizæ, (ubi) corvus prædæ copiam
sub diluculum adeptus est[1].

Nocte in diem declinante, maxima pars exercitus Danorum fugere cœpit; tunc enim rex Haraldus navem Sveinis regis conscenderat, magna-

[1]) Ordo: *Vèr a) bördumst; undr er, ef örmóts b) vidir c), þeir er d) vördu e) vída grund, kendu f) eigi Harald gjörva g) of sídir h), [þá er i) Nordmenn hèldu k) fordum l) herskildi m) fyrir Nizar ósi; hrafn fèkk n) gnótt náss o) í óttu.*

a) *vær*, id., *H*. *b*) *örmót*, prælium, sive intelligas sagittarum concursum, jaculationem: sive conventum, ubi res sagittis et jaculis geritur; *aur moz*, id., *Fagrsk.*; *avrnjóz*, *H*, facili errore. *c*) *vinir*, *H*, *M*, i. e. amici, qui prælio delectantur, eod. sensu; variavit *viðr* et *vinr* supra cap. 77. str. 4. *d*) *þeir*, omissa vocula *er*, *H*, quod idem valere potest; *ok*, et, *Fagrsk.* *e*) *vördum*, defendimus, *Fagrsk.* *f*) *fundu*, senserunt, animadverterunt, *M*; *reyndu*, experti sunt, *Fagrsk.* *g*) *görva*, id., *Fagrsk.* *h*) Sic *H*, *M*, *Fagrsk.*; *sídi*, *A*, quod forte pravum non est, nam *i* paragogicum esse potest, ut in *ödruvísi* (quod nunc vulgo dicitur, veteribus *ödruvís* v. *ödruvíss*, it. *ödruvíso*). *i*) *hvar*, ubi, *M*, secundum quem jungenda sunt: *of sídir fyrir Nizar ósi, hvar* etc.; *hvart*, an, *Fagrsk.* *k*) *seldu*, tradiderunt, *M*, quam vocem non patitur literarum ratio, etsi duo adsint *h*: *hvar herskildi seldu*; *halda*, tenere, i. e. tueri v. agnoscere, *Fagrsk.* *l*) *þordo*, ausi sunt, *Fagrsk.*; *fóro*, *H*, invito metro. *m*) *hugfyldir*, animis pleni, *Fagrsk.* *n*) omitt. *H*. *o*) *nás*, *Fagrsk.*

Secundum ordinem verborum a nobis h. l. receptum, sententiæ utriusque strophæ confunduntur, tam in *A*, quam in *M*; quod perrarum est. Lectiones a *Fagrsk.* suppeditatæ hanc constructionem svadent: *Vèr bördumst ok vördum vída grund. Undr er, ef örmóts vidir reyndu eigi görva of sídir, hvárt hugfyldir Nordmenn þordo halda Harald; hrafn fèkk gnótt nás í óttu fyrir Nizar ósi*, i. e. prælium commisimus et latam terram defendimus; mirum est, ni bellatores ad extremum probe experti sunt, an animosi Norvegi Haraldum pro rege agnoscere ausi sint. Corvus prædæ copiam sub diluculum nactus est ante ostium Nizæ.

que fortitudine rem gesserat, gladium ad utrumque latus vibrans. Sic dicit Arnor dynastarum poëta:

Fecisti, rex, viros galeatos
audire, ut illic ante Nizam
utramque aciem gladii cruentasti.
Antequam edita strages esset,
tabulæ recentis draconis a borea
lapsæ sunt, hortante principe:
evenit, ut rex bellicosus cursum
in Hallandiam contenderet[1].

Quæ navis usque adeo defensoribus erat nudata, ut qui inerant ad unum omnes essent interfecti, iis exceptis, qui ex nave partim in mare, partim in naves minores desiliverant; sic Arnor:

Rex liberalitate clarus, qui
prælium nunquam detrectavit,
lætus sub inaurato clypeo
Danorum vastavit liburnas.
Princeps clypeorum testudinem
perrupit: auri largus rex tela
per loricas virorum conjecit,
volucres super corporibus clangebant[2].

---

1) Ordo: *Tiggi a), lèztu b) hjúlmáro heyra, er rautt c) tvær [tyrfings eggjar d) hits e) fyrir Nizi. Áðr mannfall væri, skriðu borð f) nýs g) naðrs norðan, at fýsi allvalds; hrafnþurfr h) konúngr hlaut skjóta stafni til Hallands.*

a) tyrfi, H, prave. *b) lèzt,* id., *H. c)* Sic *M; rauð* (3. pers.), *A. d)* Sic *H, M; tyrfing seggjar, A. e) hitz,* meum exscr., id. *f) borði, H. g)* Sic meum exscr.; *nýss, A. h) hrafnþarfar, M.*

2) Ordo: *Heiðmær konúngr, sá er hvergi flýði geirjálm a), hrauð Dana skeiðir, glaðr und gulli roðnum hjálmi b). Buðlúngr, raufst c) skjaldborg: hodd-glötuðr d) skaut broddum e) gegnum brynjur bragna, en skúfar súngu of ná.*

a) gerrjálm, id. (*e* = *é*), *M. b) hjúlmu, H. c) rauðst,*

Memorat etiam Arnor, Sveinem regem non ante fugisse, quam navis ejus omnino esset defensoribus nudata:

Fortissimus ille Svein non
sine causa celocem suam
deseruit: sic censeo; durum
ferrum galeas (jam) tetigerat.
Navigium diserti Cimbrorum
amici, defensoribus nudatum
stabat, cum princeps, satellitibus
relictis mortuis, caperet fugam[1].

Signo regis Sveinis dejecto, naveque ejus defensoribus nudata, omnes sui, qui non ceciderant, fugæ se mandarunt; quidam ex navibus, quæ conjunctæ erant, se in mare præcipitarunt, alii in naves quæ solutæ vagabantur, evaserunt, omnes vero, quibus facultas erat, remigando sese subduxerunt. Quo autem loco ipsi reges arma conseruerant, plurimæque naves conjunctæ fuerant, eo loco amplius septuaginta naves Sveinis regis vastatæ jacuerunt, teste Thjodolvo:

Dicunt, affabilem Sogni regem,
uno simul temporis momento,
ad minimum septuaginta splendidas

---

cruentasti, *M*; malui *buðlúngr rauf*. *d*) *hrauðuðr*, eod. sensu, *H*. *e*) *oddum*, eod sensu. *M*.

[1]) Ordo: *Hinn forhrausti a*) *Sveinn gekkat saklaust af b*) *sinni snekkju: þat er hugi c*) *minn; harðr málmr kom við hjálma. Farkostr d*) *fljótmælts e*) *vinar Jóta hlaut at fljóta f*) *auðr, áðr en öðlingr flýði**) *frá g*) *dauðri h*) *verðúng*.

a) *forrausti*, id., *Hk*. *b*) omitt. *H*. *c*) *hugr*, id., *H*. *d*) *fars kostr*, id., *Hk*, *M*. *e*) Sic duo Codd. *Hk*; *fljótmalts*, *A*; *fljótmæts*, *Hk*. *f*) *flestu*, *H*. *g*) omitt. *Hk*. *h*) *dauðir*, *H*, mendose. *) Sic et *Hk*., sed ex Codd membr. ibidem alter habet *oði*, alter *flæði*, unde apparet, veram lectionem esse *fløði* (i. e. *flæði*).

naves Sveinianorum vastavisse[1].
Rex Haraldus Danos mari insecutus est, quod tamen difficile erat, classis enim adeo confertim stetit, ut procedendi facultas vix daretur. Dicitur rex Svein secum ad prælium duxisse sex[2] dynastas; quorum unus, Finnus Arnii filius, jam senectute gravis, tam hebeti erat visu, ut vix esset militiæ habilis. Hic, cum plurima pars Danorum terga verterat, in tecto navis suæ consedit, eoque loco a militibus Haraldi regis vivus captus est; cujus rei Thjodolvus mentionem facit:

Svein, sex Danis dynastis,
pugnam strenue cientibus,
quam uno in prælio reportasti
victoriam, refert acceptam.
Præliis clarus Finnus
Arnii filius, qui salutem
alacri animo quærere noluit,
in media acie captus est[3].

Cap. 79. Hakon dynasta eodem loco suis cum navibus remansit, rege Haraldo cum reliquis copiis fugientes persequente; navis enim dynastæ propter naves, quæ copulatæ erant, nullo

---

[1]) Ordo: *Kváðu gegnan a) Sogns b) gram hrjóða c) senn á einni svipstund d) hit fæsta e) sjötigu glæst skip Sveins þjóðar.*

a) Sic *Hk., Fagrsk.*; *geinginn, A.* *b*) Sic *Hk.*; *Sogn, Fagrsk.*; *saungs, A.* c) *hróða*, id., *M.* *d*) *sviptu, Fagrsk.* e) *næsta, M.*

[2]) quinque, *H.*

[3]) Ordo: *Sveinn! átt a) launa sex jörlum Dana, þeim er vexa hvöt örleiks, sigr innan eina gunni. Vigbjartr b) Fiðr Arnason, sá er vildit c) forðast d) snöru hjarta, varð e) fánginn f) í miðri fylkinga.*

a) *át, Hk.*, i e. *áat*; *á, H, M, Fagrsk.* *b*) *fólkbjartr*, id., *H.* c) *vildi*, voluit, *H.* *d*) *forða, Hk., Fagrsk., M.* e) *ferð, H,* i. e. *sá er vildi forðast ferð*, qui ab hostibus sibi cavere voluit. *f*) *feinginn*, id., *H*; *fenginn*, id., uterque Cod. membr. *Hk*,

modo provehi potuit. Tum vir quidam, magna statura, pileum demissum et latum capite gerens, scapha navem dynastæ advectus, ad celsam puppim applicuit; hic vir classiarios inclamans: ubi dynasta? inquit. Dynasta in anteriori interscalmio stans, alicui ex suis sangvinis erumpentis impetum cohibebat; is virum pileatum inspiciens, ab eo nomen quæsivit; ille: Vandradus adest, inquit, mecum, quæso, loquere, dynasta! Dynastæ e navi ad eum se inclinanti, is, qui scapha vehebatur: donari a te vita volo, dynasta, si mihi concedere vis. Hakon dynasta ut se erexerat, duos viros, qui ambo ei cari erant, nomine vocatos, exponere hominem in terram jussit: multa in me Vandradus bene fecit, inquit, deducite eum ad Carolum, amicum meum, cui, quo certius sciat, hunc ipsi a me mitti, præcipite, ut equum sellarium, quem ego ei nudius tertius dedi, et ephippium suum filiumque viæ ducem Vandrado commodet. Hoc erat paulo ante lucem; descendunt in scapham, ad remos accedunt, Vandrado gubernante. Eo momento naves quam maxime ultro citroque discurrebant, dum alii ad terram, alii in altum fugerent, tam parvulis, quam majoribus navibus vecti. Vandradus, qua amplissimum inter naves spatium esse videretur, cursum direxit; ubicunque vero in naves Norvegicas inciderent, Hakoniani, qui essent, fassi, a nemine sunt impediti. Vandradus, cursu secundum litus directo, ad terram non ante divertit, quam spatium maris, a navibus maxime frequentatum prætervecti essent. Dein ad villam Caroli, die jam illucescente, ascendunt; diætam intrant, ubi Carolum inveniunt, qui modo vestes induerat. Missi mandata exponunt; Carolus eos primum cibum capere jussit, mensam apposuit, et aquam, qua manus

lavarent, dedit. Interea materfamilias diætam ingressa: mirum quantum nulla nobis quiete aut somno hac nocte ob clamorem strepitumque frui liceat. Carolus: nescis, reges hac nocte prælio contendisse? Uter superior discessit, inquit ea. Carolus: Nordmanni victores discesserunt. Illa: itaque haud dubie rex noster pro more fugam capessivit. Carolus: non constat, ceciderit, an fugerit. Illa: o nos miseros, qui regem habeamus et claudum et timidum. Hic advena subjecit: id potius, vetula, quod melius convenit, existimemus, regem non esse timidum, quamvis minime sit victoriosus. Vandradus manus lavare cœpit, sumtoque mantili, manus medio tergebat; materfamilias, mantili prehenso et e manibus ejus erepto: pauca, quæ deceant, nosti; rusticum est, totum simul mantile madefacere. Vandradus respondit: eo rem Deo volente adhuc deductum iri credo, ut medio mantili manus tergere possimus. Dein accubitum iverunt, et cum aliquantisper comedissent et bibissent, exierunt: tum equus Caroli paratus erat, filiusque, qui Vandradum comitaretur, alterum habuit equum; hi in sylvam equitarunt, missi vero ab Hakone dynasta ad scapham descenderunt, et ad navem dynastæ remigarunt.

Cap. 80. Rex Haraldus ac sui fugientes non longe persecuti, retro ad naves vacuefactas remigarunt. Tum corpora cæsorum lecta; in regia nave magna cæsorum multitudo inventa, funus regis Sveinis non quidem inventum, sed vulgo cecidisse credebatur. Rex Haraldus funera suorum, qui ceciderant, componenda curavit, vulneraque eorum alliganda, quibus hoc opus erat. Misit ad colonos, ut funera Sveinianorum in terram veherent, humandaque curarent; dein prædam dividi jussit, qua re eodem loco aliquamdiu

commorati sunt. Tum fama cognoverunt, Sveinem regem in Sjalandiam revertisse, omnes milites, qui ex pugna fugissent, præter ingentem numerum alius multitudinis, eo ad eum confluxisse, eumque de integro invictas copias habere.

Cap. 81. Finnus dynasta Arnii filius, in prælio, ut ante dictum est, captus, ad regem Haraldum, a persequendis fugientibus reversum, adductus est. Rex magnam hilaritatem ostendit, atque dixit: hic jam, Finne, convenimus, proxime autem ante in Norvegia; an multitudo Danorum satellitum non satis firmum tibi præsidium præstitit? molestum sane Nordmannis incumbit negotium, qui te cæcum post se trahant. Dynasta respondit: multa nunc mala Nordmannis sunt patranda, quorum longe pessima sunt, quæ tu præcipis. Cui rex: visne, quantumvis indignus, vita donari? Tum dynasta: a te, canis, minime. Rex: visne igitur a Magno, affini tuo donari? Magnus regis Haraldi filius, eo tempore navi præfuit. Dynasta: ecquid catulus iste pacis auctor esse poterit? Hic rex, in risum solutus, magnamque ex eo irritando voluptatem capiens: visne vita donari a Thora, sorore tua. Dynasta: an hic adest? Rex: sane adest. Intelligi vero potest, quam iratus Finnus dynasta fuerit, cum lingvæ suæ non temperaret: minime mirum est, inquit, te acriter momordisse, quum comitem equam habueris. Nihilo minus Finno dynastæ vita concessa est, quamvis in verbis intemperantior esse videretur. Hic dein regem comitatus est, majorem in modum tristis et in verbis asper. Post paulo rex Finnum allocutus: jam sentio, inquit, te nolle neque mihi neque cognatis tuis animum applicare, quare tibi veniam dabo, ad regem tuum, Sveinem, revertendi. Finnus dynasta respondet: hac conditione uti volo, id-

que eo libentius, quo prius hinc discedere potero. Rex eum in terram exponi jussit, ubi ab Hallandiæ incolis benigne exceptus est.

Cap. 82. Rex Haraldus, cum facto prælio Nizico in ancoris ad Hallandiam staret, suos allocutus est: cum tantam ab Danis hac pugna victoriam reportaverimus, quam diligentissime caveamus, ne quid detrimenti posthac a Danis accipiamus, atque in regnum nostrum, honore et magna prædæ vi aucti, revertamur. Insequenti nocte, rege Haraldo et plerisque aliis dormientibus, duæ naves clam se a classe subduxerunt, et ad terram appulerunt; quarum alteram gubernavit Magnus, regis filius, alteram vir, nomine Thorolvus, ex Mostra Sunhördiæ insula oriundus, ubi prædium possidebat, quare cognominatus est Mostrarskeggus (Mostrius). Hic magna erat statura et robore, animique præsentissimi. Hi relictis navibus in terram excurrerunt, gloriam paraturi. Non longe processerant, cum Danorum exercitum obvium habuerunt, inter quos deinde acerrimum ortum est prælium, neque longum, multitudine enim Danorum oppressi, omnes suos amiserunt; Thorolvus ipse cum Magno regis filio evasit, ita ut Thorolvus eum in sinu ad sylvam gestaret. Rex Haraldus insequenti mane eos abesse sentiens, eodem loco aliquantum temporis commoratus est; qui cum non redirent, putavit eos omnes mortuos esse; quare cum copiis se ad abeundum paravit, captivis abductis navibus Danorum omnibus, quæ defensoribus nudatæ erant, quasque ducere secum potuerunt, unacum omnibus, quibus onustæ erant, pecuniis. In celsa puppi navis Sveinis regis, invenerunt scrinium, in quo sanctæ reliquiæ sancti Vincentii diaconi servabantur, quod secum avexerunt. Rex Haraldus naves suas ab

austro duxit, donec in Vikam delatus est, ibi in terra tentoria poni, eosque, qui vulnera acceperant, curari jussit.

Cap. 83. Accidit die quodam, Haraldo in terra versante, ad inspicienda sauciorum vulnera, ut Thorolvus Mostrarskeggus eo adveniret, Magnum regis filium tergo gestans. Rex perquam gavisus est, cum gnatum incolumem videret. Thorolvus ex itinere perquam defessus erat, ut qui totum illud viæ spatium ab Hallandia usque in Vikam pedibus iter fecisset, regis filium gestans, et uterque cibi penuria male affectus erat. Quod animadvertens rex Haraldus, quæsivit: an Dani victas manus vobis dederunt? an putastis eos non ausuros armis vos impetere? Haudquaquam vos caute aut providenter fecistis, quod a nobis discessistis et in terram paucis cum comitibus egressi, in hostium globos incurristis, cum ego vos etiam atque etiam admonuissem, ne Danis copiam nostri faceremus. Jam vestra imprudentia et temeritas magnopere nostram victoriam corrupit; quam omnes una reportavimus victoriam, ea satis contenti esse potueratis; hæc vero res nostræ gloriæ magnum detrimentum attulit, qui rem antea tam feliciter gessissemus; quanquam istud damnum nunc reparari non potest. Ingentes tibi, Thorolve, gratias ago, amplumque honorem polliceor, qui tantam ostenderis fidem ingeniumque liberali viro dignum, ut pro salute gnati mei vitæ periculum adire non dubitaveris. Idem primo omnium gratias ago Hakoni dynastæ, affini meo, deinceps omnibus, militibus, pro eximia opera et fortitudine, quam in hac pugna mihi præstitistis. Ita rex finem dicendi fecit, ut omnes testarentur, orationem sibi placere, modo ut fidem verbis datam præstaret. Post hæc Magnum filium et Thorolvum

quam diligentissime curari jussit. Quibus actis rex Haraldus cursu continuato Osloam pervenit, ibi consedit, omnibusque copiis redeundi domum veniam concessit.

Cap. 84. Rex Svein hanc hiemem in Dania egit, regnum adhuc ut antea, retinens; misit hieme septemtrionem versus in Hallandiam, qui Carolum cum uxore arcesserent; quos cum missi reduxissent, rex Carolum ad se vocatum interrogavit, an se cognosceret, putaretve ab se unquam visum. Cui Carolus: nunc te agnosco, et tunc quoque te agnovi, Deoque acceptum referendum, domine, quod ex exigua illa, quam tibi præstiteram, hospitalitate utilitatem percepisti. Rex: omne, quo posthac fruar, vitæ tempus tibi debeo; quare hoc primum esto, quod tibi prædium, quodcunque in Sjalandia tibi optaveris, dabo, quo accedet, quod te virum potentem faciam, si ad hanc rem aptus es. Carolus regi gratum animum testatus, restare adhuc dixit, quod ab eo petere vellet. Regi quid esset quærenti, Carolus: volo, inquit, abs te impetrare, ut uxorem meam mihi comitem esse permittas. Hoc permittere nolo, inquit rex, dabo enim tibi in matrimonium multo meliorem et prudentiorem feminam; hæc autem quam habuisti uxor rusculum quod antea incoluistis habeat, quod ei satis, unde vivat, suppeditabit; quanquam tua gratia melius eam tracto, quam sua stultitia meruit. Rex Svein amplum prædium uxoremque illustri loco natam Carolo dedit, qui vir evasit magnæ auctoritatis. Omne hoc eventum fama late divulgatum, cum celari minime posset, in Norvegiam quoque perlatum est.

Cap. 85. Rex Haraldus proximam post pugnam Nizicam hiemem Osloæ transegit. Autumno proxime præcedenti, copiis ex Dania rever-

sis, omnium ore versabatur illa pugna, quæ ante ostium Nizæ commissa fuerat, de qua nemo erat quin se multa et magna posse referre existimaret. Aliquo die multi homines in hypogæo quodam considentes, de prælio Nizico, quique inde maximam reportassent laudem, disputabant; quos inter omnes convenit, neminem Hakoni Ivaris filio virtute parem fuisse; ille, inquiunt, fuit prudentissimus, excellentissimus, fortunatissimus, illius opera plurimi fuit, ille auctor victoriæ fuit. Haraldus, qui extra in area cum aliquibus hominibus sermones serebat, ad ostium hypogæi accessit, et dixit: credo hic quemque Hakonem velle nominari; quibus dictis discessit. Hakon dynasta eodem autumno in Uplanda rediit.

Cap. 86. Accidit aliquando insequenti vere in æstatem declinante, ut inter pocula de Nizico prælio sermo esset, quibusdam Hakonem dynastam magnopere collaudantibus, quibusdam alios non minus fortiter pugnavisse dicentibus. Tum aliquis subjecit: fieri quidem potest, ut plures, quam Hakon dynasta, ante ostium Nizæ fortiter pugnaverint, neminem tamen ibi puto adfuisse, cui par contigerit fortuna atque Hakoni. Ceteris dicentibus, ea re haud dubie maxima usum fortuna fuisse, quod multos Danorum in fugam pepulisset; idem vir reposuit: magis ei fortuna favit, cum Sveini regi vitam dedit. Aliquis[1] ei respondit: id quod jam dicis, haud tibi cognitum esse credo. Ille contra: hoc certo scio, nam qui eum in terram exponebat, mihi narravit. At hic usu venit, quod vulgo dicitur, multas esse regibus aures; nam hæc res extemplo regi Haraldo est nuntiata, qui sine mora magnum equorum numerum adduci jussit, dieque in vesperam declinante, Osloa equitavit, duabus centuriis mili-

[1]) aulicus, add. *H.*

tum stipatus, qui cum per totam noctem diemque sequentem equitaverant, inciderunt in homines obviam equitantes, qui farinam atque polentam in oppidum vexerunt. Uni ex comitibus regis nomen erat Gamali; is colonum quendam sibi familiarem adequitavit, et cum eo secreto collocutus: volo te mercede conducere, inquit, ut, quam poteris celerrime, semita clandestina, quam maxime compendiariam esse noveris, ad Hakonem dynastam equites, eique dicas, regem eum interficere statuisse, esse enim jam certiorem factum, regem Sveinem ante ostium Nizæ ab eo clam in terram expositum esse. Confécto inter eos negotio, colonus cursu citatissimo equitavit, et ad dynastam, antequam cubitum iret poculis jam indulgentem, pervenit. Ut vero colonus mandata exposuerat, dynasta cum omnibus suis e vestigio surrexit, omnesque res mobiles in sylvam avehendas curavit; omnes quoque homines villam reliquerunt. Rex postero die advenit, unaque nocte ibi transacta, cum suis reversus est.

Cap. 87. Hakon dynasta orientem versus continuato itinere in Sveciam ad Steinkelem regem Svionum pervenit, apud quem per æstatem commoratus est. Cum jam processerat æstas, Hakon dynasta, cum cognovisset regem Haraldum in regni partes septemtrionales concessisse, in Uplanda se recepit; ubi, donec rex a septemtrione rediret, commoratus, orientem versus in Vermalandum revertit, et ibi magnam partem hiemis consumsit; hanc enim provinciam rex Steinkelus ei administrandam dederat. Hieme jam præcipite, iter occidentem versus fecit in Römarikiam, magnum ducens numerum militum, quos a Gothis et Vermalandis acceperat; hac expeditione ab Uplandis mercedes prædiorum et vecti-

galia exegit, quo facto orientem versus in Gothiam revertit. Rex Haraldus autumno orientem versus in Vikam iter fecit, ubi hiemem Osloæ transegit; misit in Uplanda, qui exigerent vectigalia et prædiorum mercedes, quæ possidere sibi visus est. Quibus Uplandi responderunt, sese Hakoni dynastæ vectigalia et prædiorum mercedes solvisse, quod etiam se facturos, dum viveret, neque commisisset, unde vita aut regno suo privaretur, ostenderunt. Qua re factum est, ut hac hieme nullæ prædiorum mercedes ei penderentur.

Cap. 88. Hac hieme nuntii et legati inter Norvegiam et Daniam intercesserunt, his cum mandatis, velle utrosque, et Norvegos et Danos, gratiam inter se reconciliare, quod ut utriusvis nationis reges confirmarent, orare; quæ mandata magnam spem pacis constituendæ ostenderunt, atque eo tandem res venit, ut conventus de pace ad Albim condiceretur. Atque insequenti vere utrique reges magnum contraxerunt copiarum numerum, multasque ad hanc profectionem naves paraverunt, id quod poëta testatur in carmine quodam breviori, quod de regum itinere agit; cujus hoc initium est:

Rex, qui regnum classe defendit,
mare ad boream freti Orani situm
longarum navium proris circumdat;
corvus super capite acutum clangit.
Exstantes prorarum perticæ, auro
fulgentes, æstum sulcaverant, compagesque
tabularum tremuerat, vento
ad occasum acrius spirante[1].

---

[1]) Ordo: *Gramr a), sá er gerðir b) grund, lykr c) lángskipa stöfnum, norðr frá Eyrarsundi; [hrafn gelr hátt yfir heila höfn d). Framm e) hallandi f) brandar g), glæstir gulli h)*

Idem porro cecinit:

Haralde, servans promissorum,
sæpe terram classe circumdedisti;
Svein quoque freta insularia
sulcat, alium regem conventurus.
Hic bellicosus rex, laude celeber, qui
quodvis maris brachium proris
cingit, haud exiguas ab austro
copias omnium Danorum educit[1].

Reges, Haraldus et Svein, quo loco et tempore præcedenti hieme pacti erant, convenerunt, et ad confinia regni utrique præsto adfuerunt; cujus rei hoc loco mentio fit:

Rex fortis, austrum versus contendisti,
quod omnes Dani constitutum
flagitarunt conventum, cujus habendi
necessitas nunc non minor esse videtur.

---

ristu i) gjálfr, en súðir k) skjálfa l): fyrir vestan [var heldr m) hvast.

a) *gram, H.* *b*) *gjörði, H.* *c*) omitt. *H.* *d*) cum mentio corvi gestientis h. l. minus apta videatur, præferre non dubito lect. *Hk.: hrafngælir sparn hæli höfn*, delectator corvi (rex bellicosus) portum carina calcavit (in portum classe invectus est). *e*) *framit, H.* *f*) *Halland, H*; quod si *Hallandi* de provincia Hallandia intelligere malis, subaudienda erit vocula *með*, i. e. *framm* (*með*) *Hallandi*, secundum oram Hallandiæ. *g*) Sic *Hk.*; *branda, A*, cet. *h*) i. e. clypeis inauratis. *i*) *rista*, (præs.), *Hk.* *k*) tres Codd. *Hk.*, in quibus duo membr., habent *hlýðor*, quam vocem, ut difficiliorem, miror ab Interpr. in textum non receptam. *l*) Sic *Hk.*; *sjálfa, A.* *m*) *und herr*, sub exercitu, *Hk.*, refer. ad *ristu*, tum *hvast*, adv. celeriter v. magna vi.

[1]) Ordo: *Eiðfastr Haraldr, gerdut a) opt skeiðum fyrir jörðu; Sveinn skerr ok eysund til fundar annars konúngs. Lofsnjallr hrafngrennir, hinn er lýkr hvern vág b) stöfnum, hefra út litit lið allra Dana sunnan.*

a) *gerðir* (2. sing. imperf., v. 3. sing. præs.), *Hk.* *b*) *vegh, H.*

Impiger Svein boream versus ad regnorum
confinia contendit, ut Haraldum
conveniat; tunc ante
latam terram ventus sæviit[1].

Cum reges convenissent, et de pace agere cœpissent, extemplo Dani murmurare cœperunt, querentes, quod multa detrimenta ex rapinis et populationibus Norvegorum accepissent, unde factum, ut pax diu dubia esset, uti hoc loco memoratur:

Quando utriusque cives conveniunt,
animosi coloni voce perquam
alta res valde multas memorant,
quæ animos eorum angunt.
Cives, qui pertinaciter de rebus
contendunt, pacificationem
non lubenter admittunt. Elatus
populi animus intumescit[2].

Poëta porro cecinit:

Si pax facienda est, finis bello
inter reges certe componetur. Viri
qui lites componere norunt, omnia

---

[1]) Ordo: *Snjallr gramr! sýstoð a) suðr, þar er [allir Danir b) æsto c) mæltrar stefnu: enn sèr eigi minni efni. Nær Sveinn tekr at nenna norðr til landamæris* (at) *finna Harald; varð vindsamt d) fyrir viðri jörðu.*

a) Sic *Hk.*; *sú stóð* (rect. *sustoð*), *A*, cet. *b*) Sic *Hk.*; *allra Dana, A*, cet. *c*) Sic *Hk.*; *Svía, A*, cet. *d*) metro aptius esset *vinnsamt*, eod. sensu, quod habet Cod. membr. *A*, *Hk.*

[2]) Ordo: *Er seggir hvarstveggja a) hittast, telja snjallir búendr b) mjök hått c) allmörg orð, þau er fyrða ángrar. þegnar, þeir er þreyta d) allt í gegnum, láta eigi brátt við sáttum: ofrhugi e) svellr öllu f).*

a) Sic *Hk.*; *hvartveggja, A.* *b*) *bændr*, id., *H.* *c*) Sic *Hk.*; *hitt, A.* *d*) *þræta*, disceptant, *Hk.*; *þrænda, H.* *e*) *ofrhuginn, H.* *f*) potest accipi *öllu* pro *öldu*; *jöfrum*, regum, *Hk.*

negotia æqua lance pensitant[1].

Auctoribus deinde prudentissimis et optimis viris, factum est, ut pax inter reges constitueretur, ea lege, ut rex Svein Daniam, Haraldus Norvegiam obtineret, iisdem terminis, qui antiquitus fuissent inter Norvegiam et Daniam; neuter alteri res restitueret, bellum quo rerum statu ortum esset, eodem et cessaret, sed cuique, quod fecisset lucri, cederet; hæc pax valeret, dum ipsi reges essent; qua pace jurejurando confirmata, reges inter se obsides dederunt, uti hi versus memorant:

Audivi, utrosque, hilarem Haraldum
ac Sveinem, alteros alteris obsides
dedisse, ad vitanda incommoda:
quæ res optime provisa est.
Ibi res ad perfectam reconciliationem
pervenit, adhibitis testibus plenaque
pace facta, ut nulla de re dissensio esset.
Quæ pacta utinam illi servent[2].

His actis, rex Haraldus cum suis septemtrionem versus in Norvegiam, rex Svein austrum versus in Daniam revertit.

Cap. 89. Rex Haraldus hac æstate in Vikâ

---

[1]) Ordo: *Ófriði a) jöfra verðr b) allhætt, ef sættast skal: þeir menn, er kunnu c) miðla, vega öll mál í skálum.*

a) ofreiði, ira, *Hk.*, quod forte rectius, vide stroph. præced. *b) varð* (imperf.), *Hk.* c) *kunna*, id., *H.*

[2]) Ordo: *Hefik heyrt hitt, at glaðr Haraldr ok Sveinn settu a) hvartveggi öðrum gisla at b) meinum; þat [var góð sýsl c). þar laukst d) fylld e) sátt með váttum ok öllum f) fullum frið, at hvárgi skyldi g): þeir haldi svá særum h).*

a) sættu (æ pro *e*), *H*; *setti* (sing.), *Hk.* *b) við*, id., *Hk.* c) *guð sýslir*, Deus efficit, procurat, *Hk.* *d)* Sic *Hk.*; *lauk*, *A.* e) *ferð*, *Hk.*, i. e. *þeir ok öll ferð haldi svá s.*, illi totusque populus. *f) öll i*, *Hk.* *g) skerði*, ut neuter (pacta) violet, *Hk.* *h) sárum*, prave, *H.*

se continuit; misit in Uplanda, qui tributa et vectigalia, quæ ibi possedit, cogerent; coloni autem se soluturos negarunt, dicentes, se exspectaturos, donec Hakon dynasta advenisset, qui pro iis responsa daret, et de vectigalibus, quæ rex tanquam sua postularet, decerneret; regii igitur re infecta reverterunt. Hakon dynasta eo tempore in Gothia versabatur, magnum habens numerum copiarum; ubi autem æstas processerat, rex Haraldus austrum versus profectus, cum Konungahellam venisset, omnibus ibi cursoriis, quas acquirere potuit, captis, Albi subvectus est; intervenientibus cataractis, naves terra circumducendas curavit, atque ita tandem in lacum Vænerem pervenit; dein orientem versus per lacum transremigavit ad eum locum, ubi Hakonem dynastam se continere fama cognoverat; cujus de profectione cum dynasta famam accepisset, e Gothia movit, nolens bellum Gothis ab rege inferri. Hakon dynasta magnum habuit exercitum, quem Gothi ei tradiderant. Rex Haraldus naves in fluvium quendam subvehendas curavit, dein escensionem in terram facere cœpit, parte copiarum navibus custodiendis relicta. Ipse rex equo vehebatur, et pars militum; multo autem plures pedibus iter fecerunt; erat iis per sylvam quandam proficiscendum; tum excepere virgulta sylvestria et tumuli; quorum conscenso aliquo, copias dynastæ conspexerunt, una tantum palude inter utrumque exercitum intercedente; hoc loco utrique aciem instruxerunt. Hic rex Haraldus: jam in ripa considamus, primo impetum hostium exspectaturi, Hakon enim moræ impatiens est, inquit. Cælum erat gelidum, et paululum antea ninxerat. Rex Haraldus ac sui clypeis tecti consederunt; Gothi vero, quippe tenuiter vestiti friguerunt. Dy-

nasta suos exspectare jussit, donec rex eos adoriretur, ut uterque exercitus æquo loco staret. Hakon dynasta signum habuit, quod domina Ragnilda ei dederat, quodque Magnus rex Olavi filius, pater ejus, antea possederat; hoc signum rex Haraldus cupide appetiverat, neque obtinuerat. Prætor Gothorum, nomine Thorvidus, in exercitu Hakonis dynastæ versabatur; hic equo insidebat, cujus habenæ paxillo, paludi defixo, alligatæ erant. Thorvidus prætor hunc in modum verba fecit: novit Deus, nos magnum habere atque splendidum exercitum, militesque ad pugnam admodum fortes; faciamus, ut rex Steinkel fama accipiat, nos huic bono dynastæ strenue opem tulisse; certo quidem scio, nos impetum Norvegorum fortiter excepturos; et si juventus gradum referat, caveamus, ne longius quam ad rivum fugiamus; sin vero juventus longius pedem referat, quod quidem non futurum certo scio, haudquaquam longius quam ad tumulum cedamus. Hoc eodem temporis momento exercitus Norvegorum exsiliens, clamorem bellicum sustulit, gladiisque ad scuta concrepuit. Tum etiam exercitus Gothorum edere clamorem cœpit; equus autem prætoris, clamore consternatus, tanta vi exsiliit, ut paxillum ex palude extractum capiti prætoris illideret. Hic ille, „væ tibi jaculanti" dicens, statim equo admisso aufugit. Rex Haraldus ita suis præceperat: etsi clamorem tollamus, strepitumque faciamus, caveamus, ne de tumulo descendamus, priusquam huc ad nos pervenerint. Illi imperata fecerunt; ut autem tolli clamor cœpit, dynasta signum proferri jussit; in quos tumulo subeuntes rex cum exercitu e loco superiore impetum fecit, in quo magna statim cecidit multitudo dynastæ militum, reliqui in fugam se converterunt: hic signifer

dynastæ interfectus signumque a regiis captum. Norvegi haud longe fugientes insecuti sunt, dies enim jam ad vesperam declinaverat. Ibi Nordmanni quantum potuerunt vestimentorum et armorum ceperunt; ad naves descendentibus, rex utraque signa præferri jussit, fortunam suam hac vice eo maxime prædicans, quod signo potitus fuisset. Inter se collocuti, dynastam haud dubie cecidisse jactabant. Progredientibus autem per sylvam, ubi singuli tantum iter facere potuerunt, necopinato vir quidam, per transversam semitam equo admisso vectus, uno eodemque temporis momento et eum, qui signum a dynasta possessum tulit, hasta transfodit, et pertica cum signo correpta, in alteram sylvæ partem citatissime aufugit. Quo nuntiato rex: date mihi loricam meam, inquit, adhuc enim dynasta vivit. Rex eadem nocte ad naves suas equitavit. Tum multi fassi sunt, dynastam rependisse, quod in fugam conjectus esset; tum Thjodolvus hos versus composuit:

Milites Steinkelis, qui dynastæ
in pugna hilari opem ferre
voluerunt, ad necem dati sunt;
cujus rei auctor fortis rex erat.
Is vero, qui hanc rem excusat,
dicit Hakonem celeriter gradum
retulisse, quod missa ei auxilia
minus utilem operam præstiterunt[1].

---

[1]) Ordo: *Öld Steinkels a), [sú er b) vildi c) veita lið ógnteitum jarli, d) gefin helju; styrkr e) stillir olli því f). En Hákon lèt hörva hvatt g) fyrir, þviat aflván h) þaðan i) reyndist k) hánum illa l): segir hinn er fegir m).*

a) Sic *H, M, Hk.*; *Steinkell, A.* *b*) *sás*, id., *Hk.* *c*) *skyldi*, debuerunt, *Hk.* *d*) *var*, add. *Hk.*; *er*, add. *H*; sed bene subauditur. *e*) *sterkr*, id., *H, M, Hk.* *f*) *styr*, pugnæ, *M.* *g*) Sic lego, præeunte Celeb. F. Magnusenio; *hvat*, cet. *h*) *alf*

Cap. 90. Rex Haraldus reliquam partem noctis in navibus suis commorabatur, die autem illucescente, cum concreta glacies naves circumdedisset tanta crassitudine, ut iri circa pedibus posset, rex suis imperari jussit, ut glacie excidenda viam navibus ad lacum aperirent. Jussi in glaciem progressi, eam cædere aggrediuntur. Magnus, regis filius, ei navi præfuit, quæ ex navibus glacie detentis extrema, lacui vero proxima, jacuit. Cum autem glacies pæne esset excisa, vir quidam per glaciem eo accurrit, ubi glacies excidebatur, tantaque vehementia opus aggressus est, ut si furore et amentia captus esset. Tum dixit aliquis: nunc idem, quod sæpius, evenit, ut nemo, quicquid facere aggrediatur, operam tam strenue navet, quam Hallus Kodranicida; vide sis, quanta strenuitate glaciem cædat! Erat vir quidam in nave Magni, regis filii, nomine Thormodus, Eindridii filius; qui cum audivisset Kodranicidam nominatum, Hallum agressus letali vulnere percussit. Kodranus erat filius Gudmundi Eyolvi filii, Valgerda autem, soror Gudmundi, erat mater Jorunnæ, matris Thormodi; Thormodus erat amiculus, cum Kodranus occisus est, neque ante id tempus unquam viderat Hallum Otryggi filium, ut eum ab aliis dignosceret. Tum etiam glacie in lacum usque intercisa, Magnus suam navem ex glaciei angustiis solvit, et occidentem versus per lacum transnavigavit; navis autem regia, quæ in intimis glaciei angustiis staret, postrema exiit. Hallus inter aulicos regis fuerat, multum apud eum gratia pollens, quare rex (ob cædem ejus) maximam conceperat iram; qui cum portum sero vespere intraret, Magnus interfectorem in syl-

ron, *H*, prave. *i*) i. e. ex Svecia. *k*) *reyndust* (plur.), *H*, *M*. *l*) omitt. *H*. *m*) *þat fegrir*, id., *Hk.*, *M*.

vam dimiserat, pecuniamque pro cæde ab eo patrata obtulit; qua conditione a rege pernegata, prope factum esset, ut Magnum filium aggrederetur, nisi amici eorum, gratiam inter eos reconciliaturi, advenissent. Dein Thormodus Eindridii filius austrum versus in Daniam, inde Constantinopolin se contulit, ubi eum in numerum militum mercenariorum recipi optaret, ab imperatore Constantinopolitano, cui exigua statura videretur, non receptus est. Die vero aliquo, rege in ambulacro quodam ambulante, vidit bovem ingentem in forum adduci, quem Nordmanni emerunt; adiit Thormodus, unoque ictu caput bovi abscidit; tum rex: plura hic vir validis ictibus haud dubie cædere poterit, quam solos boves; deinde rex Thormodum in numerum suorum adscivit, qui diu deinde ibi stipendia fecit. Hakon dynasta Ivaris filius, vir maxime insignis habitus est; filiæ ejus nomen erat Sunnivæ, filio Hakoni, qui filiam Sveinis regis Ulvi filii in matrimonio habuit; quorum filius erat Erikus Lamb (Ovicula), Danorum rex; atque hic in præsens clauditur narratio de rebus inter Haraldum regem et Hakonem dynastam intercedentibus.

Cap. 91. Hac eadem hieme, qua rex Haraldus et Hakon dynasta, ut modo commemoratum, prælio contenderunt, rex Haraldus, navibus ad lacum Vænerem relictis, in Römarikiam iter fecit, magno stipatus copiarum numero; crimina colonis intentavit, quod tributa et mercedes jussi non pependissent, adversariosque ad se bello lacessendum juvissent. Accesserunt plures dissidiorum causæ. Afferebant enim Uplandi, privilegia sibi præ ceteris Norvegiæ colonis, multis rebus commodiora, ab rege Olavo sancto concessa, tam quod attinebat mercedes prædio-

rum, quam expensas bellicas; adferebant et multa alia privilegia, ipsis ab rege Olavo post pugnam Nesiacam data, quod eum auxiliis juvissent, cum Norvegiam Sveini dynastæ Hakonis filio extorsisset, eoque pulso sibi subjecisset. Quamobrem regi Haraldo non convenire credebant, privilegia ipsis concessa, quibus superiorum principum ætate usi essent, minuere, his præsertim in locis, ubi ipsius patria et possessiones gentilitiæ essent. Contra ea rex Haraldus contendit, omnes Norvegos pari natalium conditione, æquo jure uti oportere. Tangit hanc rem carmen laudatorium, quod Thjodolvus de Haraldo rege composuit:

Coloni, contentionis cupidi,
dixere, leges a rege minime
observari; populus regni rem
mali exempli cœptavit.
Sed inimici regis, qui
populo eorum cœptorum
auctores fuerant, ipsi
sævas pœnas dederunt[1].

Cui carmini sequentes insunt versus intercalares:

Totus populus bellicosum
regem veneratur; vix civibus
[quicquam reliqui est, nisi ut,
quæ jubeat facienda rex, probent[2].

---

[1]) Ordo: *Landkarlar, lystir sleitu, lètu a) gram varla sæma lög; öld b) gerði c) ódæmi á jörðu. Ok tröll brutu hris i hleypikjöla d) hæls e) þeim andskotum visa, er f) ollu því ráði þjóðar g).*

a) *lètoð*, cum negatione, *Fagrsk.*, sensu non mutato. *b*) Sic *H*, *Fagrsk.*; *öllum*, *A*. *c*) *gjörði*, id., *H*. *d*) Sic dedi; *kjolu*, *A*, *Fagrsk.*, cet. *e*) *hljess*, *H*, adverso metro; *hleypikjölar hæls*, rhedæ cursoriæ calcis, pedes. *f*) *ur*, *H*. *g*) Sic dedi; *þjóðir*, *Fagrsk.*, et in var. l. *þjóðar*; *þjóða* (plur.), *A*.

[2]) Quæ a signo sunt, omitt. *M*; vide cap. 57, stroph. 1.

Cum rex in Römarikiam venit, colonos comprehendi jussit, quorum alios membris mutilavit, alios occidit, alios omnibus fortunis spoliavit, quibus elabendi facultas esset, aufugientibus; passim provincias incendiis delevit tractusque incolis penitus vastavit, teste Thjodolvo:

Oppressor insulanorum Römos
duro freno compescuit.
Ibi strenue puto processisse
aciem inclytissimi Haraldi.
Ignis ad pœnam infligendam
auctore rege accensus est, tumque
altum incendium miseros
colonos in ordinem coëgit[1].

Dein Heidamarkam ingressus, ea loca non secus ac priora incendiis et populationibus devastavit; inde per exteriora in Hadalandum et Ringarikiam delatus, ubique igne ferroque grassatus est. Sic Thjodolvus:

Suppellex arsit civium atrocium;
ignis tecto immissus hæsit.
Oppressor ducum Heidmarkenses
duro lapide percussit (i. e. gravi pœna multavit).
Incolæ vitæ gratiam petiere;
flamma Ringariki incolis violentam
sententiam dixit, antequam
obtinerent, ut ignis restingveretur[2].

---

[1]) Ordo: *Hneykir hólmbúa a) tók harðan taum við Rauma: ek hygg fylking hins b) frægsta c) Haralds gengu d) fast. Eldr var gjörr at gjaldi e), gramr rèð; en þá f) tæði hár hrótgarmr g) at færa arma búendr h) í hóf.*

a) i. e. piratarum et prædonum. *b*) *en*, *H.* *c*) *frækna*, fortis, *Hk.* *d*) *gingu*, var. l. *Hk.* *e*) *gjöldum*, id., *Fagrsk.* *f*) add. *Hk.*, *Fagrsk.*; *Hk.* non bene habet *gramr en þá rèð tèði*, pro *gramr rèð, en þá tèði.* *g*) *hrotgramr*, prave, *Fagrsk.* *h*) *bændr*, id., *H*, *M.*

[2]) Ordo: [*Gagn greipra þegna brann: glöð varð föst í*

Quo facto coloni res suas regis potestati commiserunt. Post obitum Magni regis [duodecim effluxerant hiemes*, indeque duæ, antequam reges Haraldus et Svein pacem inter se fecerunt. Sic Thjodolvus:

> Enses chalybei ante litora clypeos
> attriverant. Rex Hördorum bello
> finem imposuit; et tertio anno
> ad pacis conditiones descensum est[1].

Qua pace facta contentio regis cum Uplandis tria semestria duravit, teste Thjodolvo:

> Nunc difficile est, rei
> convenienter exponere facta,
> quibus princeps Uplandos
> nudo uti vomere docuit.
> Egregius ille rex his tribus
> semestribus proxime elapsis

---

tróði; hertoga hristir laust a) Heina b) illum steini c). Lýðir d) báðu sèr lífs; logi þíngaði Hríngum nauðgan dóm, áðr e) næmist f) niðrfall Hálfs galla g).

a) Sic *H*, *Hk.* et meum exscr.; *laut, A*, prave. *b*) Sic *Hk.* et meum exscr.; *heima, A*, male. *c*) priorem semistropham omitt. *M.* *d*) *lýðar*, id., *Fagrsk.* *e*) *en*, add. *Fagrsk.* *f*) Sic *Hk., Fagrsk.; næði, A.* *g*) posteriori semistrophæ *M* subjicit versus intercalares: *lýtr fólkstara feiti* etc.

*) quindecim effluxerant hiemes ad pugnam Nizicam, *Hk.*, quod verius; sententia in *A* nimis est abrupta et ambigua, et numerus (12) haud dubie ex prava vel ambigua scriptione XII pro XV ortus.

[1]) Ordo: *Stál bitu rendr a) fyrir ströndu. Fylkir Hörða færði starf til króks b): friðr namst at hvarfi c) þriðja árit.*

a) *et þrendr, H*, forte curruptum ex *þriðja rendr*, vel ex *ár* (*ét þ. rendr*). *b*) *færa til króks*, ad verbum: ducere ad ancoram, metaph. finem imponere. *c*) *hvarf*, refugium, h. *nema at hvarfi*, confugere ad aliquid, quemadmodum *Fms.* 4. p. 292 *gera sèr einn at hvarfi*, insinuare se ad aliquem. Interpp. *Hk.* T. 3. et 6. *Hvarf* h. l. accipiunt pro Hvarvsneso, promontorio prope Bergas.

adeo diutinam sibi comparavit
gloriam, ut perpetuo duratura sit[1].

Postquam omnes inter eos dissensiones compositæ erant, rex Uplauda convivando obiens exceptus est a viro quodam nomine Arnio, auctoritate multum pollente. Qui, quod omnium provinciarum incolæ in gratiam cum rege redierant, testatus est, omnibus incolis gaudio esse, quod rex otio et gratia amicorum floreret.

Cap. 92. Ulvus Dives nominatus est vir, cui in Uplandis prædia erant quatuordecim aut quindecim; hunc uxor hortata est, ut more multorum procerum regem ad convivium invitaret: hoc enim rex benigne accipiet, inquit, tibique in vicem honorem tribuet. Cui Ulvus: haudquaquam omnes pro meritis rex iste tractat, quare mihi animus non inclinat, ut eum invitem: vereor enim, ne divitiis meis invideat, bonaque mea justo licentius concupiscat; potius suspicor fore, ut graviora mihi onera quam aliis imponat, quam ut benevola officia, si qua præstitero, justo præmio remuneret. Ulvus, qualibuscunque tandem verbis de hac re usus fuerit, solo amore ductus uxoris, Haraldum regem adiens domum suam invitavit, ut primum a convivio apud Arnium abiret. Qui cum se venturum pollicitus esset, domum reversus convivium magnifice apparavit. Rex eo, dicto tempore, advenit; omnis apparatus erat splendidus; suppellex mensalis, vasa vinaria et stragula tricliniaria, hæc omnia

---

[1]) Ordo: *Nú er vandmælt, svá at af standist, of þau verk, er vísi kendi Upplendingum at eiga auðan a) plóg. Höfuð*) svinns þengils hefir þessi þrjú missari b) fengit sèr c) [svá lángs d) tírar e), at æ mun vinnast.*

a) Sic *Hk.*; *auðar*, *A.* *b*) *misserin*, id., *Hk.* *c*) Sic *Hk.*; *sveit*, *A.* *d*) Sic *Hk.*; *svá lags*, *A*, mendose; *sárlags*, *H.* *e*) Sic *Hk.*; *ritar*, *A.* *) *höfðu*, *H.*

erant antiqua, pretiose ornata et ad speciem eximia. Aliquo die convivii, cum omnes convivæ sedes suas occupassent, rege et omnibus suis magnam hilaritatem præferentibus, rex locutus est: bene convenit, hocce convivium aliquo oblectamento exhilarare. Omnes dixerunt, hoc bene dictum esse, ideoque hæc ab eo esse proposita, quod ipse convivas aliquo modo delectaturus esset, magno convivio honori esse testantes, si talis vir ceteris lætitiam afferret. Rex itaque orsus: brevis cujusdam narrationis, inquit, tale initium est: Sigurdus Risius nomen erat uni filiorum regis Haraldi Pulcricomi, qui Sigurdus filium habuit, nomine Halvdanem. Dynastæ quoque regis Sigurdi nomen fuit Halvdan, servo Almstein; qui omnes, rex Sigurdus, dynasta et Almstein, cum pæne æquales essent, inter regem ac dynastam jurata intercedebat amicitia: omnes vero tres, dum in teneris essent, ludos pueriles inter se communicarant. Cum vero [tempus processerat[1], rex Sigurdus in morbum incidit; quem cum letalem sibi fore, animo præsagiret, Halvdanem dynastam ad se vocavit, eique curam regni, filii nomine, commisit, quod ei maximam fidem haberet, fore, ut filio fidelem tutelam præstaret, eique, propter jurati fœderis amicitiæque, quam diu inter se coluissent, necessitudinem, regnum servaret. Post non ita multo rex mortuus est.

Cap. 93. Dynasta Halvdani, regis filio, ejusque regno firmo præsidio fuit, mercedes prædiorum ejus nomine collegit, et omnibus rebus ejus honori servivit. Erat dynastæ filius, regio filio æqualis, inter quos bona satis amicitia intercedebat. Almstein, qui eo tempore servus erat Halvdanis, regis filii, fuit ingenti statura, facie

[1]) diu una fuissent, *H.*

pulcra, robore valens, multarum artium peritus, et in rebus gerendis præ ceteris servis strenuus. Quo ortus genere esset, nemo dicere potuit. Hic operam suam in mercedibus filii regii per tres annos redigendis pollicitus est. Qui cum strenuitate notus esset, pæneque jurata necessitudine regi Sigurdo et Halvdani dynastæ junctus, neque ab rege pari cum ceteris mancipiis loco habitus fuisset, oblata conditio acceptus est. Hanc vero provinciam ita administravit, ut exigua tantum pars pecuniæ ad regem Halvdanem rediret. Mox Almstein pecuniam regis Halvdani ad varias terras navibus deportare, et ex iis lucrum facere cœpit, suasque esse dixit; multos quoque milites, tam in regno Halvdanis regis filii, quam aliis locis, largitionibus ad se pertraxit. Interea Halvdan dynasta diem obiit. Almstein, peregre redux, morte dynastæ cognita, extemplo villam regis Halvdanis magna manu invadit, ædibusque ignem subjicit; filius dynastæ cum Halvdane intus erat. Cum autem qui intus erant hostilem manum flammæque strepitum animadvertissent, regis filius et dynastæ filius specum subterraneam, cujus alterum ostium in sylvam pertinebat, ingressi sunt, atque sic evaserunt. Almstein villam incendit, regis dynastæque filios in ædibus vivos concrematos ratus. Juvenes, cum aliquamdiu in locis sylvestribus versati essent, tandem in Sveciam pervenerunt ad dynastam quendam, nomine Hakonem, a quo ut reciperentur petierunt. Dynasta, aliquantum temporis eos intuitus, tardius respondebat; tandem permisso hospitio, nullo eos honore habuit. [Hic tres annos commorati sunt[1]. Almstein imperium Halvdanis sibi subjecit, regiamque dignitatem nullo resistente adsumsit. Omnes ejus tyrannidem iniquo animo

[1]) omitt. *H.*

ferebant; erat enim ingenio ferox, eaque morum pravitate, ut raptas potentiorum colonorum uxores et filias, quamdiu ipsi libuisset, apud se retineret, et ex iis liberos procrearet.

Cap. 94. Cum juvenes tres hiemes apud Hakonem dynastam in Svionia commorati essent, die quodam eum adeuntes pro concesso hospitio gratias egerunt. Dynasta: vix est, Halvdan, quod pro hoc, quod vobis concessi, hospitio gratias agatis. Ut primum huc venistis, novi qui[1] essetis; nam rex Sigurdus, pater tuus, mihi amicissimus fuit; ideo vero exiguo vos honore habui, ne qua exiret fama in vulgus, vos superstites esse. Jam vero quoniam hinc abscedere statuistis, tres[2] vobis centurias militum in præsidium dabo; quæ quamvis exigua manus est, tamen usui vobis esse poterit, si sceleratum illum Almsteinem incautum opprimere potueritis; cujus rei non nulla spes est, nunc enim omnino securus est, quod vos ambos in ædibus incendio periisse existimat; quod si regnum et dignitatem vestram recuperare possitis, haud frustra negotium peragitur. Post hæc his copiis stipati proficiscuntur, nulla eos. præcurrente fama; villam Almsteinis insperato invadunt, ignem ædibus subjiciunt. Quæ cum ardere cœpissent, hi, quibus exeundi venia data, exierunt. Tum Almstein pacem implorare. Cui Halvdan: si res jure ageretur, dignus esses, qui eandem pœnam lueres, quam mihi nefarie irrogare cogitaras. Quoniam vero impari sumus dignitate, vitæ tibi copia erit, ea lege, ut ad nativam vitæ conditionem redeas, servus, quoad vives, re et nomine sis, tuique omnes, qui abs te nepotes descendent. Quam conditionem cum præsenti morti Almstein prætulisset, Halvdan ei

[1]) unde, *H.* [2]) duas, *H.*

unacum servi nomine albam tunicam viliorem dedit. Civibus dein ad comitia convocatis, regium nomen, totumque regnum a patre possessum recepit. Qua rerum commutatione omnes læti sunt.

Cap. 95. Almstein servus multos habuit liberos; a quibus ortum te, Ulve, existimo[1], cum Almstéin avus tuus paternus fuerit; ego vero nepos sum ex filio regis Halvdani. Itaque sic tu tuique cognati regias pecunias intervertistis, quemadmodum hoc loco ex vasis vinariis ceteraque supellectili videre est. Jam hanc indue albam tunicam, inquit rex Haraldus, quam Halvdan avus meus paternus Almsteini tuo paterno avo dedit, atque unacum hac nomen gentilitium resume, et ab hoc tempore perpetuo servus esto; hæc enim sententia lata est in comitiis, de quibus ante feci mentionem, in quibus Halvdani regium nomen datum est, ut avus tuus (talem) tunicam indueret; ad quæ comitia matres liberorum ejus venerant, omnesque liberi ejus tale vestimenti genus sumserunt; quod idem omnes eorum posteri facerent. Quibus dictis rex Haraldus tunicam quandam albam proferri ob oculos Ulvi jussit, hos simul versus pronuntians:

> An agnoscis hanc tunicam?
> vaccam regi pendere debes;
> atque bovem adultum
> regi pendere debes;
> porcum et anserem altilem
> regi pendere debes;
> liberos omneque quæsitum
> regi pendere debes.

Quibus versibus rex hos accensos[2] addidit:

[1]) inquit rex Haraldus, add. *H.* [2]) Versus accensi (*drag*) sunt versus justum alicujus strophæ versuum numerum excedentes.

multi sunt hominum doli,
temet[1] quoque[2] regi pendere debes.

Hanc itaque tunicam, Ulve, accipe, inquit rex, quam majores tui possederunt, simulque idem nomen idemque jus, atque illi usi sunt. Ulvus, etsi narratam ab rege historiam ex animo minus amico profectam judicaret, tamen neque obloqui, neque tunicam non accipere ausus est, uxore et amicis vetantibus, ne tantum in se dedecus sponte admitteret, quicquid tandem rex in eum statueret. Tum uxor, turba cognatorum comitata, regem adiens pacem Ulvo expoposcit, ne ea, quæ imminere videbatur, ignominia notaretur. Quorum precibus rex tandem victus, Ulvo quidem servitutis gratiam fecit, unumque ex quindecim prædiis, quæ possederat, remisit; reliqua vero prædia ejus omnia, cimelia, res pretiosas, aurum, argentum, vasa vinaria, ceteraque bona suæ possessioni vindicavit. Sic exiit res, ut Ulvus, antequam regem ad convivium invitarat, animo præsagiverat. Post hæc rex Haraldus in Thrandheimum reversus est, et Nidarosi consedit.

Cap. 96. Tradunt aliqua æstate Brandum, filium Vermundi Vazfjördensis, ex Islandia in Norvegiam venisse; is dictus est Liberalis, cujus cognominis veritatem experientia comprobavit. Brandus navem suam Nidarosum appulit; de cujus liberalitate et animi magnitudine Thjodolvus poëta, qui amicus ei erat, multa regi Haraldo retulerat. Quare, cum Brandus in oppidum venisset, hoc regi Thjodolvus nuntiavit, et denuo gratiam, qua in Islandia floreret, et liberalitatem multis verbis descripsit. Tum rex: faciam illico periculum, an tam sit liberalis, uti tu

[1]) *mos*] verti ex conjectura, forte proprie, nates; meum exscriptum habet *mús*, murem. [2]) omitt. *M.*

dicis; adi eum, atque ab eo pete, ut mihi togam suam det. Thjodolvus ivit, et tabernam quandam intravit, ubi Brandus aderat; is in solo stans, linteum metiebatur; coccina indutus tunica togam coccinam superinduerat, quam, ne metientem impediret, tæniis capiti impositis in tergum rejecerat; securim aureis lamellis ornatam sub ala habebat. Cui Thjodolvus: rex togam dono accipere cupit. Brandus opus non intermittens, nullo reddito responso, togam ex humeris remisit; quam Thjodolvus sublatam regi attulit, quærentique, ut res inter eos intercessisset, nullum Brando excidisse verbum significavit, negotiumque ejus et amictum descripsit. Rex: hic vir certe ingenio est ad magna adspirante, et haud dubie amplis natalibus, cui ne verbo quidem uti opus esse videretur. Redi, et dic, velle me securim illam aureis lamellis ornatam dono accipere. Thjodolvus: haud inclinat animus, domine, ut sæpius eam; nescio enim, quomodo sit accepturus, si telum, quod manu gestat, poposcero. Rex: tu hujus rei mentionem prior injecisti, et nunc, ut antea, liberalitatem ejus verbis multum exaggerasti, quam ob rem iterum rem tentato; neque enim liberalis mihi videtur, si securim non det. Thjodolvus regressus Brando significat, regem dono velle securim accipere; ille confestim securim, nihil locutus, porrexit; quam Thjodolvus regi attulit, et rem, ut acciderat, narravit. Rex: credibile est, hunc virum plerosque alios liberalitate superare, magnaque jam rerum pretiosarum accessio facta est. Iterum redi, meque dic tunicam habere velle, qua nunc indutus sit. Thjodolvus: haud convenit, domine, isto me negotio redire; potest enim fieri, ut se derideri a me existimet. Tu vero ito, inquit rex. Rediit itaque Thjodolvus, et Brando signi-

ficavit, regem velle tunicam dono accipere. Hic Brandus, opere quo erat occupatus intermisso, tunica se exuit, ne verbum quidem locutus; alteram manicam dissuendo abrupit eamque retinuit, tunicam vero in Thjodolvum conjecit, qui eam ad regem retulit. Qua inspecta, rex: hic vir et insignis prudentiæ et magni animi est. Facile intelligere possum, eum ideo manicam abrupisse, quod ei videar unam tantum habere manum, qua semper aliquid accipiam, nihil reddam; arcessite eum. Factum. Venit Brandus, qui ab rege benigne exceptus, magnum honorem et ingentia dona adeptus est.

Cap. 97. Haldor nomen erat potenti Norvego, regis Haraldi amico; hujus filia fuit Ingibjarga, femina prudens et venusta. Rex Haraldus cum in Thrandheimo se contineret, sæpe dignatus est, conviviis ab Haldore invitatus interesse, magnamque voluptatem ex colloquiis Ingibjargæ cepit, nam erat multarum rerum perita, et multis de rebus apte disserebat. Accidit aliquo autumno, ut Ingibjarga gravi valetudine implicaretur: venter ejus intumuit, ipsaque gravi æstu ac siti afflictabatur. Ipsa de valetudine sua pauca coram vulgo loqui voluit, unde variæ ea de re conjecturæ fuerunt, quibusdam putantibus, regem hujus mali auctorem esse. Sed deducta eo res est, ut morbus gravius invalesceret, quam ut humana opera effectus esse posset. Tum missus est qui ab rege peteret, ut huic malo consilio salutari subveniret. Advenit rex, morbique natura explorata, Haldorem allocutus: ea ratio mei itineris est, ut hic morari diu non liceat, mihi enim reginam, quæ morbo laborat admodum periculoso, convenire necesse est; tuam vero filiam, quæ gravi sane malo laborat, ad fontes quosdam uliginosos po-

taturam procubuisse, et vermiculum aliquem devorasse, hunc deinde in ventriculo ejus increvisse, vero simillimum existimo. Mea quidem hic loci mansio cum nullam allatura utilitatem videatur, consilium, quo hoc malum levetur, proponam; quod, etsi multum periculi habeat, si quid video, profuturum opinor. Potu eam abstinete, ne postulanti præbeatur; quod etsi iniquo animo ferat, nihil curate. Tum eam deportate in locum, ubi flumen ex rupe decidat; ex quo flumine rivulum tam exiguum derivate, ut loco, ubi constituti sitis, plus aquæ non deferatur, quam quod guttatim crebrius destillet; tam vero prope a rivulo sitis, ut sonus delabentis aquæ probe exaudiatur. Hoc loco sub rupe, ubi vos contineatis, pannus extendatur, in quo illa quam commodissime cubato, curate autem, ut is, quem visceribus contineat, quam maxime sitiat. Eam ibi loci continete, ubi aqua stillatim quidem os ejus riget, ipsa vero nullum potum nanciscatur. Tu, Haldor, cum aliquo acuto telo prope adsistito, et si fors ita ferat, quod futurum opinor, ut is, quem intus fovet, aquam petat, ex ore prodire conantem diligenter observato, cavens tamen, ne in conspectum prodeas. Hoc quam maxime caveto, ne telum prius intentes, quam brachia et cor prodierint: nam anterior serpentis pars venenum continet; posteriorem vero partem concoqui, nihil refert. Misere lamentantis nullam rationem habete, hæc enim curatio, si prosperum exitum habuerit, plus ei commodi est allatura. Cujus rei exitus fortunæ sanctique regis Olavi deprecationi permittendus, quem unacum Deo auxilii ergo invocate, omni hac, quam vos jam edocui, ratione adhibita. Post hæc rex discessit; Haldor vero ea, quæ præceperat rex, exsecutus est: loco ei sub rupe præparato, aqua

tam parce in os cubantis destillavit, ut sitis eo major excitaretur. Illa in questus effusa, præter spem accidere dictitavit, quod se pater tantis afficere cruciatibus vellet: at fieri potest, inquit, ut regis Haraldi crudelitas in me vim suam exserat. Quas querelas adstantes audire se dissimulabant. Pater prope adstitit, in occulto tamen, strictum gladiolum manu tenens. Vidit deinde rostrum horrendum ex ore prodire, seque mox intro retrahere. Paulo post serpens iterum emersit; qui cum aquæ cupiditate flagrans circumspiceret, corporis ejus magnitudo et forma aliquanto magis quam antea in conspectum venit, neque tamen ita ut telo peti tuto posset, iterum enim se in alvum immersit. Tertia vice ita prodiit, ut brachia probe ab Haldore conspicerentur. Qui, inprimis rege Olavo et Deo animitus invocato, procurrens serpentem ante os laborantis dissecuit, parte capitali excidente, altera intro relabente et in alvum se demergente. Quo facto illa tantopere elanguit, ut pæne mortua videretur. Inde cum quam lenissime domum reportata esset, paulatim revaluit; diu tamen langvida fuit, tantaque animi ægritudine et timore afficiebatur, ut res periculo non careret. Quare nuntio misso rex arcessitus. Qui cum eam convenisset, illa eum alloqui noluit. Causam quærenti, sermonemque ex ea multis modis elicere conanti tandem respondit, dicens, eum consiliis suis magnam in se crudelitatem ostendisse. Cui rex: experientia aliud docebit; nam tu, nisi hæc adhibita medicina fuisset, malum istum hospitem diu in sinu nutrivisses; nunc autem, Deo juvante, fieri potest, ut sanitati restituaris. Jam vota pro ea fiant, addidit rex, in primis Mariæ Deiparæ, cujus ascensionis festo Ingibjarga, si convalescat, hymnum „beati immaculati" et septem psalmos

canito. Quo voto nuncupato indies convaluit, ut brevi tempore integram sanitatem recuperaret. Quo facto ea, ut antea, inter omnes ferme matronas Norvegas dignissima connubio existimata est.

Cap. 98. Post non ita multo præfectorum aliquis, ætate juvenis et bonæ spei, omnibus rebus, quæ virum liberalem deceant, bene instructus Ingibjargæ nuptias petivit. Quæ conditio cum Haldori, patri ejus, non displiceret, per nuntiumque regem Haraldum, quid faciendum censeret, consuluisset; rex renuntiari jussit, non placere nuptum collocari; et Haldor quoque æquum censebat, ejus hac de re auctoritatem multum valere. Quare præfectus, qui eam ambiebat, regem adiit, ejusque sententiam de hac re exquisivit, dicens Haldorem, patrem virginis, rem ejus arbitrio permisisse. Rex idem respondit, se vetare, ne nuberet: a qua conditione si animum avertis, inquit, tuus amicus esse volo. Tum præfectus: multorum opinio est, domine, te ipsum animum ad eam adjecisse, ideoque alios ab ea ducenda prohibere. Rex: apparebit in posterum, quid ei fieri velim; hoc autem, quod sentio, dico, nemini licere eam ducere uxorem. Hinc factum, ut hoc negotium omnino rescinderetur. Paulo post rex cum Haldore et Ingibjarga colloquium habuit, cujus colloquii is exitus fuit, ut Ingibjarga, auctore rege ipsaque consentiente, in cœnobium[1] concederet, ubi ætatem consumsit, vitæ castitate morumque probitate sacro cultui devota.

Cap. 99. Accidit aliqua æstate, ut vir quidam Islandus, juvenis vegetusque, sed pauper, regem Haraldum adiret, peteretque, ut inopiam suam sublevaret. Interrogante rege, ecquid ad

[1]) monialium, add. *H.*

cognitionem frugiferum didicisset, se historias quasdam didicisse ostendit. Rex: recipiam te, ea lege, ut per instantem hiemem in aulicorum numerum receptus, ceteris optantibus, quocunque tandem petente, aliqua semper narratione aulicos oblectes. Ille sic fecit, brevique aulicorum favorem sibi conciliavit, a quibus donatus vestimentis est; rex vero ei eximium telum, quod manu gestaret, dedit. Interea processit tempus ad festum usque Jolense; tum Islandus affici tristitia cœpit. Quod animadvertens rex quæsivit, quæ causa esset tristitiæ ejus; illi ingenii instabilitatem causanti, rex: haud ita esse opinor, inquit, veram causam divinabo: existimo, te jam omnes quas didicisti historias enarrasse; quemcunque enim petentem hac hieme semper narrationibus oblectasti, idque sæpius, tam noctu quam interdiu; idcirco male te habere inopiam historiarum tempore natalitiorum, quod easdem semper narrare nolis. Ille: rem acu tetigisti, inquit, ea enim sola restat historia, quam hoc loco non audeam narrare, ut quæ de peregrinationibus tuis agat. Rex: at vero hanc ego historiam maxime audire aveo; quare ab hoc tempore, quo multis negotiis occupantur homines, ad tempus usque Jolense nullas historias narrato: primo autem die natalitiorum hanc historiam orditor, ejusque partem aliquam absolvito; eo enim tempore frequentes compotationes agitari solent, brevique tempore narrationibus audiendis vacare licet; ego vero te narrante rem ita temperabo, ut narranda historia tempori Jolensi sufficiat, neque interea senties, placeat mihi historia, nec ne. Res ita successit. Islandus die[1] natalitiorum orsus, non diu narraverat, cum rex eum desistere jussit; quo facto homines de

[1]) primo, add. *H.*

narrata historia disputare cœperunt, quibusdam dicentibus, Islandum sibi nimium sumsisse, qui hanc narrare historiam auderet, quomodo placitura regi esset ambigentibus: aliis tenorem narrationis laudantibus, aliis improbantibus. Rex diligenter observabat, ut attente auscultaretur, operaque ejus factum est, ut exitus historiæ in finem festi incideret. Et tredecima feria rex locutus est: scirene aves, Islande, inquit, ut mihi placeat historia? Ille: ea res, domine, me sollicitum tenet, inquit. Rex: satis bene narrasse mihi videris, nec usquam ab ea, quæ suberat, materia deflexisse; quis vero eam te docuit? Ille: in Islandia versanti hoc moris mihi erat, ut quavis æstate in comitia proficiscerer, ubi singulis æstatibus partem historiæ, Haldore Snorrii filio narrante, didici. Itaque non mirum est, inquit rex, si probe calleas, qui ab eo didiceris, neque nihil tibi proderit istam historiam narrasse: quandocunque enim tibi libuerit, mecum versari tibi mea cum venia licebit. Cum hanc hiemem apud regem transegisset, insequenti vere rex ei bonam mercium copiam dedit; qui vir ab eo inde tempore felici rerum successu usus est.

Cap. 100. Vir erat nomine Thorvardus cognomine Krakunevus, ex Vestfjördis oriundus, pecuniis dives, ingenio liberali; is mercaturæ causa ad varias terras navigavit, magni, quocunque venisset, æstimatus. Æstate quadam ex Islandia delatus in Thrandheimum pervenit, et in ostio Nidæ navem suam constituit. Eo tempore rex Haraldus, hujusque affinis Eystein Orrius, filius Thorbergi Arnii filii, vir omnium hominum strenuissimus, et tunc ab rege maximi æstimatus, in oppido fuerunt. Thorvardus, exonerata nave tabernaque conducta, regem Haral-

dam adiit, quem extra fores triclinii, in quo potaverat, offendit vultu minus hilari. Qua salutato, Thorvardus: est in navi mea, quæ hinc prope est, velum quoddam, quod ut dono accipere digneris, oro. Rex: velum aliquando a conterraneis tuis acceperam, quod inter velificandum diruptum prope fuit, ut vitæ periculo me exponeret; quam ob rem hoc accipere nolo. Eystein Orrius excepit: accede, domine, et velum inspice, fieri potest, ut tibi bene probetur; credibile est, te res dono accipere minus honorabiles, quam hanc, quam idcirco tibi destinasse videtur. Rex: ego meis rebus prospiciam, tu tuis prospice. Quo dicto triclinium intravit, nulla dictorum ejus habita ratione. Tum Thorvardus: sequere me, Eystein, et velum accipe. Eystein, cum velum inspexisset, se splendidius unquam vidisse negavit, gratiisque pro munere actis, rogavit, ut eadem ipsa hieme veniret, et villam suam, in Giskio sitam, viseret. Hac hieme nihil memorabile gestum. Insequenti autem vere Thorvardus, navem suam instruxit, cumque paratus esset cursum austrum versus secundum litora direxit. Cum ad insulam, dictam Solskelam, in ancoris staret, ventum secundum exspectans, die quodam conspicati sunt splendidam cursoriam, pleno remigio instructam, navi adlabentem; sedit ad clavum vir pulcer, rubra tunica coccina indutus, qui cum interrogaret, an Thorvardus Krakunevus in navi esset, hic surgens Eysteinem comiter salutavit. Eystein: tardior in me visendo fuisti; nunc age, in cursoriam descende, quot libeat comitibus stipatus: neque enim cælum ventum secundum promittit. Thorvardus sic fecit, Eysteinem cum aliquot viris comitatur, veniunt ad insulam Giskium, ubi splendide præparato convivio excipiuntur. Hic ædes erant

magnæ et eximiæ; in multam vesperam potant; dein cubitum eunt. Thorvardus, mane illucescente experrectus, Eysteinem jam surrexisse animadvertit. Cui Eystein: nondum ventus navigationi vestræ favet; quæso hodie apud me quieti maneatis, meque idoneæ tempestatis eligendæ arbitrum faciatis, neque vos eo magis ventorum idoneam opportunitatem desidendo negligetis. Hoc die potabant et hilares erant. Tum Eystein: ideirco, quod navem tuam ad navigandum omnino paratam reliquisti, meque comitatus domum meam invitatus visum ivisti, hanc, Thorvarde, tunicam accipe. Hæc tunica novo coccino erat concinnata, totaque ornata. Pro quo munere cum Thorvardus gratias egisset, Eystein: hoc hospitale munus esto, non pro velo præmium. Itaque hunc diem ibi manserunt, lautissime habiti; postero autem die Eystein: hodie quoque quieti maneatis, nondum enim secundus ventus spirat. Jam Thorvardus rem ejus curæ permisit; atque ibidem remanent, jam convivio majore apparatu quam pridie instructo. Tum Eystein Orrius togam coccinam, magna arte confectam optimis pellibus prætextam, proferri jussit, his usus verbis: hanc togam in veli præmium habeto; ut enim velum abs te datum cetera vela præstat, ita hæc toga ceteris præstantior existimabitur. Thorvardus dignas pro munere gratias egit. Præterito hoc die noctequc insequenti, primo mane Thorvardus somno excitatus est; aderat nempe Eystein, qui: nunc a profectione non retrahemini, inquit, ventus enim navigaturis opportunus est. Tum antequam abirent, cibum potumque sumserunt. Hic Eystein: tibi quidem haud dedit fortuna, ut rex velum abs te acciperet, opinor vero, si accepisset, eum sic fere, uti ego, remuneraturum fuisse. Verum enim-

vero nullum solatium accepisti, quod tibi præmium, non ab rege, ut præpositum tibi fuerat, sed a viro ignobili datum est. Equidem facere non possum, quin ignobilior sim, sed pro isto dignitatis discrimine hunc annulum accipe. Quæ dicens detractum annulum ei dedit. Pro his omnibus donis Thorvardus dignas gratias persolvit. Quos cum Eystein ad navem revexisset, Thorvardus navem oceano commisit, ventisque secundis usus in Islandiam pervenit. Insequenti æstate rex Haraldus et Eystein socia classe austrum versus secundum litora navigarunt; cumque vespere quodam portum intrassent, rex Eysteini: unde tibi tam eximium velum? inquit. Cui Eystein: hoc, domine, velum est, inquit, quod abs Thorvardo accipere dono noluisti. Rex: nunquam præstantius velum conspexi, ego sane rem pretiosam recusavi. Eystein: an osculo, domine, merere vis, ut permutationem velorum facere tibi liceat. Rex arridens: quidni? inquit, atque juxta malum surrexit. Eystein: ne te ita spectaculo exponas! velorum utrumvis habeas; commodum accidit, quod quid recusaveris intelligis. Rex, gratiis actis, velo, quod Thorvardo fuerat, usus est. Quod etsi res pretiosissima æstimatum est, tamen minus erat, quam quod magnæ navi regiæ congrueret, quando velificationibus certandum esset.

Cap. 101. Æstate quadam ex Islandia vir advenit, dictus Snegluhallius, genere Nordlandus (ex boreali parte Islandiæ ortus); is artis poëticæ erat gnarus, neque dubitabat, cum quocunque ei res esset, quicquid in mentem veniret loqui. Ex alto delati exteriorem oram Agdanesi tenuere. Navis possessori nomen erat Sigurdo. Per interiora sinus vento leniter spirante navigantes inciderunt in naves longas haud paucas, remis

per exteriora actas, quas navis bellica, dracone insignis, antecedebat. Qui cum inter se occurrerant, surrexit in dracone vir, magnæ staturæ atque conspicuus, vestibus splendidis ornatus; is locutus est: quis hanc mercatoriam navem gubernat? ubi hieme proxime præcedenti fuistis? unde solvistis? quo loco terram attigistis? ubi præcedente nocte pernoctastis? Hallius respondit: nomen gubernatori est Sigurdo; præcedenti hieme in Islandia fuimus; solvimus Gasis; appulimus ad Hitras[1]; præcedenti nocte ad Agdanesum fuimus. Alter: nonne Agdius vos prædicavit? Hallius: hauddum quidem, inquit. Alter: ecquis alius erat, qui exspectaretur? Sane, domine, inquit Hallius, exspectavit viros nobiliores, te enim vesperi venturum exspectabat. Hic vir, qui verba cum Hallio commutavit, erat rex Haraldus. Navem ad oppidum applicuerunt. Ut rex in oppidum venerat, Hallius eum adiit et salutavit, quo facto sic locutus est: hospitio recipi abs te velim, domine. Rex: hoc exteris hominibus concedi, aliquid difficultatis habet, quare id tuimet ipsius periculo fiat, neque vero, quin cibus tibi detur, recuso. Itaque Hallius ad aulam concessit. [Versabatur cum rege Thjodolvus poëta, qui quorundam laudibus nonnihil invidere putabatur[2]. Die quodam rex ac Thjodolvus, cum per plateam ambularent, cœnaculum quoddam prætereuntes, intus audiunt rixas altercantium, deindeque pugnam, cerdone et fabro ferrario concertantibus: Abscedamus hinc, inquit rex, tu vero, Thjodolve, rixam eorum versibus celebra. Ille: minime est, cur faciam, domine. Rex: fac quod jubeo, res vero plus habet difficultatis, quam cogitas: tu ex iis longe alios ho-

[1]) insulæ ante sinum Thrandheimicum, quarum maxima *Hitteren, Pontop. geogr. Oplysn.* p. 84. 86. [2]) omitt. *A.*

mines atque sunt facito, fac alterum esse gigantem Geirrödum, alterum Thorem. Thjodolvus sequentes versus lusit:

Thor ille, qui ingentes folles fabriles
exercet, ex contentionis habitaculo
inclusa fulmina celeriter conjecit
in caprinæ carnis gigantem.
Quod igneum profluvium, ex horrisono
vocalis officinæ camino emissum,
Geirrödus ille, qui versatilem torquet
coriorum uncum, lætus excepit[1].

[1]) Ordo: *þórr [stórra smiðbelgja a) varp hvatt höldnum eldingum b) ör þrætu þorpi c) at jötni hafra kjöts d). Geirröðr hrökkvi-skafls* e) *húða tók f) glaðr við g) þeirri sio or. hljóðgreipum afli galdra smiðju h).*

a) stórum smiðbelgjum, II, nempe *varp stórum smiðb.*, conjecit ingentes folles fabriles; vix recte, nam neque in antecedd. ulla de hoc mentio facta, et ab omni veri similitudine abhorret, folles a fabro in adversarium conjectos; accedit, quod sic nomen Thoris absolute pro fabro poneretur (nam ex seqq. nulla vox, neque *þrætu*, neque *hafrakjöts* apte huc referri potest) contra regulas ab rege præscriptas, qui Thjodolvum jusserat, utrumque a sua arte et opificio denominare (*kenna hvárn til sinnar iðnar*). Quamobrem h. l. sine controversia jungenda sunt *þórr smiðbelgja*, et de fabro ferrario intelligenda, ad hujus enim opificium pertinent folles. *b) eldligum*, igneis, h. l. ut referatur ad *smiðbelgjum*, i. e. *varp stórum eldligum höldnum smiðbelgjum*, conjecit ingentes igneos prehensos folles fabriles; vide not. præced. *Eldingar*, fulmina, *haldnar*, (ori) inclusa, sunt convicia a fabro in cerdonem jacta, tropo servato. Thoris enim fuit, fulmina jacere. Describuntur autem hac stropha convicia inter eos agitata, ut in sequenti certamen et pugna. *c)* i. e. ex ore; os enim sec. *Edd. Snor.* p. 204 poëtice appellatur territorium vel domus verborum (sermonis); *þræta* vero inter sermonis vocabula est ibid. p. 207, unde os litigantis apte h. l. appellatur *þrætu þorp*. *d) jötun hafrakjöts*, qui sævit in carnem caprinam, coriarius dicitur, quod capris mactatis pelles detrahit, ut ex iis coria conficiat. *e)* Sic *H, M; skalfs, A,* repugn. metro, et

Rex: hi versus elegantes sunt et solerter compositi. Jam aliam stropham componito, et alterum fac esse Sigurdum Fabnericidam, alternm Fabnerem, utrumque adjectis denominationibus ex sua arte petitis describens. Ille cecinit:

Sigurdus, ille malleo insignis, provocavit
anguem, enormis unci coriarii usurpatorem;
draco autem, coriorum concinnator,
per montana caligaria reptavit.
Metuebant homines serpentem,
plantarum tegmine indutum,
rex antequam nasutus forcipis
confecisset corii bubuli natricem[1].

---

haud dubie vitio librarii; *skafl*, m., commodissime videtur accipi posse in eodem significatu ac *skefli*, n. (a *skafa*, radere), vulgo ramus purus, sarmentis amputatis, quibusdam insile, pars telæ recentioris. Vel accipiendum pro quolibet instrumento rasorio (qs. *skafill* a *skafa*); h. *hrökkvi-skafl*, ramus, ultro citroque raptatus, mobilis, et *hr. sk. húða*, ramus mobilis coriorum, id. q. vulgari sermone et in stropha sequ. *brák* dicitur, instrumentum rusticum, hodieque usurpatum, cornu arietino aut ligno aut denique lævi ferro factum, quo cruda coria indurata emolliuntur, cujus iconem in Itinerario Eggerti videsis. Quod instrumentum cum ad opificium coriarii pertineat, coriarius h. l. a poëta appellatur *Geirröðr hrökkvi-skafls húða*. *f*) *greip*, arripuit, *H.* *g*) *í*, *H* *h*) *sia*, massa ferri candentis; h. l. idem quod antea *eldingar*; *galdr*, sonus, quod vocabulum l. c. *Edd. Sn.* inter sermonis v. vocis appellationes recenset, h. *galdra smiðja*, officina sonorum, h. l. est os vociferantis coriarii; *afl*, caminus officinæ ferrariæ, amplificandi gratia adjectum est, qui h. l. *hljóðgreipr*, horrisonus (ex *hljóð*, sonus, et *greipr*, sævus), dicitur. Sensus posterioris semistrophæ est: coriarius jactas a clamante fabro ferrario voces ac convicia intrepidus excepit, eaque pari modo rependit. Explicavit hanc et sequentem stropham Celeb. *F. Magnusenius* in Lex. Mythol. p. 899.

[1]) Ordo: *Sleggju-Sigurðr a*) *eggjaði snák váligrar brákar b*), *en skapdreki skinna c*) *skreið of d*) *leista heiði e*). *Menn f*)

Rex: eximius poëta es, Thjodolve; eique annulum aureum dedit. Insequenti vespera cum de his versibus multum disputaretur, aulici Hallium negarunt tales facere versus posse. Quibus ille:

---

sást orm *g*), *búinn ilvegs kilju h*), *áðr neflángr konúngr túngar ynni i*) *á naðri nautaleðrs k*).

a) In hac stropha poëta pugnam ab cerdone et fabro puguatam describit, cerdonemque Fabneris, fabrum Sigurdi Fabnericidæ nomine insignit, adjectis tamen vocabulis, arti cujusque propriis. Sic fabrum hac stropha vocat *sleggju - Sigurð*, Sigurdum mallei (malleo utentem), et *túngar konúng*, regem forcipis (forcipe utentem); coriarium: *snák brákar, skapdreka skinna*, et *orm, búinn ilvegs kilju, naðr nautaleðrs*, de quibus infra. *b*) vide stroph. præced. not. *e*. *c*) *skapdreki*, qs. *skapandi dreki*, draco concinnans, i. e. confector coriorum. *d*) *af, H*, facili errore. *e*) i. e. per pavimentum, adversus fabrum pugnaturus, progrediens; *leistr*, caliga, *leista heíði*, montana caligaria, solum, tropo a montanis Gnitensibus, ubi serpens Fabner jacuit, petito. *f*) *mann, M*, quod lubens acceperim pro nom. sing. apocopato, pro *mannr*, i. e. *maðr*; tum sq. *sást*, sing.; sensus idem manet. *g*) *leizt ormr, H*, quæ lectio verum sensum perimit, et ex prave intellecta voce *sást*, orta videtur; verbum vero *sjást*, in metuendi significatione, notius est, quam ut opus sit exemplis illustrari. *h*) *kilja*, cognatum esse puto cum voce *kýla*, lacerna, quæ vox occurrit Laxd. c. 80, ideoque scribendum esse *kylja* (per *y*), et significare tegumen, cum quibus vocibus conferendæ sunt voc. danicæ *kubbel* et *kul*, in Lex. Dan. Soc. Scient., ubi harum vocum familia late pertexitur; *ilvegr*, vox hodieque in vulgari sermone nota, solum plantæ, ex *il* planta pedis, et *vegr*, via, spatium; sic *ilvegs kilja* (*kylja*), tegumen plantæ, est calceus, et *ormr, búinn ilvegs kilju*, Serpens (Fabner) calceatus, appellatur coriarius, ex corio calceos conficiens. *i*) *ynnist, H*, qui, cum totam sententiam corruperit, dubium est hancne vocem in signif. passivo acceperit, an *vinnast á einum* ita active dici posse, ut *sigrast á einum*, cogitaverit. *k*) serpens corii bubuli, i. e. coriarius.

equidem non sum poëta æque præstans atque Thjodolvus, tum vero plurimum ei distabo, si in re celebranda præsente non adsum. Erat cum rege Haraldo vir, nomine Tuta, genere Frisus, qui spectaculi gratia ei missus fuerat: erat enim humilis et crassus, toto corpore speciem nani referente. Hunc rex vespere quodam arma sua, loricam Emmam, galeam et gladium, sumere jussit; quæ cum ille induisset, triclinium, in quo aulici cœnabant, ingressus, quod omnibus miraculo esset, derisus est. Tum rex: is, qui in eum, quo nunc stat loco, versus facit, hunc a me cultrum et cingulum, res pretiosas, dono accipiet. Hic aliquis in scamno sedentium, nempe Hallius, hos versus pronuntiavit:

Visus mihi est cognatus
Frisiæ gentis indutus lorica;
coram aulicis galea tectus
mirio[1] in annulis incedit.
Tuta, evagationibus adsvetus,
hoc anno ignem non timebit;
video gladium pendere a latere
liborum farreorum consumtoris.

Rex probatis versibus, munera ei misit, Thjodolvo rem iniquo animo ferente.

Cap. 102. Post non ita multo rex cum aulicis per plateam ambulavit. Inter quos Hallius; qui cum necopinato ceteros præcurreret,

Rex: Quo te proripis, Halli?
Hallius: Procurro, schistum ut emam.
Rex: Curas, ut puto, pultem confici,
Hallius: butyro conditam, laudatissimum cibum.

Quo dicto in domum aliquam se proripit, ubi mulier quædam pultem coquebat; ille raptum lebetem extulit, et juxta parietem domus consedit, pultemque comedere cœpit. Rex Hallum

[1]) *kúrfaldi*] *kútfaldi*, *M.*

comitatu abesse sentiens: jam res incommoda accidit, Hallius enim aufugit; agite, eum quæsitum eamus. Eunt, eumque inveniunt sedentem, pulteque se cibantem. Cui rex indignabundus: cur tu ex Islandia ad viros potentes concederes, ut te sic spectaculo exponeres. Hallius: ne irascare, domine, minime dapes fastidio, sicubi se sponte offerant, et vero sæpe te video lauta fercula vesperi minime recusantem. Rex discessit, Hallius vero surrexit, lebetem abjecit, ut ansa creparet, et hos versus cecinit:

Ansa lebetis crepuit, sed Hallius
nimia pulte se oneravit.
Huic magis convenire puto
cornea cochlearia, quam ornatum.

Rex Hallio succensuit, Thjodolvo autem inceptum Hallii ridiculum visum est. Eodem vespere rex vasculum pulte plenum Hallio apponi, cumque comedere jussit. Hallius: ego vero pultem comedam, inquit, mihi enim perbene placet. Dein pultem comedit, et cum ei commodum visum esset, desiit. Regi, ut comedere pergeret, jubenti: haud faciam, domine inquit, mei quidem potestatem habes interficiendi, puls vero necem mihi non afferet. Tum rex sumtum de mensa assatum porcellum Tutæ[1] dedit, dicens: hoc ferculum Hallio affer, atque in medium pavimentum progressus præcipe, ut stropham in promtu habeat, cum eum accesseris; quam si non pepigit, antequam [missum accepit[2], mortem sibi instare putabit. Tuta: nollem hoc facere, domine. Rex: ergo stropha illa[3] tibi placet, atque hac, opinor, recitata gaudes. Quo dicto ille porcellum accepit, et in medium solum progres-

[1]) Tutio, *H.* [2]) eum adieris, *H.* [3]) quam in te Hallius fecit, add. *H.*

sus: stropham compone, poëta, vitamque tuam in periculo versari putes. Hallius, Tuta accedente, porcellum porrectis manibus accepturus, cecinit:

> Poëta ab rege intrepidissimo
> mortuum accepit porcellum.
> Ego, annulo ornatus, in mensa
> porcum coram me stare video.
> Rubras aspicio costas porcinas,
> carmen celeriter fundere svetus;
> coquus præussit rostrum porcelli;
> pro misso munere, rex, grates ago.

Rex: hi versus satis scite facti sunt, quam ob rem quod tibi datum crimini fuerat, Halli, condonabitur.

Cap. 103. Post ea Hallius inter aulicos versatus magnique habitus est. Vesperi pridie festi Jolensis regem adiit, eumque salutavit. Quem cum rex comiter resalutasset: domine, inquit, carmen de te composui, cui ut aures præbere digneris, pervelim. Rex: ecquod carmen antea pepigisti? Non pepigi, domine, inquit. Rex: itaque non dubito fore, qui dicant, te primo magna moliri, cum tam excellentes poëtæ in me carmina fecerint; quid tu censes, Thjodolve? Cui ille: non est, domine, ut te facienda doceam; illud potius fuerit, ut Hallio salutaria dare consilia possim. Rex: quænam, quæso? Ne tibi mendacium dicat, inquit Thjodolvus. Quid mentitur? inquit rex. Thjodolvus: dixit se nullum carmen pepigisse, at ego eum pepigisse opinor. Rex: quid istoc carminis est? Thjodolvus: versus, Vaccæ dicti, quos in Islandia fecit de vaccis, quas custodiebat. Num hoc verum est, inquit rex. Quo verum esse confitente, rex: cur itaque te negasti carmen ullum ante pepigisse, quam hoc, quod de me fecisti? Quia fore puto, domine, inquit, ut audientibus parvi præ se ferre speciem carminis videatur.

Rex: hoc itaque primum recita. Hallius: igitur plura erunt adhibenda oblectamenta. Rex: quænam? Hallius: ut Thjodolvus recitet versus de crati stercoraria, quos domi in Islandia fecit. Rex: quale istud carmen est? Hallius: Thjodolvo, cum domi esset, neque ad aliud quicquam aptus videretur, hoc operis demandatum erat, ut cineres unacum ceteris pueris efferret; et tamen probe erat observandus, ne ignem cineribus occultum, unde periculum posset existere, efferret. Num hoc verum est, Thjodolve, inquit rex. Thjodolvus: verum est, domine. Rex: cur opus adeo illiberale peragendum habuisti? Ea hujus rei causa erat, domine, inquit, quod parentes præter me multos habebant liberos, quos ego in hoc opere administrando adjuvi, ut hoc modo eo citius iis aditum ad ludos aperirem. Rex: utrumque carmen audire lubet. Illi carmina recitarunt, quo facto rex: utrumque carmen tenue quidem est, cum materia haud dubie exigua subfuerit, quod vero tu, Thjodolve, fecisti, multo tenuius est. Thjodolvus: fateor Hallium esse dicacem; verum magis eum conveniret patrem ulcisci, quam inutilia in me verba jacere. Rex: num verum est, Halli, te non ultum esse patrem tuum? Ille: verum est, domine. Cur sic in Norvegiam concessisti? Hallius: ea de causa, domine, quod ætate puerili eram, cum pater meus interfectus est; cognati mei actionem cædis susceperunt, et meo nomine pecunias pro cæde acceperunt; datæ vero fidei violatorem appellari, nomen apud nos ignominiosum habetur. Rex: hanc rem optime expedivisti; hoc unum improbandum, quod nullum Thjodolvo responsum reddidisti. Ille: domine, inquit, Thjodolvus ideo confidenter his de rebus loqui potest, quod neminem novi, qui patrem suum atrocius illo ultus sit. Rex: quid argu-

mento est, eum hoc insigniori modo fecisse, quam alios homines? Hoc in hanc rem argumenti adferri potest, inquit Hallius, quod Thjodolvus patris sui percussorem comedit. Rex interrogavit: quo modo hoc probari potest? Hallius: ita res comparata est, quod Arnor, pater ejus, in Islandiæ parte boreali habitavit; hic erat pauper, earumque rerum, quæ ad vitam sustentandam opus erant, inopia laborabat; multos enim liberos habuit, nec fere alimentorum quicquam familiæ sustentandæ erat, nisi quod a contribulibus collatum esset. Autumno quodam cum contribules convenissent, deliberatum, quid auxilii in pauperes conferretur, Arnor, pater Thjodolvi, ante omnes auxilio indigere judicatus est; et unus colonorum tam munificus erat, domine, ut ei vitulum semestrem daret. Dein ille domo profectus est, ut vitulum adduceret, summam necessitatem postulare ratus, ut stipem, quæ maximi esset, peteret. Itaque vitulum, habena longa et firma revinctum, domum ducit; extremitas habenæ in spiram mobilem collecta erat, qua collo inserta, ipsam habenam manibus tenebat, atque sic ire perrexit, donec ad septum villam ambiens pervenit. Septum ab exteriori parte non adeo altum erat, ab interiori vero parte erat fossa satis alta. Cum vero septo conscenso intro se demisisset, major erat altitudo, quam opinatus erat, nam terram pedibus attingere non potuit. Quam ob rem, cum vitulus ab altera septi parte obniteretur, ipse vero habenam collo exuere oblitus esset, utrique, ipse ac vitulus, hinc illinc pendentes mortem oppetierunt. Quo viso pueri accurrerunt, et vitulum domum traxerunt; et opinor, domine, inquit Hallius, Thjodolvum suam vituli partem consumsisse. Rex hoc rei conveniens esse significavit. Tum Thjo-

dolvus exsiliens Hallium gladio percutere cogitavit, sed ab incepto revocatus est. Hic rex: gratiam inter vos reconciliabo, hac lege, ut neutri liceat alteri mali quicquam facere; tu vero Thjodolve, nulla adactus necessitate rem prior inchoasti. Re sic composita, Hallius carmen coram rege recitavit, quod carmen eximium fuit et bene compositum, eique gratiam regis conciliavit.

Cap. 104. Hoc tempore Einar Fluga provinciam commercii Finnici, ab rege sibi demandatam, administravit; inter quos tum quidem familiaris amicitia, etsi alias interdum dissidiis interrupta, intercedebat. Exspectabatur Einaris in oppidum adventus. Qui ante aliquanto quam advenisset, aulicorum aliquis, Hallio audiente, dignitatem et auctoritatem Einaris Flugæ prædicavit, addens, eum tanta esse superbia, ut nemini de cæde cognatorum, si quos occidisset, pecunia satisfaceret. Huic Hallius: ego vero probabilius esse credo, eum de cæde cognati mei, si eum postulabo, satisfacturum. Aulicus: longe abfore credo, hoc ut faciat, nullius enim hominis cædem adhucdum pecunia expiavit. Illi hac de re usque adeo verbis contenderunt, ut sponsione certarent, aulico annulum aureum, Hallio caput suum opponente. Paulo post Einar advenit, quem rex satis comiter exceptum juxta se collocavit. Vespere quodam festi Jolensis post octavam feriam, cum remotis mensis potarent, rex ab Einare quæsivit, quo successu commercia Finnica exercuisset. Cui ille: proxime, domine, cum septemtrionem versus profecti sumus, incidimus in navem Islandicam, cujus vectores accusavimus, quod nobis non permittentibus commercia cum Finnis agitavissent. Quod crimen cum purgare conarentur, ex defensione eorum cognitum est, eos haud culpa vacare. Ita-

que impetum in eos fecimus; illi se defenderunt; nec prius abstitimus, quam eos oppugnassemus; inter quos unus vir erat, qui se multo fortissime tutatus est, cui similes si multi ibi adfuissent, sero eos devicissemus. Hallius, qui in propinquo fuerat, et relationem Einaris audiverat, ad sedem suam se subtristis recepit. Aulico, quæ res ei tristitiam attulisset, quærenti, justam incidisse causam significavit: comperi, inquit, necessarium meum ab Einare Fluga necatum; et fieri potest, ut se jam occasio obferat multam ab eo repetendi. [Aulicus: cave, quæso, ne hac de re mentionem injicias; nostra potius sponsio rescindatur. Hallius se repetiturum ostendit[1]. Et postero mane Einarem adiens: heri vespere novas res narrasti, quæ me attingunt, nimirum cædem cognati mei; scire lubet, ecquo velis mihi satisfacere. Cui Einar: annon audisti, a me de nullius cæde solere satisfieri; neque in te quicquam adeo animadverto, ut tibi magis quam aliis hominibus satisfaciam; quod si uni satisfaciam, idem sibi fieri omnes jure postulabunt, quam in consvetudinem adduci homines nolo. Hallius: potes hanc in rem non plus pecuniæ impendere, quam ut nulli tibi damno, mihi vero accipienti solatio sit. Einar eum abire, neque plura de hac re loqui jussit. Sic Hallius fecit, et sedem suam repetiit. Aulicus quæsivit, an ei aliqua re vellet satisfacere. Neganti Hallio, iterum: hoc antea animo præsumseram, inquit; age, irritam faciamus sponsionem, tu vero ne sæpius eum hac de re compella. Hallius: ego vero adhuc compellabo iterum. Et postero mane eadem de re Einarem compellans: etiam nunc scire velim, inquit, an mihi velis de cæde cognati mei satisfacere. Einar: importunus fla-

[1]) omitt. *H.*

gitator es! nisi te facessas hinc, occideris. Ille ad sedem se recepit. Aulicus respondit: quo jam successu satisfactionem ab Einare repetisti? Hallius jam minas pro satisfactione reddi ostendit. Hoc ipsum suspicatus eram, inquit, etiam nunc hortor, ut sponsionem dissolvamus, neve sæpius eum compellas; nihil enim non mali ab eo exspectandum, si flagitationis tuæ eum tædeat. Bene facis, inquit Hallius, ego vero amplius repetam tertium, tunc satis expertus mihi videor. Tum Hallius surrexit, adiit regem, eumque his verbis salutavit: salve, domine. Exoptatus adsis, inquit rex, quid me vis? Hallius: somnium meum narrare tibi, domine, volo, somnia enim interpretandi peritus es: somniavi me longe alium esse atque sum; visus mihi sum esse Thorleivus[1] poëta, Einar vero Fluga mihi visus est esse Hakon dynasta; hunc mihi visus sum probroso carmine infamare, cujus partem aliquam expergefactus memini. Inter hæc ab solio recedens aliquid mussavit, omnesque audiverant mutientem aliquid, nemine verba distincte percipiente. Tum rex: age, Einar, hoc meis precibus des, ut illi aliqua re satisfacias; est enim poëta eximius, tantæque in loquendo impudentiæ, ut nihil non audeat; nam probrosum carmen, vel unum ex brevioribus, si memoriæ mandatum fuerit, quod ne fiat periculum est, modo primo fuerit recitatum, tibi tali tantoque viro plus afferet damni, quam exiguæ[2] pecuniæ jactura; nimirum haud obscurum est quid facere intendat, neque hoc somnium est, quod narravit, sed ipsius propositum, ut te probroso carmine infamet, quod efficiet, si nihil abs te impetrabit; et docent exempla, probrosum carmen in viros te potentiores vim exercuisse, cujus memoria, dum regna

[1]) dynastarum, add. *H.* [2]) omitt. *H.*

septemtrionalia incolentur, nunquam deponetur; da, quæso, precibus meis, ut ei aliqua re pro [cæde cognati[1] satisfacias. Cui Einar: hoc tibi tribuam, domine, inquit; tres argenti selibras a quæstore meo accipiat; is ei reddet. Hallius: gratum mihi facis, beasti me. Inde discessit, quæstorem convenit, et qua causa adesset significavit; ille crumenam ei dedit, quatuor inesse selibras significans. Ego vero tres tantum accipiam, inquit Hallius; quo dicto tres selibras sibi appendit, ut ne unus quidem nummulus supra esset. Inde Einarem accedens, pecuniam se accepisse significavit. Einar: an quantum inerat crumenæ accepisti? Haud accepi, inquit Hallius, alia tibi arripienda ratio, ut capitale mihi crimen intendas, quam quod pecuniam tuam furer; hos enim dolos tuos perspexeram, jamque inter nos digrediemur. [Ceterum Einar hoc ipsum, quod suspicatus erat (Hallius), ad eum opprimendum cogitaverat[2]. Hallio ad sedem suam regresso aulicus: jam tuum est, de quo contendimus pignore[3]. Tu ipse annulum habeas, inquit Hallius, [beneque fruaris[4], tu enim hac re, quæ bonum virum deceant, in me fecisti. Ego vero nulla alia de causa controversiam tecum movi, quam quod periculum facere statueram, pecuniam ab Einare consequi possem, nec ne; nam, quantum scio, nulla mihi fuit cum hoc homine, ullove ceterorum, quos occiderat Einar, necessitudo. Einar re sic gesta discessit. Vere appetente Hallius veniam ab rege petiit, insequenti æstate in Daniam trajiciendi. Cui rex: hanc tibi veniam do, modo quam celerrime redeas; verum caute iter facias, persvasum enim habeo, Einarem, si te deprehendat, hostili in te animo fore;

[1]) damno sibi illato, *H.* [2]) omitt. *H.* [3]) quod tibi bene vertat, add. *H.* [4]) omitt. *H.*

nulli enim alii pro patrata cæde eum pecunia satisfecisse novi; quare huic rei male acquiescet, et quidem adhuc pejus, si cognoverit, nullam tibi cum homine, cujus cædem expiavit, necessitudinem intercessisse.

Cap. 105. Hallius proxima æstate in Daniam profectus, apud aliquem potentem virum commoratus est. Hunc aliquando ad conventum, quo magna confluxerat multitudo hominum, comitatus est. Ubi civibus de rebus privatis disputantibus, cum magnum exstitisset convicium ac strepitus, potens ille vir: is, inquit, consilio multum valeret, qui facere posset, [ut hæc omnis concio sileret[1]. Cui Hallius: facere possum, ut omnes homines, qui huic conventui intersunt, taceant. Quod cum nunquam effectum iri alter diceret, res primo in contentionem, et tandem ad sponsionem venit: potens ille vir annulum aureum, Hallius caput suum pignori opposuit. Postero die, cum in conventum venissent, non minus erat convicium ac vociferatio, quam pridie fuerat. Hic Hallius omnibus insperantibus subito exsiliit et magna voce exclamavit[2]: auscultent omnes homines! opus mihi est, ut longa oratione utar, de rerum difficultate[3], qua ipse premor, dicturus: surrepta mihi est coticula et coticulæ theca[4], acus et pera, omneque peræ ornamentum[5], quod habere, quam amisisse,[6] satius est. Tunc extemplo tota concio conquiescere et conticiscere, ut nemo ullam vocem ederet; alii enim

[1]) ut hic strepitus ipsius calliditate conticisceret, *H.* [2]) ut omnes homines auscultarent, add. *H.* [3]) Sic ex conjectura verti; subst. *ǒðindœla*, nullo alio loco mihi se obtulit, adj. *óðindœll*, duobus locis. De religione Odiniana non est cogitandum. [4]) Verti ex conjectura; nullam enim significationem novi vocis *sufl*, præter pulpamenti, obsonii. [5]) omnia peræ ornamenta, *H.* [6]) viro, add. *H.*

putarunt, hominem mente captum, alii de negotio, quod inchoaverat acturum rati, magna audiendi curiositate tenebantur, quod eis primo orationem insolentiori modo incepisse visus est; Hallius vero facta audientia, quæ statuisset sibi effecisse visus, iterum consedit. Post hæc ex conventu disceditur; Hallius annulum, de quo sponsione certaverat, consecutus, clanculum se subduxit, naveque conscensa in Angliam trajecit, et inde in Norvegiam reverti statuit. Cum vero ii, qui in Norvegiam ex Anglia trajicere statuerant, parati ad navigationem essent, Hallius regem Jatvardum[1] adiens, significat, se carmen in eum fecisse. Erat apud regem vir quidam, nomine Rödus, artis poëticæ gnarus. Cum vero Hallius carmen recitasset, rex ex Rödo quæsivit, ut pactum esset; eoque laudante, Hallium apud se manere jussit, ut carmen memoriæ mandari posset. Hallius: non ita fieri, domine, licet; nam itineri me in Norvegiam accinxi, quare hic non diutius commorari licet. Rex: itaque præmium carminis tibi sic fructuosum erit, uti ad me commodum ex carmine redundabit; age, conside, ego vero argentum super caput tuum infundi jubebo, ex quo, quantum capillis inhærebit, habeto. Hallius: mane paululum, mihi necessarii negotii causa abeundum. Dein abiit, picem comparavit, qua comam illevit, fecitque ut capilli quam maxime horrerent. Quo facto statim rediit ad regem et consedit, iter sibi festinandum esse clamans. Rex, ut erat pollicitus, Anglicos argenteos ex magna crumena super caput ejus effundi jussit, cujus pecuniæ magna pars crinibus adhæsit. Rödus autem re vera poëta non fuit, et carmen meræ nugæ, quas Hallius ex tempore fuderat. Post hæc Hallius ad navem

[1]) omitt. *H.*

descendit. Cum vero complures Germani locum sibi in nave cum gravi mercium onere conduxissent, nullus ei locus relictus est. Ostenderunt tamen naucleri, quod Hallio bene cupiebant, se eum libenter recepturos, si quod astutum consilium excogitasset, ut Germani navem relinquerent. Accidit una nocte, ut Hallius per quietem insomniis agitaretur. Somno excitatus, quærentibus nautis, quid somniasset: invitus facio, inquit, ut dicam; puto enim fore, ut hæc navis periculosa navigatione utatur: vidi in somnis hominem terribili vultu ad me accedentem, qui totus aqua madens, manuque ingentem fucum tenens, hos versus coram me recitavit:

Strepera (sonora) sunt loca, ubi vita
defunctus procerum fucum teneo;
apparet, me domi Ranæ sedere;
alii apud cancros hospitantur.
Manifeste apud alburnos versandum est,
cum territorium mihi sit extra litora;
ideo pallidus in alga sedeo,
plangente fuco occipitium meum,
plangente fuco occipitium meum.

Qui versus cum Germanis difficilem navigationem, ingensque periculum, etsi citra vitæ discrimen, portendere viderentur, multi hoc consilii ceperunt, ut mercibus expositis in terram egrederentur; Hallius vero navem conscendit. Quo facto vela ventis dederunt, commodisque ventis usi, citra omne vitæ periculum, in Norvegiam appulerunt. Hallius ad regem Haraldum se contulit, apud quem aliquamdiu versatus est.

Cap. 106. Æstate quadam Oddus, filius Ofeigi [Skidii filii[1], ex Islandia in Norvegiam navigavit. Adversis ventis septemtrionem versus delati, appulsa ad Finnmarkam nave, ibi hiemem

[1]) omitt. *H.*

transegerunt. Eo tempore Haraldus Norvegiæ rex præfuit. Insequenti vere cum a borea navigarent, Oddus nautas suos allocutus: hæc, inquit, navigatio non omni periculo vacat; neque enim ulli licitum est, commercia cum Finnis in his provinciis borealibus agere, nisi cum regis aut præfecti venia; et provincia Finnmarkica administranda obtigit viro, qui in alios haud facilis habetur, nimirum Einari Flugæ. Quam ob rem scire velim, quousque progressi sitis in commerciis cum Finnis agitandis. Illi negarunt, se quidquam commercii cum eis habuisse. Ubi vero a borea navigantes Thjottam adpropinquarunt, navis longa ab insula remis agitata cursum in eos direxit, qua Einar cum magno militum numero vectus est. Tum Oddus: jam rebus vestris prospicite, et cavete, ne tributum Finnicum apud vos reperiatur; quodsi culpa agitati cum Finnis commercii, ut suspicor, non omnino vacatis, has omnes merces in unum locum conferamus, si forte navis inquisitioni subjicietur. Res docuit, Oddi de eis suspicionem veram esse: promunt quæ quisque emerat, et eo loco, qui Oddo tutissimus visus est, occultant; quo negotio ante sunt defuncti, quam Einar ad navem pervenisset. Hi, adplicata ad mercatoriam longa navi, adscendunt. Oddus Einarem, sibi colloquio notum, salutat. Cui Einar: tu quidem, Odde, spectatæ probitatis es; cum vero hieme proxime antecedenti apud Finnos commorati sitis, fieri potest, ut sodales tui ab commerciis Finnicis non æque diligenter abstinuerint; quæ provincia cum nostræ curæ ab rege sit demandata, navem vestram explorare in animo est. Concessa ab Oddo mercium inspiciendarum venia, nautæ arcas suas aperiunt; Einar cum suis per navem transgreditur, neque ex tributo Finnico quicquam invenit. Sta-

tus cœli erat placidus, vento secundo lenius spirante; interea vero increpescere cœpit ventus; tum Einar: hi homines diligentius, quam cogitaveram, ab vetitis commerciis abstinuerunt; cumque ad struem mercium dissolvendam parum esse temporis putem, ventusque increpescere cœperit, in navem nostram regrediendum existimo. Tum vir, in strue mercium insidens: inspicienda tibi antea est hæc sarcina, quam habeo, si quid in ea occultatum fuerit. Mox dissolvere sarcinam incipit, Einare interea exspectante; ea longo revincta loro tardius solvi poterat. Einare, ut festinaret, hortante, se morem gesturum pollicitus, alteram ex priore sarcinam depromsit, implicatiore vinculorum nexu circumligatam, quam non nisi longiore mora interjecta dissolvere potuit. Einar, „tardius ista administras" dicens, etiam tum exspectavit, si quid forte in hac sarcina inveniretur, cujus causa eos incusare posset. Denique tertia sarcina exiit, quæ, cum laxando tandem aperiri potuisset, præter quam centones resque prorsus inutiles, nihil continebat. Hic Einar: o te omnium sceleratissimum, inquit, [decepisti nos et[1] retardasti, ut insula jam aquis pæne abscondita sit. Dein Einar ac sui in navem transgressi, tempestate magis magisque gliscente mercatoriam ita reliquerunt, ut in adversos ventos difficili remigatione nitendum esset, antequam Thjottam attingere possent. Tum Oddus: cum sic ex molesta Einaris aggressione liberati simus, magni nostra interesse puto, ne in regem Haraldum incidamus. Einar, misso confestim nuntio, regem Haraldum de navigatione Oddi certiorem fecit. Oddus ac sui austrum versus navigantes cum Mjolam attigissent, quod vento adverso impediebantur, quo minus longius

[1]) tu diu nos, *H.*

austrum versus navigarent, portum subierunt. Rex Haraldus, qui prope hanc insulam aliquot habens naves in ancoris stabat, visa mercatoria, suos ita allocutus est: forsitan jam nobis fortuna faveat, hanc enim esse puto Oddi Ofeigi filii, quocum mihi negotium est; nam nullum hominem novi, cui Einar Fluga tam turpiter succubuerit, præter Oddum. Rex confestim magno stipatus hominum numero ad mercatoriam remigavit, eamque cum suis conscendit. Salutatus ab Oddo graviori cum ira respondit: indigne te, Odde, erga me geris, quem sæpius honore affeci; etenim me invito commercia cum Finnis miscuisti. Oddus: nos quidem magnopere optassemus, domine, ut, ventis ita ferentibus, ad regni partes austro quam Finnmarkam propiores adpellere potuissemus; hoc vero facilius impedire potueram, ne cum incolis commercia ingratiis tuis fierent. Rex: justas esse causas opinor, ut vos omnes arbore suspendamini; et quanquam tu ipse culpa forte vacas, tamen socii tui eum præferunt vultum, ut non pepercisse videantur, quin nullo permittente commercia exercuerint; quam ob rem in vos inquirere volumus. Hoc tuæ potestati permittetur, inquit Oddus. Sic itaque factum, neque quidquam repertum est.

Cap. 107. Vir quidam nomine Thorstein, juvenis, pulcra specie, cognatus Thoreri Cani, Oddoque amicus, qui tum regem comitabatur, postquam discesserat rex, in nave Oddi remansit. Is Oddum in secretum colloquium seduxit, et ab eo quæsivit, an hujus rei culpa penes eos esset, ostendens, regem esse iratum, et hanc rem diligentissime inquisiturum. Cui Oddus: ut verum, amice, fatear, haud omni culpa vacamus: nam primo inceperunt propria licentia cum Finnis commercia agere, ego vero postea

consilium dedi, qua ratione merces occultari possent. Quo jam loco hæ merces absconditæ sunt? inquit Thorstein. Oddo, omnes in uno sacco coriaceo repositas esse, significanti, idem porro: iterum huc redibit rex, inquit, et omnia perscrutabitur: tu vero [saccum coriaceum, in quo merces Finnicæ sunt[1], cape, et regi substerne, supraque solium collora: nam opinor eum haud suspicaturum, has merces sub ipso esse collocatas[2]; hæc autem omnia incerti eventus periculum habent. His dictis abiit Thorstein, Oddus vero, ut præceperat, fecit. Mox advenit rex, et in sede ipsi præparata consedit, suis interea arcas perscrutantibus. Aptissima quæque ad occultandum loca effringunt, neque tamen quæsita inveniunt. Rex: quo modo hæc agantur, nescio; mihi enim persvasum est, aliquas intra hanc navem merces Finnicas esse. Post hæc rex cum suis discessit; Thorstein autem paulisper remanens, Oddo loquitur: hæc ratio non diutius valebit: rex enim ab inquisitione haud facile absistet, hancque fraudem, cum aderit proxime, perspiciet. Nunc merces in velo abscondite, idque ad antennam ligate: jam enim omnia excutientur, tam mercium strues, quam cetera. Oddus, quæ Thorstein præceperat, fecit; ille vero discessit, cumque venisset ad regem, interrogatus, cur cunctatus remansisset, respondit: necessitas me compulit, domine, caliga mihi resarcienda erat. Rex nihil respondebat. Paulo post rex in navem Oddi pervenit, et locutus est: fieri potest, ut sedem mihi paratam mercibus Finnicis construxeritis; quam ob rem hic locus primo excutiendus, et deinde omnia alia:

[1]) merces Finnicas, quæ in sacco cor. sunt, *H.* [2]) absconditas, *H.*

et quo plus difficultatis nobis objicietur, eo gravior vos pœna manebit. Dein omnes latebræ, quæ in mentem venirent, exploratæ, neque quidquam repertum; quo facto rex in terram egressus est. Thorstein, iterum remanendi opportunitatem nactus, Oddum sic alloquitur: nunc nulla expediet ratio, quam ut merces Finnicas ex nave deportetis, et promontorium prætervecti in terra occultetis: cras enim rex huc veniet, tumque hanc latebram indagabit; ego vero alia quam rex via in terram exibo, quo facto minus suspicabitur, me hoc loco remansisse. Ceterum auctor vobis sum, ut, quam primum per ventum licuerit, dare vela in altum conemini, neque prius merces Finnicas in navem reportetis, quam eo momento, quo soluturi sitis: tam enim acriter rex vobis instabit, ne elabi possitis, nisi quam diligentissime vobis caveatis; tanta ei est in excogitandis consiliis solertia, tantaque in urgendo, quæ statuerit, pertinacia. Oddus fassus est, se haud facile posse præstitum ab eo auxilium rependere. Discessit Thorstein, Oddus vero ac sui merces vespere in terram deportatas absconderunt. Postero mane rex reversus velum navis aliasque latebras explorari jussit, post semper apud regem orta suspicione, ubi forte res occultassent. Cum nihil reperiretur, Oddus locutus est: nunc nos non amplius suspicari potes, domine, nulla est nostra in nave lacinia, quin excussa sit. Cui rex: aliud eventus docebit; neque me quisquam ita dolis delusit, quandocunque rependentur. Tanta jam ira rex æstuabat, ut nullis adiri verbis posset. Sic exiit hæc dies; vesperascente autem cœlo, cum secundus spirare ventus cœpisset, Oddus ac sui merces Finnicas in navem reportarunt, se quam maxima festinatione ad navigandum pararunt, et,

antequam illuxerat, jam prætervecti insulam erant. Rex primo mane expergefactus suos ita alloquitur: jam nosse mihi videor totamque perspicere rationem Oddi ac sociorum, et plures quam ii soli haud dubie consiliorum consortes fuere; nunc vero suspicor fore, ut quæ quæsivimus in nave eorum inveniamus; at vero capitale eis crimen intentare non potui, dum rem sola conjectura assecutus sum; agite, nunc quæsitum eamus. Ut vero tentoriis egressi circumspexerant, vela Oddi ac sociorum ad extremas insulas conspicati sunt. Hic rex: sic ego ac Oddus in præsenti invicem discedemus; tu vero, Thorstein, amico tuo adhærere probe calles, Oddum enim pluris fecisti, quam me; et fieri potest, ut, dolos quod attinet, genus tuum referas. Thorstein: hæc vero fides in te ac benevolentia potius quam dolus fuisset, si abs te id infortunium avertissem, ne Oddum, tibi ad hoc tempus amicissimum, multosque alios strenuos viros, qui ne convicti quidem capitis juste accusari potuissent, sola impulsus suspicatione occideres. Oddus ac sui, secundis usi ventis, in Islandiam appulerunt; Oddusque ad villam suum se contulit. Eo tempore navigationibus mercatoriis operam dedit vir quidam, nomine Harekus, Thorsteini cognatus. Hic æstate aliqua navem suam in ostium sinus Midfjördensis appulit; eo tempore magna erat in Islandia caritas annonæ[1]. Oddus Harekum ad hospitium hiemale invitavit, eumque liberaliter tractavit; et insequenti æstate eximios equos admissarios Thorsteini per eum muneri misit, fassus, ut res erat, Thorsteinem sibi omnibusque sociis vitæ auctorem fuisse. Harekus in Norvegiam reversus, Thorsteinem cognatum suum,

[1]) nempe annis 1056-57, vide mantissam Landnamæ.

[qui adhuc apud regem versabatur[1], convenit, equos ei tradidit, missosque ab Oddo significavit. Thorstein: hoc meo maximo cum incommodo accidit: alias enim causa Oddi et auxilium, quod ei sociisque præstiti, in occulto fuisset, nunc vero latere non poterit; jam res aliquantum difficultatis habet, ut expediatur. Tum Thorstein regi equos monstravit, dicens ei ab Oddo missos esse. Cui rex: haud dignus fui, cui Oddus munera mitteret; quare haud dubium est, quin tibi, non mihi, equos miserit; tuque eos habeto, simulque capite plectitor: eumque occidi jussit. Ad quam rem cum homines inviti essent, quod Thorstein apud omnes plurimum gratia valebat, deprecantibus amicis, factum est, ut vita et civitate donaretur; ille vero, relicta aula, post id tempus nunquam in amicitiam regis pervenit.

Cap. 108. Accidit æstate quadam, cum rex Haraldus classe litora præterveheretur, ut ante se hominem viderent scapha vectum, pisces ducentem. Rex, qui tum hilaris erat, quo momento navis sua scapham præterlabebatur, piscatorem compellans: an versus facere calles? inquit. Ille: non calleo, domine, inquit. Immo, inquit rex, haud dubie calles: age, versibus me compella! Alter: itaque vicissim versus facies. Faciam, inquit rex. Tum classiarios ab remigio desistere jubet, erat enim aër tranquillus. Piscator cecinit:

Invitum duxi gadum æglefinum,
certamen mihi fuit cum gado molva,
cujus capiti ictum validum inflixi;
hoc brevi ante tempore accidit.
Nec minus illud memini, me ensem
gestasse auro revinctum, hastasque

1) Omitt. *H.*

juvenum sangvine perfusas vibrasse.
Id longo ante tempore accidit[1].

Rex: an apud nobiles viros, aut in præliis versatus es? Ille: haud diffitendum est, domine, me apud potentes viros versatum esse; tu vero versus subjice. Rex cecinit:

Aulici perquam fideles
Danos ictibus contuderunt,
quorum agmina effuse fugiebant;
hoc brevi ante tempore accidit.
Illud vero prius accidit, ut
procul patria gladios cruentarem:
sonuit ensis in Saracenorum domibus;
hoc longo ante tempore accidit[2].

Jam tu, Thjodolve, versus facito, inquit rex. Thjodolvus cecinit:

Rex in fluvio hastas in hostes jecit:
ibi gladiorum conflictus periculosus
fuit: dii Danis erant irati.
Hoc brevi ante tempore accidit.

---

[1]) Ordo: *Ek dró ófúsa ýsu, ek átta fáng a) við laungu a): ek vann hlömm of b) höfði hennar; [þat var fyrir c) skömmu. þó man ek hitt, at hafðak hrotta, vafðan gulli: dúðum dörr í blóði dreings; þat var fyrir leingra.*

a) Puto piscatorem pronuntiasse *fang lango.* b) *af*, *H*, facili errore. c) *en þat var, H*, eod. sensu.

[2]) Ordo: *Harða dyggir hirðmenn hjuggu Dani stirða a): ferð sótti framm á flótta; en þat var skömmu b). Hitt var fyrr, er c) ek rauð branda d) fjurri fóstrlandi d): sverð saung i Serkja garði; en þat var laungu.*

a) Ad verbum: artus Danorum ita percusserunt, ut rigidi fierent. Sed et construi possunt *hjuggu stirða Dani*, percusserunt asperos (i. e. bellicosos) Danos. b) Puto regem pronuntiasse *skammo.* c) *at*, id., *H.* d) *fóstrland brandi, H,* hoc ordine: *ek rauð fóstrland Serkja brandi, sverð saung fjarri í garði,* gladio rubefeci Saracenorum patriam, gladius procul (longe a patria mea) in domibus sonuit; dubito an recte.

In plana terra Saracenorum
rex signa statuit; principe jubente,
vexilli pertica humi defixa stetit.
Id longo ante tempore accidit[1].

Rex: en poëtam egregium! itane pronuntiasti: *gröm, skömm!* istæ syllabæ metricæ pares non sunt; *hrömm*[2], *skömm*, hæ pares essent; alterum illud sermoni (poëtico) adversatur, et tu sæpius versus fecisti meliores. Thjodolvus, ira succensus, eum facere versus jussit, qui melius sciret. Tum rex piscatori: adhuc stropham pange. Ille: faciam, quæ jubeas, domine, nunc vero haud nullius difficultatis est, versus facere, cum Thjodolvus antea pepigerit, et tu ante illum. Rex aureum annulum manu detractum ei porrexit, his usus verbis: hoc aurum accipe, atque jam stropham compone. Ille, accepto auro, cecinit:

Rex, populo amate, aures
prolatis a me verbis præbeas!
aureum annulum mihi princeps
dedit; hoc brevi ante tempore fuit.
Aquilam saturasti, et sagittis
vitam Maurorum perdidisti:
arcus bellicosi regis crepuit.
Id longo ante tempore accidit[3].

---

[1]) Ordo: *Mildingr rauð a) spjótum i móðu b): þar var illt geira mót: goð voru gröm Däuum; en þat var skömmu c). Gramr setti merki niðr á slèttu Serklandi; staung stóð at ráði stillis; [þat var fyrir d) laungu.*

a) id. q. *hrauð*, a *hrjóða*, spargere. *b*) Puto intelligi amnem Nizam. *c*) Sic h. l. pronuntiavit Thjodolvus, ut ex sequenti reprehensione regis apparet, cum pronuntiare debuisset *skömu*. *d*) *en þat var*, *H*, eodem sensu.

[2]) Cum vox *hrömm* nusquam, quod sciam, occurrat, rexque exempla ex antecedentibus capere videatur, puto h. l. legendum *hlömm*, quam vocem piscator in primæ strophæ versu quarto usurpaverat: *hlömm var þat fyrir skömmu.*

[3]) Ordo: *Konúngr, otvin, heyr þú á mina a) orðu uppreist!*

Rex: tu, Thjodolve, vicissim stropham pange. Qui cum pacturum se negaret, rex: ut verum quidem est, inquit, te, Thjodolve, artis poëticæ bene peritum esse, ita quoque versus a te factos carpi moleste fers. Rex cecinit:

Evenit, cordata virgo, ut puppim
in mare celeriter deducerem, asseribus
coagmentatis prorsum tendentibus;
hoc brevi ante tempore fuit.
Cum vero navis, me vehens, a borea
rueret, unda fatiscens inter vortices
fremuit ab australi parte Angliæ.
Hoc longo ante tempore accidit[1].

Tum is, qui scapha vehebatur, regis jussu cecinit:

Deletor Vindorum! pugnas atroces,
multis locis notas, commisisti,
Thrandis fortiter ad scuta[2] confluentibus;
id brevi ante tempore accidit.
Sed ad australe latus Saracenorum
terræ alacer princeps occidit viros,
peritus itinerum ad pugnas
ferentium; hoc multo ante accidit[3].

---

gramr gaf mèr gullit vafða b); þat var fyrir skömmu c). Saddir örn, ok eyddir fjörvi blámanna (með) örum: streingr [styrfengins stillis d) gall; þat var fyrir leingra.

a) Scribendum videtur *minna*, ut construas *á uppreist minna orða*. b) *rauða*, rubrum, *H*, contra metrum. c) Piscator haud dubie pronuntiavit *skamo*. d) *stillis styrfeingins, H*, obstante recto situ syllabarum metricarum.

1) Ordo: *Hin skýra mær, ek hlaut skjóta hlýri á flæði af hröðúng: feld súð gekk fram: þat var fyrir skömmu. Enn ristin skafl a) röng i röstum fyrir sunnan England: borð óð und mèr norðan; en þat var b) löngu.*

a) Sic, *H*; *skalf*, tremuit, *A*, i. e. *ristin röng skalf í röstum*, costæ navis sectæ tremuere; quod minus placuit. b) *fyrir*, add. *H*.

2) i. e. signa.

3) Ordo: *Vinda mýgir, lèzt of unnín römm víg, viðum a)*

Rex: hæc stropha ex iis, quæ fecisti, optima est, quod attinet ad ultimum strophæ quadrantem[1], in quo nempe significasti, me peritum esse itinerum ad prælia ferentium. Jam si inops es et angustiis rei familiaris premeris, ad me veni, tuam enim inopiam sublevabo. Ille respondit: ego vero angustiis non premor, domine: feci voluptatis gratia, ut tibi hoc loco obvius fierem. Fui cum rege Olavo fratre tuo, in prælio Stiklastadensi, Thorgilsque vocor. Quo dicto, lacerna piscatoria abjecta, eximii viri militaris speciem præ se ferebat; regem deinde comitatus, et ab eo tempore apud eum versatus est.

Cap. 109. Accidit aliquando, ut rex Haraldus veniret in locum, ubi Tryggvius, filius regis Olavi Tryggvidæ, et Svein Alfivæ filius conflixerant. Rex, animi causa in terram egressus, in virum quendam incidit, qui Tryggvio amicissimus fuerat; qui vir, rege viso, admodum tristis et sollicitus evasit. Quo animadverso, rex de causa percontatus: nunquam tibi, opinor, mali quidquam aut incommodi attuli, inquit. Ille: verum est, domine, inquit, sed ego semper vehementer commoveor, quotiescunque nobiles viros adspicio. Quæ hujus rei causa est? inquit rex. Ille: hoc loco ultima vice apud regem Tryggvium versatus sum, quando cum Sveine dimicavit; dein regi Haraldo diligenter de rebus in prælio gestis exposuit; maximum vero, inquit,

---

kunn; þrændr drifu rikt und randir; en þat var skömmu. Enn snarr þengill hjó drengi fyrir sunnan Serkland: gramr kunni gaung at gunni b); en þat var laungu.

a) aut pro *viða um*, aut, quod magis placet, reponendum *virðum*, viris. b) i. e. omnes pugnandi rationes calluit.

[1]) *fjórðúnga lokun*] verissimam lectionem puto esse *fjórðúngulokum; H* habet *þessi eru bezt fjórðúngalokin*, minus recte.

dolorem mihi affert, quod puto regem Tryggvium ab colono, qui hic etiam nunc habitat, clam necatum fuisse; pro certo enim novi, eum in prælio non cecidisse. Rex: haud mirum est, multa hac ætate mala ingravescere, cum talia facinora patrata sint; et vero inter me ac Tryggvium ea intercedit cognationis necessitudo, ut me talia inquirere, sceleraque nefaria ulcisci conveniat. Itaque rex hunc colonum comprehendi, ad verum confitendum cogi, cædemque fassum clandestinam suspendi jussit. Alter vero cum rege versatus, animi ægritudine liberatus est.

Cum Gissur, Isleivi episcopi filius, ad regem Haraldum venisset, nonnullique injecta de eo mentione dicerent, eum virum esse memorabilem, rex Haraldus sic locutus est: vera sunt quæ dicitis; nam ex Gissure tres homines possunt creari: primo enim archipirata esse potest, eique rei est perquam idoneus; deinde etiam tali est ingenio, ut rex esse possit, ad quam rem bene aptus est; denique potest episcopus esse, ad quam rem ex his tribus optime est idoneus; quod munus etiam obtinebit, et vir excellentissimus judicabitur.

Cap. 110. Stuvus nomen erat viro, filio Thordi Katti, ab Snorrone pontifice educati. Thordus Kattus erat filius Thordi, filii Glumi, filii Geirii; mater Thordi Katti erat Gudruna Osvifi filia. Stuvus Thordi filius erat cæcus, vir prudens et eximius poëta. Idem ex Islandia peregre profectus, regnante rege Haraldo Sigurdi filio in Norvegiam venit, et a colono quodam melioris notæ, in Uplandis habitante, hospitio exceptus, amicissimeque habitus est. Aliquo die, cum familia foris esset constituta, vident multos homines, splendide ornatos, ad villam equis advehi. Colonus infit: haud suspicatus eram, regem

Haraldum huc adventurum, hujus vero cohortis species principis adventum haud improbabilem facit. Cumque cohors villæ adpropinquasset, cognoscunt, regem esse. Colonus regem salutavit, et sic locutus est: hospitalitatis officia, domine, non pro ea, qua par est, dignitate tibi præstari possunt, cum omnibus insperantibus adveneris. Cui rex: neque hoc abs te nunc postulo, nam privato consilio provincias obeo; satellites mei suos ipsi equos custodient, et equestria instrumenta curabunt, ego vero ædes intrabo. Rex animo erat hilarissimo, et a colono in cubiculum ad sedem deductus est. Quo facto rex: eo quo lubeat, colone, te conferas, omniaque cum libertate, præsentiam meam nihil veritus, facias. Ea venia nunc utar, inquit colonus. Quo digresso, rex, cum oculos circumferens scamnorum sessores contemplatus esset, animadvertit hominem magnæ staturæ in exteriore scamno insidentem; hunc, quis esset, interrogavit. Ille: Stuvus vocor, inquit. Rex: en, insolitum nomen! cujus filius es? Katti, inquit. Hoc eodem prorsus recidit, inquit rex, qui fuit cattus[1] iste? Stuvus arridens: divina, rex, inquit. Rex: cur jam risisti? Stuvus: divina. Rex: haud facile factu est, quæ animo cogites, divinare; vero simillimum autem existimo, te interrogare voluisse, qui porcus[2] pater meus fuisset, risisse vero, quod hoc percontari veritus sis. Stuvus: recte conjicis. Rex: interius in scamno reside, et mecum confabulare. Ille sic fecit; et animadvertit rex, eum minime esse insipientem, magnamque voluptatem ex colloquio ejus capiebat. Inter hæc paterfamilias, cubiculum ingressus, regem haud dubie tædio affici dixit. Haud ita

[1]) i. e. felis. [2]) Porca fuit cognomen Sigurdi, patris Haraldi.

est, inquit rex, hic enim vir, a te hiberno hospitio exceptus, me oblectat, quare vesperi contra accubato mihi propinaturus; quod et factum. Rex varios sermones cum Stuvo miscuit, qui ad singula prudenter respondebat; cumque cubitum iretur, rex Stuvum in eodem quo ipse cubiculo, ut se colloquio delectaret, conquiescere jussit. Stuvus sic fecit; regemque, cum lecto recubuerat, oblectavit, et carmen aliquod brevius encomiasticum cecinit, quo recitato, rex eum pergere jussit. Rex diu vigilavit, Stuvo interea carminibus oblectante; tandem rex infit: quot jam carmina cecinisti? Stuvus: hæc tibi numeranda reliqueram. Rex: ego quoque numeravi, atque nunc triginta sunt; qui vero sola recitas carmina breviora? nullane tenes majora intercalata? Stuvus: haud pauciora teneo majora intercalata, quam breviora non intercalata, et tamen ex his multa sunt, quæ nondum cecini. Rex: si hæc ita sunt, mirum quantam habere debes notitiam carminum; quem vero recitandis carminibus majoribus oblectare cogitas, siquidem mihi sola recitas breviora? Te ipsum, inquit Stuvus. Rex: quando? Stuvus: cum proxime conveniemus. Rex: cur tunc potius quam nunc? Stuvus: quia velim, tam oblectationem, quam cetera omnia, quæ ad me pertinent, tibi eo melius placere, quo ea audias diutius meliusque cognoscas. Jam primum quieti nos dabimus, inquit rex. Postero mane, cum abire cogitarent, Stuvus regem allocutus: an mihi, rex, quæ petam tribues? Rex: quid optas? Ille: facturum pollicere, antequam dicam. Rex: hoc facere non consvevi, propterea vero quod me oblectasti, periculum faciam. Stuvus: ea est profectionis meæ ratio, quod demortui cujusdam bona in Vika mihi repetenda sunt, quibus ut potiar, peto

abs te, ut literas tuo sigillo munitas mihi tradas. Quod cum se facturum rex pollicitus esset, Stuvus: an mihi, quæ petam, tribues? Rex: quid nunc optas? Ille: pollicere, antequam dicam. Rex: miri ingenii es, neque antea quisquam ita mecum verba fecit; tamen hujus rei etiam nunc faciam periculum. Stuvus: cupio de te carmen facere. Rex: an ex poëtis originem ducis? Stuvus: fuere in familia mea poëtæ: Glumus Geirii erat avus patris mei. Rex: præstans poëta es, si non viliora facis carmina, quam Glumus. Stuvus: haud ego deteriora carmina facio. Rex: non est improbabile, te versus posse facere, cum adeo sis carminum peritus; quam ob rem permitto, in me carmen ut facias. Stuvus: an mihi tribues, quod petam? Rex: quid petere jam vis? Stuvus: pollicere, antequam dicam. Jam non faciam, inquit rex, tu nimis diu sic facere perseverasti, jamque cedo! Stuvus: cupio inter aulicos tuos recipi. Rex: bene accidit, quod tibi non pollicitus sum; hac enim de re aulici mei sunt consulendi; Nidarosum ad me veni. Stuvus in Vikam profectus est, ubi hæreditas, quam repetebat, accedente jussu tesserisque regiis, ei tradita sine controversia est. Deinde Stuvus boream versus profectus, in emporium ad regem venit, ubi ab rege comiter exceptus, consensu aulicorum in jura satellitum receptus, et apud regem aliquantum temporis commoratus est. Is in regem Haraldum epicedium composuit, quod appellatur Encomium Stuvi sive Stuva.

Cap. 111. Jatvardus Adalradi filius fratri Hördaknuto in regno Angliæ successit; is appellatus est Jatvardus Bonus. Mater Jatvardi erat Emma regina, filia Rikardi, dynastæ Rothomagensis, fratris Rodberti dynastæ, patris Vil-

jalmi Bastardi (nothi), qui eo tempore Rothomagi in Normannia dux erat. Rex Jatvardus in matrimonio habuit Gydam, filiam Gudinii dynastæ, Ulvnadi filii; frater Gydæ erat Tostius dynasta, qui filiorum Gudinii natu maximus erat: alter Mörukarius dynasta, tertius Valthjovus dynasta, quartus Svein dynasta, quintus Haraldus, qui natu minimus erat. Hic in aula regis Jatvardi educatus est, et ejus alumnus fuit: quem rex magnopere dilexit, et gnati loco habuit; nullos enim habuit liberos. Æstate quadam Haraldus Gudinii in Britanniam nave profectus, cum paululum a terra processisset, adverso vento abreptus et in altum delatus est. Navigatione tempestatibus periculosa defuncti, in Normanniam appulsi navem ad oppidum Rothomagum constituerunt, ibique dynastam Viljalmum convenerunt, qui Haraldum et socios lætus excepit. Hic Haraldus diu per autumnum commoratus est, lautissime habitus; tempestates enim continuo sævientes mare invium navigantibus reddebant. Appetente vero hieme convenit inter dynastam et Haraldum, ut ibi per hiemem commoraretur. Haraldus in solio ab altero latere dynastæ sedit, ab altero vero uxor dynastæ, quæ omnes feminas venustate superabat. Hi omnes super vina sermones animi causa[1] inter se serebant. Dynasta mature cubitum ire solebat, Haraldus vero per vesperas mensis diutius accumbere amans sermones cum uxore dynastæ miscebat, qua consvetudine per magnam hiemis partem usus est. Hinc ortus rumor, eum animum ad dominam applicare; et aliquando cum colloquerentur, Haraldum allocuta: jam, inquit, quærere dynasta incepit, qua de re tam assidue per vesperas disseramus; atque nunc iratus est, inquit. Cui

[1]) sæpius, add. *H.*

Haraldus: cum quam primum certiorem de omnibus nostris sermonibus faciamus. Postero die Haraldus dynastam advocari jussit: in curiam secedunt: aderat et uxor dynastæ earumque consiliarii. Hic Haraldus sermonem orsus: scias velim, dynasta, plures esse adventus mei causas quam quas adhuc tibi aperuerim; nimirum cogita filiam tuam mihi petere uxorem; qua de re sæpius cum matre ejus sum collocutus, quæ pollicita est, se hanc rem a te impetraturam. Quod cum Haraldus proposuisset, omnes, qui audiverunt, rem probarunt et causam Haraldi apud dynastam commendarunt; eo tandem rei exitu, ut virgo Haraldo desponderetur. Cum vero ea parvo natu esset, decretum est, ut aliquot hiemes præterirent, antequam nuptiis jungerentur. Ubi ver incepit, Haraldus navem suam paravit, atque discessit, ab dynasta amicissime dimissus. Addunt quidam libri historici, Haraldum Gudinii filium dynastæ jusjurandum dixisse ad scrinium sancti Otmari, se nunquam ei adversarium fare, neque eum ab Anglia, si forte repeteret, armis prohibiturum. Rex enim Jatvardus, cognatus ejus, eum per nuntios certiorem fecerat, suo judicio dynastam Viljalmum se mortuo jus regni Anglici habere. Haraldus in Angliam ad regem Jatvardum trajecit, nec postea unquam reversus est, ut eum filia dynastæ sibi desponsa matrimonium jungeret.

Cap. 112. Rex Jatvardus Bonus, cum annos viginti tres rex Angliæ fuisset, prima festi Jolensis feria morbo implicitus, multis ad se principibus advocatis, palam fecit, ducem Viljalmum nothum se mortuo regem Angliæ fore. Qui cum premi morbo cœperat, Haraldo Gudinii filio, ut antea, primæ partes erant in officio regi præstando; nam rex hujus curæ omnes thesauros

commiserat, fratrem vero Tostium universis Angliæ copiis imperatorem præfecerat. Vulgo tradunt, rege Jatvardo jam morti vicino Haraldum cum paucis aliis adfuisse, huncque se super morientem inclinasse, et dixisse: vos omnes testor, quod mihi nunc rex Jatvardus regiam dignitatem universumque Angliæ imperium dedit; deinque rex mortuus lecto elatus est. Rex Jatvardus Londini obiit, et in æde Pauli sepultus est, statimque a morte miraculis claruit. Hic funus ejus humo conditum jacuit, usque eo donec sanctus Thomas archiepiscopus sublatum splendido scrinio includi jussit. Eodem die, quo sanctus rex Jatvardus sepultus est, proceres, quotquot tunc Londini erant, habito conventu de sumendo rege consultarunt. Hic Haraldus testes produxit, quibus præsentibus confirmaverat, regem Jatvardum morientem sibi regiam dignitatem et imperium dedisse; cumque Haraldus amplissimis Angliæ familiis junctus esset, amicorum multitudine floreret artibusque liberalibus optime instructus esset, regnique administratores ab alieno imperio abhorrerent, hujus conventus is exitus fuit, ut Haraldus rex crearetur, et octava[1] festi Jolensis feria in æde Pauli solenniter inauguraretur, omnibus principibus, omnique, qui tunc aderat, populo, in verba ejus jurantibus. Dynasta Tostius, frater Haraldi, his rebus non interfuit. Qui cum hæc omnia cognovisset, Haraldum nulla sibi parte regni relicta regem creatum esse, ægre ferens, quod et se, utpote natu majorem, non minori jure regni obtinendi gaudere existimabat, et multorum judicio Haraldum prudentia superabat, magisque ad imperium idoneus videbatur: fratrem Haraldum adiit, et ab eo, ut imperium secum ex æquo communicaret, petiit. Ha-

[1]) septima, *H.*

raldus se haudquaquam cessurum imperio ostendens: in solium enim collocatus sum, inquit, eo loco, quo loco rex legitime creari debet, et deinde solenniter inauguratus. Hinc factum est, ut omnes proceres ejus partibus se adjungerent; et ipse quoque, ut ante dictum, omnes regias thesauros asservavit. Cum autem rex Haraldus animadvertisset, Tostium velle se dignitate regia spoliare, male ei credidit; erat enim Tostius insigni prudentia et eximius bellator, principumque indigenarum animos sibi devinxerat; quare Haraldus Tostio fratri imperium exercitus abrogavit, eumque omni potestate, quam ei præ ceteris dynastis concesserat rex Jatvardus, exuit. Tostius dynasta, cum nullo modo ab se impetrare posset, ut fratri eisdem parentibus nato, sed natu minimo, famularetur, cum ipse ætatis ratione habita omnes fratres antecelleret: adsumtis copiis suis discessit, primaque australi mari trajecto in Flandriam migravit, ubi paululum moratus est; inde in Frisiam et denique in Daniam ad regem Sveinem, cognatum suum, concessit: Ulvus dynasta, pater regis Sveinis, erat frater Gydæ, matris Tostii dynastæ. Dynasta ab rege Sveine auxilium et copias petivit, ut honores et imperium in Anglia reciperet. Rex Svein eum ad se invitavit, pollicitus, se ei provinciam in Dania daturum, ut pro dignitate vivere posset. Ad quæ dynasta: equidem cupio, inquit, ad meas in Anglia possessiones gentilitias reverti: verum si nullum abs te, rex, auxilium impetro, ut hoc fieri queat, potius me facturum polliceor, ut omnia quæ in Anglia consequi auxilia possim, tibi gratis tradam, si, exemplo regis Knuti avunculi tui, eo cum Danico exercitu trajicere vis. Rex: tanto sum rege Knuto, avunculo meo, inferior, ut vix Daniam ab incursioni-

bus Norvegorum defendere valeam; Knutus vero Prisens Daniam hæreditate, Angliam vi et armis acquisivit: et tamen aliquo tempore parum abfuit, quin infecta re ea in terra mortem oppeteret. Norvegia sine prælio potitus est; hinc ita possum propositis modum statuere, ut magis virium mearum parvitatis rationem, quam rerum a Knuto rege strenuissime gestarum habeam. Tum Tostius dynasta: meo huc adventu successum negotii minus felicem habui, quam tantis in necessitatibus abs te, cognato meo, me habiturum existimavi. Quare eo, ubi multo minus conveniat, de amicitiæ officiis respiciendum mihi est; et tamen fieri potest, ut principem inveniam, quem animus minus, quam te, rex, ad res magnas moliendas deficiat. Sic cognati, animis diversa sentientibus, digressi sunt.

Cap. 113. Post hæc Tostius dynasta iter boream versus convertit, et in Norvegiam pervenit, extemploque regem Haraldum, tum in Vika versantem, adiit. Cui, ut convenerant, causam adventus suis exponit, omnem itineris eventum, ex quo Angliam reliquisset, edocet; quo facto a rege petit, ut se auxiliis ad recuperandum Angliæ imperium juvet. Cui rex sic respondit: haud equidem puto eo inclinaturos Norvegorum animos, ut Anglo imperatore usi expeditionem in Angliam faciant; sunt enim qui dicant, inquit, Anglos fidei esse sublestioris. Dynasta: an vera sunt, quæ quosdam in Anglia dicentes audivi, regem Magnum, cognatum tuum nuntios misisse ad regem Jatvardum, atque per legatos denuntiasse, se non minus Angliam quam Daniam, mortuo Hördaknuto, secundum pacta ab eis jurata, hæreditate accepisse. Rex: cur rex Magnus regnum Angliæ, quod ei cesserat, non retinuit?

Dynasta reposuit: cur Danicum imperium, quod ante te tenuit Magnus, non retines? Rex: non est quod Dani Norvegis insultent; multas illis inussimus maculas, cognatis tuis. Dynasta: quod si mihi ad interrogata respondere non velis, ipse te rem docebo: rex Magnus ea de causa Dania potitus est, quod omnes regni proceres opem ei tulerunt: tu vero ideo non es potitus, quod omnes tibi restiterunt; ideo rex Magnus Angliam armis occupare animum non induxit, quod universus regni populus Jatvardum regem optavit; quod si tu Anglia potiri cupias, facere potero, ut tibi major principum pars auxilium ferat; nulla re fratri Haraldo cedo, solo regio nomine excepto. Hoc autem omnes homines norunt, nullum bellatorem in regnis borealibus natum esse tui similem; et mirum mihi videtur, te quindecim annos bellum ad subigendam Daniam gessisse, nunc vero Angliam, quam occupare tibi liberum est, in tuam redigere nolle potestatem. Rex Haraldus cum dicta dynastæ diligenter perpendisset, intelligens, multa in his vera inesse, animum ejus incessit cupido Angliam invadendi. Itaque rex ac dynasta sæpius collocuti, decreverunt, se æstate proxime insequenti, mari occidentali trajecto, Angliam ferro et armis subacturos. Quare rex Haraldus, missis per totam Norvegiam nuntiis, dimidiam partem copiarum ac navium universi regni ad bellum administrandum imperavit. Quæ res cum pervulgari cœpisset, multæ conjecturæ fiebant, quem eventum ea expeditio foret habitura: multis res ab Haraldo gestas prædicantibus: aliis Angliam difficilem fore oppugnatu dicentibus: regnum esse opulentum et incolis frequentissimum, esse ibi milites Tingamannos dictos, qui eo ab diversis terris, maxime his, ubi lingva Danica invaluisset, conflu-

xerint: hos tanta esse fortitudine, ut singulorum opera ad pugnam non minoris sit, quam duum fortissimorum Norvegûm, qui apud Haraldum essent. Quæ cum jactari vulgo audiret Ulvus aulæ magister, his versibus respondit:

Semper ego parandarum opum
cupidus fui, verum non est quod
satellites regii in prora navis
Haraldi locum occupent,
si duo ex nostris ab singulis
Thingmannis pulsi cedent;
o munda mulier, lino ornata,
equidem junior aliud didici[1].

Eodem vere, antequam rex Haraldus classem solveret, obiit Ulvus aulæ magister; cujus funeri ipse rex Haraldus adstitit, digrediensque sic locutus est: hoc loco situs est vir omnium hominum virtute et in dominum fide præstantissimus. Eo mortuo Styrkar solus aulæ magister factus est, cum utrique antea fuissent. Hoc vere Tostius dynasta in Flæmingiam navigavit, copiis occursurus, tum eis, quæ eum præcedenti hieme[2] secutæ fuerant, tum eis, quæ interea collectæ tam in Flæmingia quam in Anglia erant.

---

[1]) Ordo: *Ek fèkk a) jafnan ónauðigr auðar; stallarum stillis era þörf at hverfa b) innan stafnrúm Haralds c), ef skulum tveir hrökkva undan fyrir einum þingamanni d); hrein e) hörbrekkan f)! úngr kendag mèr annat.*

a) fær, (præs.), *Hk.* *b) hvarfa,* id., *M.* *c)* Sic *H, Hk., M; Har., A.* *d) þingaða manni, H.* *e)* Sic *Hk.; hreins, H, M; hréns,* id., *A;* quæ forte retineri possunt, si construis *brekka hreins hörs,* Tellus puri lini, i. e. femina; quanquam, meo judicio, *hrein skulum* et *hreins skulum,* ut in pronuntiatione, sic inscriptione facile confundi possunt. *f)* Sic *Hk.; herbrekkan* (e pro ö), *A; hærbrekkan,* id., *M; her brezkan, H.*

[2]) ex Anglia, add. *H.*

Cap. 114. Rex Haraldus eodem vere se Nidarosi ad profectionem paravit, exercitu interea ad Solundas conveniente. Ut vero rex paratus erat ad solvendum ex oppido, accessit ad scrinium sancti regis Olavi, quo aperto ungves et comam ejus secuit; dein scrinio clauso, claves in amnem Nidam projecit; alii dicunt claves ab eo in mare ante Agdanesum ejectas. Scrinium regis Olavi longo inde tempore non reclusum est, usque ad tempora regis Magni Hakonis filii et Jonis archiepiscopi[1]. Cum rex Haraldus hanc expeditionem fecit, elapsi erant anni a morte regis Olavi triginta quinque, quantum temporis rex Olavus his in terris vixerat. Rex Haraldus cohortem, quæ eum secuta est, austrum versus ad ceteras copias duxit. Huc magnus numerus lectissimorum militum convenerat, ut vulgo perhibeant, magis eximias copias in unam expeditionem ex Norvegia non exiisse; habuit rex Haraldus duas navium centurias, præter onerarias et navigia leviora. Cum ad Solundas in ancoris starent, vir aliquis in nave regia, nomine Gyrdus, somniavit: visus sibi est in nave regia constitutus in insulam prospectare, feminam gigantem conspicere ingentis staturæ, sicam altera manu, altera vasculum tenentem; naves quoque universas desuper inspectanti aves in prora puppive singulorum navium, nempe soli corvi, insidere visæ. Femina gigas cecinit:

Certum est, monarcham statuisse
ab oriente iter occidentem versus
suscipere, ut multis eximiis artubus
obviam eat; quod mihi lucro erit.
Hic corvo dapis eligendæ facultas
erit, qui largam prædæ copiam

[1]) rex Magnus Hakonis filius imperium accessit 1264, Jon archiepiscopus inauguratus est 1268.

in regiis navibus sibi paratam novit;
cui ego adsidua comes hæreo[1].

Alius vir, nomine Thordus, qui in nave regiæ propinqua versabatur, noctu somnians, visus sibi est classem regis Haraldi conspicere adpellentem ad terram, quam Angliam esse putavit; vidit in terra ingentem aciem, quæ ei accingi in prælium visa est, multis vexillis sublimibus conspicuam; quas incolarum copias prævecta est femina gigas ingentis magnitudinis, lupo insidens, qui exanime corpus hominis in rictu gestabat, cruore per rostra defluente; quod cadaver cum lupus consumsisset, femina gigas alterum in os ejus injecit, et deinceps aliud ex alio, illo singula devorante. Femina gigas cecinit:

Noxia conjux prolis giganteæ,
certum prævidens exitium regis,
tempore prælii appropinquante,
rubrum clypeum splendere facit.
Humanos artus femina
in rictum conjicit feri:
lupi tingit palatum
mulier furiosa cruore,
mulier furiosa cruore[2].

---

1) Ordo: *Víst er, at allvaldr austan eggjast a) vestr b), at leggja mót við marga prúða knútu c); þat er minn snúðr. [þar á d) valþiðurr velja beitu, veit e) sèr ærna f) steik af stafns [haukum stillis g); ek h) fylgi i) þar k) jafnan.*

a) eggjasc, id., *M.* *b) ferð*, iter, *H.* c) *hnúto*, id., *H.* Celeb. Raskius *Knúto*, ut sit acc. pl. nominis proprii *Knútr*, pro heroë. *d) kná*, id., *Hk.* e) *hann*, add. *Hk.* *f) erna*, id. (e pro æ), *Hk.*; *erna*, id., *M.* *g) gjúka stóði*, navibus, *Hk.*, sed tum *stafns* redundare videtur. *h)* omitt. *M*, vide *k.* *i) er*, add. *A*, forte scribendum erat *fylgier*, i. e. *fylgir.* *k) þvi*, *Hk.*; *þat*, *M*, i. e. *þat er fylgi*, hic comitatus nullus non est; tum *jafnan* ad alterutram præced. sententiam referendum.

2) Ordo: *Skað a) brúðr örnis jóða b) sèr gerfa ófõr konungs, lætr skína rauðan skjöld, er dregr at hjaldri. Svanni*

Rex Haraldus aliqua nocte somniavit, se Nidarosi versari, fratremque regem Olavum accedere se, et hos coram versus recitare:

Ego, celeber ille rex Crassus, plurimis
victoriis gloriam meam amplificavi;
idem, quod domi me continebam,
sanctam mortem oppetivi.
Tuum, rex, extremum consilium
quorsum evadat, timeo. Præmatura mors
tibi imminet; hoc Deus non efficit,
(sed tu, qui) lupos strage satiare cupis[1].

Multa alia somnia, portentaque varia, quorum pleraque tristia erant, ibi relata sunt. Rex Haraldus Thorerem Steigensem in hanc expeditionem evocaverat; hic vero vocatus non adfuit, dirum enim somnium de rege et de itineribus ejus ei oblatum fuerat. Antequam rex Haraldus ex Thrandheimo solvit, Magnum filium creari

sviptir e) holdi manna í svarðar d) kjapta: óðlát e) konan f) litar g) úlfs munn innan blóði h).

a) Sic *Fagrsk.*; *skóð*, *A*, *Hk.*, cet.; quod vertunt armata acies, dub.; nam istud *skóð* haud dubie ex *skoð* depravatum. b) i. e. femina gigas. c) *svipt er*, *H*, perperam divisa voce. d) Sic *A*, *Hk.*, cet., quod vertunt os hirsutum; *Fagrsk.* h. l. habet *svæcifland gæfta*; unus cod. *Hk.* *svarflan kjapta*, alter *sveiplanki apta*, quorum veram lectionem esse puto *sveiflankjapta* (nam lectio *svarflankj.* inde depravari potuit), ex nom. *sveiflankjapti*, m., qui os vibrat, distringit, i. e. lupus, ad formam vocis *slaungvanbaugi* etc. e) *ólat* (rect. *óllát*), *M.* f) *kona*, id., *H.* g) *litað*, *H.* h) *M* ultimum versum non repetit.

1) Ordo: *Frægr gramr hinn digri vá flestan sigr til fremdar a); [ek hlaut b) heilagt c) fall til vallar, [þviat sátum d) heima. Ek uggi efst e) ráð tiggja; yðr feigð mun of-byrjuð: guð veldrat f) sliku: gefit fyllar fákum fiks trölls.*

a) *feigðar*, *M*, metro invito. b) *hlýtr þú*, *M*, vide d. c) *háleitt*, eximiam, *H.* d) *ef sætir*, *M*, vide b, i. e. si domi te continebis, sanctam mortem oppetes. e) *öfst*, id., *M.* f) *ræðrat*, id., *M.*

regem jusserat, huncque proficiscens ad rem publicam administrandam imperiumque Norvegicum conservandum reliquit. Remansit quoque[1] Thora Thorbergi filia, regina vero Ellisiva, filiæque Maria et Ingigerda regem comitatæ sunt. Olavus quoque, regis Haraldi filius, patrem peregre abeuntem est comitatus.

Cap. 115. Rex Haraldus, ut paratus erat, ventum nactus secundum, cum universa classe in altum navigavit. Ipse, ex alto delatus, Hjaltlandiam attigit, pars navium ad Orcades appulsa est. Rex Haraldus paulisper ad Hjaltlandiam moratus, antequam in Orcades navigaret, secum inde magnum militum numerum, et dynastas, Paulum et Erlendum, dynastæ Thorfinni[2] filios, abduxit, relicta ibidem regina Ellisiva, et filiabus, Maria et Ingigerda. Inde rex Haraldus austrum versus navigans, Scotiæ litora prætervectus, ad Angliam subiit, classemque appulit ad locum, quæ Klivlanda[3] dicuntur. Hic navibus egressus, populationem fecit, nemineque resistente terram in potestatem suam redegit. Deinde Skardaborgam[4] aggressus, oppidanos oppugnavit. Rex excelsa rupe, quæ in vicinia oppidi erat, conscensa, ingentem ibi rogum exstrui, ignemque subjici jussit; qui cum ardere cœpisset, prægrandibus longuriis sumtis, ardentes titiones sustulerunt et in oppidum conjecerunt; quo facto alia domus ex alia extemplo ardere cœpit, absumtoque oppido, magna hominum multitudo ab Norvegis interfecta, omnisque, quæ victoribus se offerret, pecunia capta. Hinc Anglis, qui vitam retinere vellent, nulla spes erat reliqua, quam ut pacem peterent, et regi Haraldo se dederent. Sic loca, quacunque iret, in potesta-

[1]) regina, add. *H.* [2]) Cranisecæ, add. *H.* [3]) nunc *Cleveland.* [4]) hodie *Scarborough.*

tem suam redegit. Inde rex austrum versus navigans, litora classe prætervectus, ad Hellornesum[1] appulit; hic collecta incolarum turba ei obviam facta, prælium commisit et victoria potitus est. Hinc Humra Usam usque subvectus, naves ad terram applicuit. Filii Gudinii, dynasta Mörukarius et dynasta Valthjovus ab Hundatuno[2], cum invicto exercitu, qui per totam æstatem collectus fuerat, Eboraci se continebant. Cum vero copiæ dynastarum descenderent, rex Haraldus in terram egressus aciem instruere cœpit, cujus alterum cornu in ripam fluvii extendebatur, alterum in terram extensum, ad uliginosum quendam locum, paludem altam et latam, aqua plenam, pertinebat. Dynastæ cohortes suas, quæ robur exercitus effecerunt, secundo amne promovebant. Vexillum regis Haraldi prope fluvium erat, eoque loco densa acies erat, quæ vero ad paludem instructa erat acies et rarior erat et ad pugnandum infirmior; huc cum Mörukarius, vexillum suum præferens, descenderet, cornu aciei Norvegicæ, quod paludem spectabat, gradum referebat, Anglis instantibus, Norvegosque fugam velle capessere opinantibus. Ut vero rex Haraldus suos secundum paludem referre gradum animadvertit, bellicum cani jussit, suosque vehementer cohortatus, signum Landeydam proferri jussit, tamque acrem fecit impetum, ut omnes repellerentur. Tum magna strages militum dynastarum facta est. Sic Stein Herdisæ filius:

Rex juvenis! effecisti, ut
coloni prope Usam caderent.
Milites impetum fecerunt, ubi rex, sibi
non parcens, vitam periculis exposuit.
Sine dubio adventus hujus principis

[1]) nunc promont. *Holderness.* [2]) hod. *Huntingdon*, AS. *Huntantun.*

Anglis, eo prælio superstitibus,
æque hærebit in memoria, ac si
ipsos etiamnunc persequatur[1].

Valthjovus dynasta signum suum secundum amnem contra aciem regis Haraldi proferri jusserat; cum vero impetum acriorem fieri jussisset rex, Valthjovus dynasta cum suis adverso fluvio refugit; et hæc sola exercitus pars, quæ eum secuta est, salva evasit, cum tanta cecidisset multitudo, ut ingentes sangvinis rivi per campos defluxerint; id quod Stein testatur:

Rivi sangvinis late per campos
manavere; lupi ibidem alimenti
satis nacti sunt, pugnatores vero
per sangvinem hostium vaserunt[2].

Cum vero Valthjovus dynasta fugisset, rex Haraldus cum sua cohorte dynastam Mörukarium copiasque, quæ cum eo secundum paludem processerat, a tergo circumventum adortus est; hic Anglorum multæ centuriæ ceciderunt. Sic Arnor[3]:

Rex prope Usam graves enses
cruentavit, nulli Anglorum parcens;
qua strage haud facile ulla atrocior
edetur inter fortes milites[4].

Magna hominum multitudine in paludem irruente,

---

1) Ordo: *Úngr visi! lèzt a) búendr falla allnær Úsu; herr sótti, þar er hlíftrauðr konúngr hætti lifi. Þángatkváma b) þess konúngs mun iflaust vera Englum, er þá lifðu, sem renni c) enn eptir.*

a) *lèt* (3. pers.), *H.* *b*) *þángatkvomu, H.* *c*) *renna,* meum exscr.

2) Ordo: *Benjaregn fèllu vitt um völlu, en víkingar óðu blóð bragna; vargr náði bjargast þar.*

3) Stein, *H.*

4) Ordo: *Vísi rauð eirlaust þúng járn á Englum nær Úsu; nè kemr vel meira valfall um snjallan her.*

acervus cæsorum tam dense cumulatus est, ut Norvegi, per humana cadavera gradientes, siccis pedibus paludem transirent; hoc loco dynasta Mörukarius periit, teste Steine:

Magna multitudo in fluvio periit:
submersi milites aquis absorpti sunt;
haud pauci juvenes olim super
juvene Mörukario strati jacuere.
Rex virorum fugientes persecutus est:
insequentem strenuum principem
miles præcipiti cursu fugiebat.
Imperiosus novit sub[1].

Hoc carmen, quod de rege Olavo Tranquillo composuit Stein, memorat, Olavum prælio interfuisse cum rege Haraldo, patre suo; de hac quoque strage mentionem facit poëmatium Haraldinum:

Valthjovi socii
gladiis cæsi,
in paludem
dejecti jacuere:
ut Norvegi
prælio acres
per sola cadavera
incedere possent.

Copiæ incolarum, quæ eo convenerant, adeo ad internecionem deletæ sunt, ut ex militibus nemo

---

[1]) Ordo: *Mörg þjóð fórsk a) í móðu: sokknir menn drukknuðu: ófár drengr lá ár of úngan Mörukára. Fira b) drottinn rak flótta framm c), herr tók á ramri rás fyrir röskum vísa: Riklundaðr [veit undir d).*

a) fórst, id., *H.* *b) Fila,* Fjalensium, *H, Hk., M.* *c) framt,* fortiter, *M; framr,* excellens, *Hk., Fagrsk.* *d)* Sic unus Cod. *Hk.*, cujus quatuor Codd. habent *undir*, sed pro *veit* variant *vult, varð, veik*; *vítt, A, Hk.*; *hèlt, Fagrsk.*; nempe librarii putaverunt, versum cum præcedentibus cohærere, quod rectum non est; vide Script. hist. Vol. 3, p. 228-29.

evaderet. Quos cum rex ex loco superiore a tergo invaderet, parsque militum regiorum ab inferiore loco resisteret, nusquam effugere, nisi in paludem, potuerunt; unde alii armis cæsi, alii lapidum conjectu necati, alii hastarum punctionibus in paludem protrusi. Sic Arnor:

Fervidus sangvis in congressu
cum rege defluxit; signa
provolarunt; saxa in fessos
viros celeriter involarunt.
Eo loco multa millia militum
bellicosorum vitam posuere:
hastæ, manu emissæ,
capita virorum pervolarunt[1].

Hoc prælium commissum est die Jovis proximo ante festum Matthæi. Rex Haraldus, haud multis suorum amissis, magna jam victoria potitus erat; dynasta vero Valthjovus cum copiis unacum eo elapsis in oppidum Eboracum refugerunt. Sic Arnor:

Munificus Sognensium amicus,
qui militibus splendidos clypeos
gerentibus nunquam cessit, victoriam
adeptus est, pugna ex voto facta.
Dynastæ in oppidum refugerunt:
horum copiis non parsum est;
hujus diei mane homines
in memoria habebunt[2].

---

[1]) Ordo: *Glóðheitr sveiti fèll ofan, at fundi a) stillis; vè b) óðu framm; grjót fló ört á móða gauta. Hykk tók- c) fúsa þjóð náðu at láta líf d) þaðra þúsundum e); spjót flugu laus í hausum gumna.*

a) fundu, H. *b) vie, A; ve, H, M.* c) puto: educendi (gladii) cupidus; *tog*, id., *M.* d) *laus*, prave, *H.* e) *þúshundum*, id., *H.*

[2]) Ordo: *Gjafvinr a) Sygna, hinn er aldri fór á hæl fyrir mönnum hreinskjaldar b), fèkk gagn: hildr gekk at vildra*

Cap. 116. Tostius dynasta, ut ex Flæmingia advenit, se cum rege Haraldo ad Angliam appulso conjunxerat, et his omnibus præliis, de quibus modo facta mentio est, interfuerat. Res autem omnino cecidit, quemadmodum regi prædixerat: multi enim in his Angliæ locis ad eos transierunt ex iis, qui Tostio dynastæ aut cognati aut amici erant; quæ res magno regi adjumento fuit. Post hoc prælium, de quo modo narratum, omnes incolæ provinciarum regi Haraldo se submiserunt, alii aufugerunt. Dein iter ingressus, ut oppidum Eboracum expugnaret, universum exercitum ad Stavnfurdobryggjam[1] admovit. Eam vero ob causam, quod rex tantam victoriam adversus summos duces et immensas copias reportaverat, omnes incolæ, metu perculsi, de rebus suis desperarunt. Quare oppidani id consilii ceperunt, ut misso ad regem Haraldum nuntio, se suaque et oppidum in potestatem ejus tradituros pollicerentur; et constitutum est, ut rex die Solis conventum et colloquium cum oppidanis haberet. Die dominica rex Haraldus, adducto exercitu, comitia extra oppidum habuit, quibus comitiis omnes oppidani regi Haraldo, obsequio et fide jurata, obsides dederunt, nobilium virorum filios, Tostio præcipiente, qui omnium oppidanorum conditionem novit. Vespere rex cum suis, gratuita victoria potitus, ad naves descendit magna cum lætitia. Constitutum fuerat, ut comitia in oppido secunda hebdomadis die haberentur, tumque rex Haraldus viros auctoritate præstantes oppido præficeret, et jura

---

mun. Jarlar dyndu undan c) *til borgar; lið þeirra fékk-a eir; mannkyn hefir þann morgun at minnum.*

a) *gjöfvinr*, id., *M*; *gjafvinur* (duplicato *n*), *H*. b) *hreinskjulduðr*, splendido clypeo tectus, *H*. c) *undar*, *M*.

[1]) Staufurdobr., *H*, *Stanfordbridge*.

privilegiaque daret. Eodem vespere post occasum solis rex Haraldus Gudinii filius, australem oppidi partem advectus cum immensa copiarum multitudine, consensu ac voluntate omnium oppidanorum in oppidum receptus est. Tum omnes oppidi portæ omnesque viæ obsessæ, ne qua fama ad Norvegos exiret. Hæ copiæ sequenti nocte in oppido pernoctabant.

Cap. 117. Die Lunæ rex Haraldus, Sigurdi filius, sumto prandio, copias ad egrediendum classico evocavit, exercitum instruxit, copias divisit; constitutis qui irent quique remanerent, duos ex quovis manipulo escendere, unum remanere jussit. Dynasta Tostius se suamque manum cum rege Haraldo ad escensionem paravit, remanentibus ad custodiendas naves Olavo regis filio, et Eysteine Orrio, filio Thorbergi Arnii filii, qui id temporis celeberrimus regique carissimus omnium Norvegicorum præfectorum fuit, cui tum rex Haraldus Mariam filiam[1] nuptum promiserat: remanentibus quoque dynastis Orcadensibus, Paulo et Erlendo. Cælum erat sudum et serenum, magnique a sole calores, quare milites, loricis relictis, cum clypeis, gáleis[2] et gæsis, ensibusque cincti escenderunt; multi sagittas et arcus habuerunt, magnamque lætitiam præferebant. Oppidum appropinquantes ingentem pulveris nubem animadverterunt, et sub hac magnum ferri militum numerum cum politis clypeis splendidisque loricis. Quo viso rex suos gradum sistere jussit, advocatoque Tostio dynasta, quæsivit, quosnam esse putaret, qui adversum contenderent. Dynasta: veri simile existimo, hostes adventare, fieri tamen potest, ut aliqui sint ex cognatis nostris, qui veniam et gratiam petere, vicissimque fidem et operam polliceri velint. Rex auctor

[1]) cum rediissent, add. *M.* [2]) omitt. *H.*

erat, ut primo eodem loco manerent, et exercitum specularentur. Sic faciendo animadvertunt, quo propius turba accessisset, quoque accuratius cognoscerent, eo numerosiorem esse itaque armatam, ut si crustam glacialem inspiceres. Tum Tostius dynasta: jam bonum aliquod et prudens, domine, consilium capiamus, nunc enim negari non potest, adesse hostes, quorum multitudini ipsum regem adesse puto. Rex: quid faciendum putas? Dynasta: primo, ut quam celerrime ad naves redeamus, copias nostras et arma petituri, tumque pro viribus resistamus; alioquin in naves nos recipiamus, quo facto equitibus nostri copia non fiet. Rex: alio consilio utendum censeo: tres strenuos juvenes celerrimis equis imponendos, qui quantocissime equitent, nostrisque nuntient, quem in locum res deducta sit; qui brevi nobis auxilio aderunt, quod Angli acrem pugnam sunt experturi, antequam succumbamus. Dynasta: hæc res, ut aliæ, tui, domine, arbitrii esto; neque enim hanc sententiam dixi, quod ceteris propensior ad fugam sim, sed quod utilius consilium in medium erat proferendum. Tum rex Haraldus signum suum, Landeydam, erigi jussit; Fridreko nomen erat viro, qui signum tulit. Dein aciem instruxit, longam quidem, sed non densam; quo facto cornua retro circumflexit, donec inter se concurrerunt, ut acies latum ac densum circulum, undique æqualem, efficeret; tam primi, quam proximi ordines consertis clypeis circumquaque protegebantur. Ideo vero acies hac ratione instructa erat, quod rex novit, equites turmatim advehi et revehi solitos. Intra circulum cohors regia erat, quæ manus viritim erat lecta: ibidem erant sagittarii, alio vero loco Tostius dynasta cum sua cohorte aliud signum habuit. Tum rex dynastam, qua

maxime opus esset, progredi jussit: hi autem, inquit, qui in primis ordinibus consistunt, extrema hastīlia solo infigant, cuspidibus in pectora equitum adequitantium versis; proximi ordines cuspides in equorum pectorà dirigant; gæsaque ita prætendite, ut nusquam impetus fieri possit; firmo gradu consistamus, et caveamus, ne hunc ordinem perturbari sinamus.

Cap. 118. Rex Haraldus Gudinii filius advenerat, invictum habens equitum peditumque numerum. Regem vero Haraldum amplius dimidio pauciores copias habuisse perhibent. Sic Arnor:

> Eximius princeps, qui sua
> in vita nunquam periculum
> metuit, exiguo præsidio munitus
> exscensionem fieri imperavit.
> Validus autem exercitus, per Angliam
> profectus, ab austro ivit
> pugnatum cum egregio řege,
> qui statim cum eo congressus est[1].

Rex Haraldus, Sigurdi filius, aciem equo circumvectus, quomodo instructa esset, observabat. Vehebatur equo nigro, candida macula frontem notato; qui collapsus regem præcipitem excussit. Ille resurgens: casus bonum itineris omen, inquit. Tum rex Haraldus Gudinii Norvegos, qui apud eum versabantur, allocutus: an cognostis virum illum ingentis staturæ, qui ex equo istic decidit, cærulea indutus tunica, splendidamque galeam gerens. Rex Norvégorum est, inquiunt. Rex: en virum ingentem et eximia corporis dignitate! quanquam ab fortuna jamjam de-

---

[1]) Ordo: *Ítr ýngvi, sá er aldregi á sinni æfi sásk háska, bauð uppgaungu við lítinn helming. En öflugr herr fór sunnan um England at berjast við dýran fylki; þeir fundust af stundu.*

sertus videtur. Deinde viginti equites Angli, omnes loricati, equis loricatis vecti, procucurrerunt; qui cum ad aciem Norvegorum pervenerunt, equitum unus: ubi dynasta Tostius in acie versatur? Ille contra: haud diffitendum, eum hic a vobis deprehendi posse. Eques: Haraldus, frater tuus, salutem tibi mittit, pacemque tibi et possessionem Northumbriæ offert, et quo malis ad gratiam reconciliandam inclinari animum, trientem totius regni se cessurum pollicetur. Hic dynasta: itaque aliud quid jam offertur, quam bellum et ignominia, ut præcedenti hieme, quæ si tum oblata fuissent, multi, qui mortem oppetierunt, vitam retinerent, imperiumque Angliæ regis magis floreret. Igitur hanc ego conditionem amplector: quid vero frater Haraldus regi Norvegico in mercedem laboris offerre vult? Eques: nonnihil significavit, quantam Angliæ partem regi Haraldo Sigurdi filio concedere vellet, nimirum septem pedum spatium, eoque amplius, quo plerisque aliis hominibus procerior est. Dynasta: jam ite, atque regem Haraldum, fratrem meum se prælio accingere jubete; alia res apud Norvegos vera esse prædicabitur, quam dynastam Tostium, deserto Haraldo Norvegiæ rege, Anglis bellum inferente, ad hostes transiisse; nos omnes potius unum capiemus consilium, aut honeste occumbendi, aut parta victoria Angliam subigendi. Quibus dictis equites ad suos revecti sunt. Tum rex Haraldus dynastæ: quis fuit vir ille disertus? Dynasta: Haraldus Gudinii, frater meus. Rex: nimis diu id celatus sum; tam enim prope ad aciem nostram accesserant, ut Haraldus iste cædis nostrorum vix futurus nuntius fuisset. Dynasta: verum quidem est, domine, incautius talis princeps se gessit; et ipse intellexi, rem sic institui potuisse, ut in-

dicasti. Sed tum animi generositate multum inter nos distaremus: ille aderat, ut mihi pacem amplumque imperium offerret; ego contra ejus percussor fuissem, si eum prodidissem; hoc vero ideo feci, quod malui necem a fratre perpeti, quam ejus interfector esse, si ea conditio oblata esset. Tum rex suis: hic vir fuit parvæ quidem staturæ, sed magnæ agilitatis, et stapedibus superbe insistebat. Quo dicto rex Haraldus in coronam clypeatorum ingressus, hos versus pronuntiavit:

Instructa acie
progredimur
sine loricis
adversus livida tela,
galeis fulgentibus;
meam[1] non habeo;
armatura enim nostra
in navibus jacet.

Lorica ejus dicta est Emma, quæ tam demissa fuit, ut ad medium crus pertineret, tantæque firmitatis, ut lædi telo nequiret. Hic rex: hæc stropha male* pacta est, quare aliam meliorem faciam. Ille cecinit:

Nos in prælio sub cavum clypei
nos non incurvamus, telorum
perculsi strepitu; promissi
servans femina sic præcepit.
Eadem me olim jussit caput

[1]) nempe loricam, Emmam dictam.

*) Puto regi stropham displicuisse ob versum sextum: *hefka ek mína*, ubi *τὸ mína* ambiguum est, non enim referendum est ad proxime præcedens *hjálmar*, sed ad *brynja*, quod occurrit versu tertio in adjectivo composito *brynjulausir*. Aliunde rationem repetit Olavius in *Nordens gamle Digtekonst* p. 17. §. 35, et p. 170. §. 45.

sublime gestare in metallorum
crepitu, ubi fulgidi gladii
ac capita inter se occurrerunt[1].

Tum Thjodolvus poëta cecinit:

Etsi rex ipse humi occumbat,
non ego regis juvenes filios
deseram; hoc, uti Deus
volet, mihi succedet.
Sol nullos spei melioris
juvenes regios aspicit,
quam hunc utrumque; filii Haraldi,
consilio valentis, veri sunt accipitres[2].

Constat inter omnes, consilium, primum ab Tostio datum, optimum et ad rem præsentem utilissimum fuisse, nempe viso incolarum exercitu ad naves reverti. Verum, ut perituris nullum patere solet effugium, ita hic damno fuit nimia regis contentio, qui veritus est, ne ea cautio ipsi ab adversariis ignaviæ verteretur, aut pro fuga haberetur; quemadmodum Arnor testatur:

Nimia regis audacia in acri
chalybum procella fecit, ut
liberali illi principi non
contingeret videre senectutem.
Illi (inquam), qui, tingens ungves
vetusti feri jumenti gigantei,

---

[1]) Ordo: *Vèr krjúpum eigi í bug skjaldar at hjaldri fyrir brakan a) vápna: haldorð hildr valteigs bauð svá. Menskorð bað mik forðum bera hátt hjálmstall í gný málma, þar er mættist b) hlakkar íss ok hausar.*

a) *brokon*, id., *M.* *b)* *mættusc*, id., *M.*

[2]) Ordo: *þótt sjálfr fylkir falli til vallar, skalka ek hverfa frá úngum erfingjum grams: gengr, sem guð vill. Sól skínnat a) á sýuni konúngsefni, en þá báða: hefnendr snjallráðs Haralds eru gerfir haukar b).*

a) *skín at*, id., *H*; *skinna*, id., *M*; posterior semistropha in *Hk.* non recte resolvitur. *b)* i. e. strenuissimi sunt.

sibi nunquam in telorum
tempestate parcere solitus est[1].

Cap. 119. Prælium ita exorsi sunt, ut Anglorum equitatus impetum in Norvegos faceret, hi vero strenuissime resisterent, gæsis ita dispositis, ut equitum gladii Norvegos tangere nequirent; itaque aciem circumequitarunt, cumque aliquanto propius accessissent, sagittarii Norvegorum quam creberrime tela in eos conjecerunt. Angli intelligentes, nihil profici posse, revecti sunt. Quo viso Norvegi, equites fugere rati, instituerunt, fugientesque persequi voluerunt. Cum vero coronam scutatorum dissolvissent, Angli equites undique eos adorti, sagittas hastasque in eos ingesserunt. Rex Haraldus Sigurdi filius animadvertens, suos densius cadere, præliantibus, qua vehementissime tela ingerebantur, se immiscuit. Hic cum res acerrime gereretur, multi utrinque ceciderunt, rege Haraldo, Norvegiæ rege, maxima animositate præliante. Sic Arnor dynastarum poëta:

Acerrimus rex in prælio,
galeis infesto, haud exigua
fortitudine se defendit, acri
ejus animo non trepidante.
Qua pugna, in conspectu militum,
cruentus gladius regulorum
inermis oppressoris viros cecidit,

1) Ordo: *Ofrausn stillis a) í straungu stáls eli olli þat b), er stríðir ormalátrs máttið bíða elli: lituðr hramma aldins ótams-varðrúnar viggs c), sá er aldregi sparði sik í vápna glyggvi d).*

a) *stillir* (nom.), *H.* b) *þar, H*; mallem *þvi.* c) Sic conjeci, svadente contextu et consonantia metrica; *vigs* (v. *vigs*), *A.* d) *J. Olavius* alias lectiones secutus, hanc stropham explicavit in tractatu de poësi Borealium, pag. 171.

dum (rex) opem tulit centurionibus[1].

Hic regem Haraldum tanta incessit rabies et ardor pugnandi, ut ex acie procurrens gladium ab utroque latere vibraret, neque galeis neque loricis ictus sustinentibus. Aciem adversariorum haud secus perrupit, ac si per ventum pervaderet; omnes enim proxime adstantes se abripuerunt, ut parum abesset, quin Angli terga verterent. Sic Stuvus poëta:

Moderator ensium nimbi, qui
vitæ suæ minime pepercit,
per acies eo loco pugnantes,
quasi per ventum, lætus pervasit.
Idem rex neque ignem, neque
emissa tela metuit: quæ res
memoriæ prodita postea in terris
laudibus concelebrata est[2].

Proxime ab his rex Haraldus Sigurdi filius sa-

---

[1]) Ordo: *Hlitstyggr hilmir hafðit a) litit b) brjóst fyrir sèr í hjálmþrimu c), nè bifðist böðsnart hjarta konúngs: þars at d) blóðugr hjörr hins e) barra f) döglinga hneitis beit skatna, til g) þarfar h) hersa:* [*menn sá d) þat.*

a) hafðut, Fagrsk.; *hafði*, sine negatione, *Hk.* *b) liggja, Fagrsk.*, quod non assequor. *c) hjálmþrumu*, id., *Fagrsk.* *d)* pleonast., quanquam insolenter; *sjatnaði, H.* *e) en, H.* *f)* vel promti. *g) því, H.* *h) þengils, Hk., Fagrsk.*, i. e. *menn sá þat til hersa þengils*, milites regem hæc facientem viderunt; quod præferendum puto.

[2]) Ordo: *Varðandi geira regns a), sá er vætki b) sparði fjör, gekk glaðr í gegnum c) orrostur d) þaðra, sem vind. Sá gramr flýðit e) eld nè járnit f) felda; þess of- g) dæmi eru h) síðan sæm und erkistóli i) els.*

a) regn, H; hreggs, id., *Fagrsk.* *b) vækki*, id., meum exscr.; *væcti, Fagrsk.*, facili errore. *c) glyggvi, Fagrsk.* *d) orrustu* (sing.), *H.* *e) flýði*, prave, *H; flúði at, Fagrsk.* *f) jarðar, H.* *g)* Sic *H*, cujus ordinem h. l. sequor; *ef, A,* cet., *Fagrsk.* *h) væri, Fagrsk.* *i) æckistóli, Fagrsk.*, facili errore.

gitta jugulum percussus est, sangvine per os emicante, quæ plaga ei letalis exstitit. Eo igitur loco cecidit, nec non tota cohors, quæ cum eo progressa fuerat, præter eos ex militibus, qui gradum referentes signa sua retinuerant. Hic etiam nunc acris exstitit pugna, Norvegis magno ardore rem gerentibus, et aliis alios cohortantibus. Cum vero Tostius dynasta animadvertisset, regem cecidisse, eo se convertit, ubi Landeydam sublimem ferri conspexit, signoque regio succedens milites magnopere cohortatus est. Paulo post utrique quietem ceperunt, prælio diutuscule intermisso. Tum Thjodolvus cecinit:

Graves pœnas dederunt milites:
exercitum nunc in periculo
puto versari; hanc domo expeditionem
suis Haraldus sine causa imperavit.
Ita cessavit vita principis
animosi, ut omnes in difficili
loco constituti simus. Rex vitæ
celebris jacturam fecit[1].

Dein utrique se iterum ad prælium pararunt, ante vero quam acies concurrerent, rex Haraldus Gudinii fratri Tostio dynastæ omnibusque Norvegis, qui adhuc superstites erant, pacem obtulit. Universi autem Norvegi simul conclamarunt, dicentes, se prius alios super alios casuros, quam ad pacis conditiones descensuros. Hoc memorat Arnor:

Mors principis metuendi

---

[1]) Ordo: *Öld hefir goldit illt afroð a): nú kveð ek her stiltan; Haraldr bauð þjóðum þarflaust þessa för b) austan. Æfi snjalls siklings lauk svá, at vèr erom c) allir í vaudum d) stað: lofðúngr fèkk grand [hins leyfða e) lífs.*

a) *afráð*, id., *Hk.*, *M*, *Fagrsk.*; sequor *Hk.* T. 3. *b*) *ferð*, id., *Hk.* *c*) *erum*, id., *Fagrsk.* *d*) *vondum*, malo, *H.* *e*) *hinn leyfði*, celeber ille rex, *Hk.*, *Fagrsk.*

minime auspicato accidit;
prædonum deletori spicula,
auro bracteata, non pepercerunt.
Universi milites liberalis illius
regis denique præoptarunt
circa bellicosum imperatorem
cadere, quam pacem petere[1].

Tum clamore bellico ab Norvegis sublato, prælium iterum redintegratum est. Jam Tostius, qui imperator aciem curabat, signa sequebatur, et antequam impetus prælii cessaret, cecidit, magnis editis præclaræ fortitudinis documentis. Eodem momento Eystein Orrius ab navibus advenit iis cum copiis, quæ eum sequebantur, quorum omnes loricis erant contecti. Eystein Orrius confestim Landeydam, signum regis Haraldi, nactus, prælium tertio renovavit, quo jam acerrime commisso, tanta cecidit multitudo Anglorum, ut parum abesset, quin fugam capesserent; quæ pugna impetus Orrii dicta. Eystein ac sui tanto studio ab navibus contenderant, ut ante lassitudine pæne exanimati essent, quam prælium commisissent; commisso autem, tanto ardore rem gerebant, ut, quoad liceret, se clypeis non tegerent; tandem loricas annulatas exuerunt, quo facto nuda corpora ictibus Anglorum opposita erant; alii vero, omnino exanimati, sine vulneribus periere. Sic

---

1) Ordo: *Dauði hins a) ýgja b) konúngs varð eigi auðligr: broddar c), reknir d) hoddum, hlífðut e) hlenna f) sæfi g). Allir liðsmenn hins milda mildíngs kjöru h) heldr meirr i) falla um k) fólksnaran fylki, enn vildi grið.*

a) *ens*, id., *M.* *b)* *ægja*, id., *Hk.*, *Fagrsk.*; *øgja*, id., *M.* *c)* *oddar*, id., *Hk.* *d)* *roðnir*, rubefacti, rubri, *Hk.* *e)* Sic *H*, *M. Hk.*; *hlífðu*, *A* *f)* Sic cet.; *lenna* v. *senna*, *A.* *g)* *sofi*, *Hk.* *h)* *kuru* (usitatius apud veteres), *M*, *Hk.*, *Fagrsk.* *i)* *menn meirr*, *A*, sed illud *menn* ex repetita prava lectione ortum. *k)* vel super.

eo loco omnes fere Norvegorum viri nobiliores ceciderunt. Acciderunt hæc die in vesperam declinante. Evenit autem hic, quod plerumque accidere solet, magna uno loco conveniente multitudine, ut non omnes pari virtute in prælium procederent: multi enim variis modis saluti consulere conabantur; quæ res pro fortunæ varietate varium eventum habuit; fuere, quos fortuna longiori vitæ reservavit, quibus e manibus hostium evadere contigit. Tenebris vespere obortis, edi strages desiit. Styrkar, regis Haraldi aulæ magister, vir egregius, equum nactus vespere avectus est. Ventus vehementior ac frigidior hoc vespere inciderat. Quare Styrkar, qui præter indusium solum nihil vestimentorum haberet, galea caput tectus, nudum manu gladium gestans, remittente lassitudine mox frigere cœpit. Qui obviam factus rhedario cuidam, mastruca subsutis pannis induto: vin' mastrucam vendere, colone? Ille: tibi quidem nolo, inquit, tu haud dubie unus Norvegorum es, voce te cognosco. Styrkar: si Norvegus sum, quid tum? Occidam te, inquit colonus, sed male accidit, quod nullum præsto sit telum, quo uti possim. Styrkar: quod si tu me occidere, colone, non potes, at ego periculum faciam tui occidendi. Quo dicto sublatum gladium collo ejus infligit, ut caput avolaret; tum Styrkar vestem pelliceam rapuit et induit sibi, equoque conscenso ad litus equitavit. Hoc prælium, de quo facta modo mentio est, quod ultimum rex Haraldus suique commiserunt, Arnor dynastarum poëta commemoravit in carmine funebri, quod de rege Haraldo composuit:

> Nomen regis multis locis innotuit.
> Qui naves bellicas a borea
> ex Nida strenue deduxit,

a permultis laudatus est[1].

Testatur Arnor, incertum sibi esse, an alium quemquam regem sol aspexerit, qui tantam, quantam rex Haraldus, in prælio animi fortitudinem ac virtutem ostenderit. Sic ille:

Obscurum est mihi (non enim vates
cernit), quis mortalium fortitudine
pari præditus res majores gesserit;
rex bellicosus strenuum se præbuit.
Rex ille liberalis summam animi
fortitudinem adeptus est. Res gestæ
cujuslibet strenui principis, qui usquam
gentium fuit, minorem habent præstantiam[2].

Idem porro:

Haraldus bellicosus novit
se quovis rege his in terris
potentiorem; quam gloriam rex
ad mortem usque obtinuit.
Sancta terra, (his) magis eximia,
servat cognatum regis, qui (ceteris)
regnatoribus præstantior fuit; quo
rex celebrior ad terram non concidet[3].

---

[1]) Ordo: *Heiti a) Völsúngs fór vitt; sá er skaut nýtla herskips borði norðan ór Nið, varð harða marglofaðr.*

a) hætti, mendose, *H.*

[2]) Ordo: *Mèr er myrkt, alls greppr nè sèrat, hver í heimi orkar a) meira b), jöfnum þrek: hrafngrennir er orðinn harðr. Mildíngr gat ert mest úsljótt c) hjarta; vinnur d) hvers eljunfíms grams e) und himni hefir minni kostuð f).*

a) H, M; okkar, A, prave. *b) méra*, id., *H.* *c) úslett*, id. (*e* pro *æ*), *M.* *d) vinnor*, id., *M*; *vinnr, H*, prave. *e) gramr, H.* *f)* Hanc vocem, quam pro subst. f. g. accipio, ex conjectura verti, nullo enim, quod sciam, alio loco occurrit.

[3]) Ordo: *Harðgeðr a) Haraldr vissi sik ríkra hverjum gram und miðgarði: döglingr rèð slíkri dýrð til dauða. Heilög dýrri b) fold c) hefir átt d) hins stýröndum e) efra f) afreka g): frægri hilmir hnigrat til moldar.*

a) harðgjæðr, id. (*jæ* pro *é*), *H.* *b) dýri*, id., *M*, ad me-

Rex Haraldus altero die hebdomadis, duabus noctibus ante festum Michaëlis, cecidit.

Cap. 120. Viljalmus, dynasta Rothomagensis, dictus Bastardus (nothus), cognito, regem Jatvardum cognatum suum obiisse, insuperque, regem Angliæ creatum solenniterque inauguratum esse Haraldum Gudinii filium; cum putaret, se propter necessitudinem cum rege Jatvardo majori jure imperium Angliæ possidere, quam Haraldum, prætereaque ignominiam sibi ab Haraldo illatam, quod sponsalia cum filia sua rupisset, vindicandam existimaret: his omnibus rebus permotus, exercitum in Normannia contraxit, magnumque militum numerum, et quantum satis esset navium comparavit. Quo die Viljalmus ex oppido ad naves equitare statuerat, cumque ascendisset in equum, uxor âd eum accedens rogavit, ne cum Haraldo Gudinii filio prælium faceret. Ille majori eum indignatione respondit, dicens, quod a se peteret, ex sincero animo non proficisci. Quæ dicens equo calcaria subdere voluit, sed calcar pectori uxoris forte incussum penitus in viscera descendit, quo vulnere col-

trum aptius. c) i. e. sedes beatorum. d) *ett*, id. (*e* pro *æ*), *M*, unde patet, vocem *átt* non verbum, sed nomen esse; ceterum *M* vocem *ett* arcte cum *stýrundum* conjungit. e) *stýrundum*, id. (*u* pro *ö*, *e*), *M*. f) *ofra* (i. e. *øfra*), id., *M*. g) intelligi puto regem Olavum sanctum. Quod attinet ad constructionem, *hinn stýröndum efri afreki*, conferri meretur altera similis, Rad. 38 (Script. hist. Isl. Vol. 5. pag. 337), et *dreka bóli skreytta skrín*. Si quem offendat vox *stýrandi*, h. l. nude posita pro rege, is Codicem *M* secutus jungat *áttstýrandi*, rector populi, rex, et voculam *hins* mutet in *hinn*, qua ratione omnis ad regem Olavum sanctum respectus tollitur, bonusque sensus emergit: *heilög dýri fold hefir afreka, hinn efra áttstýröndum*, sancta præstantior terra (nunc) habet regem (ceteris) regibus excellentiorem.

lapsa statim exspiravit, ille vero ad navem equitavit. Sui hoc de evento locuti, ominosum esse dictitabant. Quibus Viljalmus: [dirum sane eventum, verumtamen fieri potest, ut dolis in me insons non fuerit[1]. Viljalmus copias in Angliam trajecit, comite Ottone, fratre suo. Quo delatus, populationem fecit, et, quacunque iret, terram in suam potestatem redegit. Viljalmus omnes homines corporis viriumque magnitudine superavit, erat artis equestris ac militaris peritissimus, artiumque apprime callens, prudentia insigni, perfidiæ tamen crimine non carebat.

Cap. 121. Rex Haraldus Gudinii filius Olavo, regis Haraldi filio, copiisque, quæ eum sequebantur, quibus in prælio pepercerat fortuna, veniam domum redeundi concessit. Rex vero Haraldus cum exercitu suo in meridionales Angliæ partes iter convertit; jam enim cognoverat, Viljalmum ab austro advectum, populationem facere, terramque subigere. Comitabantur regem Haraldum fratres sui, dynastæ, Svein, Gyrdus ac Valthjovus. Rex ac Viljalmus congressi sunt ad Helsingjaportam in parte Angliæ meridionali, utrisque magno stipatis numero copiarum. Tum Gyrdus dynasta fratrem regem Haraldum allocutus: vercor, ut secunda fortuna in pugna adversus Viljalmum usurus sis, tu enim jurejurando confirmasti, te eum Anglia armis non prohibiturum. Cui rex: fieri quidem potest, frater, ut me magis idoneus sis ad pugnam cum Viljalmo faciendam; aliis vero pugnantibus haud solitus sum in aspretis delitescere, neque Viljalmus resciscet, me eum adspicere non audere. Post hæc rex Haraldus signa erigi jussit, et prælium cum Viljalmo inchoavit; acerrimum hic certamen ortum est, ut longo tempore dubia fortuna pugna-

[1]) omitt. *A.*

retur; cum vero diutius pugnatum erat, strages in Anglos versa est. Antequam congrederentur, Viljalmus signo suo sanctas Otmari reliquias alligandas curaverat, easdem, quas Haraldus juraverat. Ubi vero res Haraldiana inclinari cœperat, quæsivit: quid signo Viljalmi alligatum est? Aliquo, quid esset, explicante, ille iterum: forsitan victoria nobis hoc in prælio non exspectanda sit. Et hic fuit rei exitus, ut caderet rex Haraldus ac Gyrdus dynasta, frater ejus, magnaque suorum pars, omnibus quibus pepercit fortuna aufugientibus. Hæc pugna facta est undeviginti noctibus post mortem regis Haraldi Sigurdi filii. Dynasta Valthjovus ex prælio fuga elapsus, sero vespere in aliquem manipulum Viljalmianorum incidit. Qui, visis dynastæ militibus, in sylvam aliquam querneam aufugerunt, ad centum homines. Dynasta sylvam cum omnibus hominibus; subjectis flammis, incendit. Id quod Thorkel [Skallii filius[1] in carmine breviori de Valthjovo commemorat:

Bellator centum satellites
regios igne fervido
cremandos curavit; ea vespera
militibus incendiosa evasit.
Fert fama, homines sub ungvibus
gigantei jumenti stratos jacuisse;
lupus sylvestris truculenta facie
ex Gallis cæsis dapem nactus est[2].

---

[1]) poëta, *H;* Thorkelem Thordi Skallii filium apud Valthjovum dynastam militasse, auctor est *Fagrskinna.*

[2]) Ordo: *Sóknar uggr a) lèt hundrað hirðmenn jöfrs brenna i heitum eldi; en þat var seggjum sviðu kveld. Frètt er, at fyrðar knáttu liggja und kló flagðviggs b): imleitum ölsblakk fèkst áta [af hræm c) Frakka d).*

a) yggr, id., *Hk.* *b)* Sic *Hk.*; *flagðvis,* mend., *A*; *flagðvigg, H.* *c) við hræ,* eod. sensu, *Hk.* *d)* Hanc stropham ignorat *M.*

Cap. 122. Viljalmus se regem Angliæ creari fecit; misit ad Valthjovum dynastam, ut ad se veniret, pace et securitate ad hunc congressum præstita. Dynasta paucis comitatus in viam se dedit; cum vero in saltum, a boreali parte Kastalabryggæ situm, equitaret, occurrunt ei duo procuratores regis Viljalmi, magna stipati cohorte; hi dynastam extemplo comprehenderunt, et in vincula conjecerunt; dein securi percussus est; quem Angli pro sancto habent. Sic Thorkel:

Viljàlmus, qui gladios cruentavit,
gelidum mare ab austro permensus,
haud dubie fortem Valthjovum
per fidem circumventum decepit.
Verum est, Angliam sero
cædibus vacuam fore.
Nunquam rex, meo alacri
principe major, morietur[1].

Viljalmus deinde rex Angliæ fuit annos viginti et unum, et post eum ejus semper deinceps nepotes. Viljalmus morbo in Normannia mortuus est. Post eum Viljalmus Rufus, filius ejus, rex erat annis decem et quatuor; post eum imperium et regnum accepit Henrekus, frater ejus, filius regis Viljalmi prioris.

Cap. 123. Olavus, filius regis Haraldi Sigurdi filii, classem ex Anglia abduxit, ab Ravnseyra solvens, et autumno in Orcadas pervenit. Cujus mentionem facit Stein Herdisæ filius:

---

[1]) Ordo: *Vilhjálmr, sá er rauð málma a), hinn er skar hèlt b) haf sunnan, hefir vist c) ofvèltan d) hraustan Valþjóf í trygð. Satt c) er, at manndráp mun f) síð lètta g) á Englandi: ci h) deyr meiri i) mildíngr, en minn snarr harri var k).*

a) hjálma, galeas, *H.* *b) hællt* (*æ* pro *e*), *Hk.* *c) vistir, H.* *d) of vęltan*, id., *Hk.*; *ok weltan, H.* *e) sóttr, H.* *f) mano* (plur.), *Hk.* *g) hætta*, id., *H.* *h) cigi*, id., *Hk.* *i) mærri*, illustrior, *Hk.* *k*) Nescit hanc stropham *M.*

Rex naves celeres pelago
commisit, autumno appetente,
et solvit e portu, dicto
Ravnseyra (lingula Corvina).
Rates latum calcarunt tramitem
longarum navium; furens mare,
æstus strepens circa latera sæviit.
Se regem multo optimum[1].

Hic id novi acciderat, quod Maria, filia regis Haraldi, subita morte exstincta fuerat, eodem die, eademque hora, qua pater ejus ceciderat; quos utrosque unius hominis vitam (animam) habuisse, vulgo creditur. Ea fuit omnium feminarum prudentissima[2] et gratiosissima. Olavus hieme in Orcadibus consumta, insequenti æstate in Norvegiam cum copiis trajecit. Sic Stein:

Populo amatus oppressor Anglorum
orientem versus classem duxit;
princeps Römorum ingens mare
æstuosum gubernaculo fregit.
Universus populus regem potentem,
liberalem illum principem, delatum
ab occidente lætus excepit.

---

[1]) Ordo: *Fylkir lèt hin fljótu flaust i haf, er leið at hausti; konúngr skaut stafni, þar er heitir Hrafnseyrr. Borð a) tráðu breiðan veg a) lángra skipa: óðr sjór b), brimsgángr c) fèll um súðir d). Sik miklu bestan gram.*

a) Has voces disjungere coactus sum, nam in *A* una voce scribuntur, *borðveg*. *b*) *ser* (i. e. *sær*), id., *M.* *c*) *brimgáng*, *H*, vide mox *d*. *d*) Offendit in hac constructione *brimsgángr*, appositum τῷ *óðr sjór*; puto itaque pro *borðveg* legendum *borðvigg*, et pro *brimsgángr*, *brimsgáng* vel cum *H* *brimgáng*, hoc ordine: *borðvigg tráðu breiðan brimsgáng*, *óðr sjór fèll um súðir lángra skipa*, i. e. jumenta tabularum (i. e. naves) calcarunt latum æstus tramitem (i. e. latum æstuosum mare); furens pelagus sæviit circa latera longarum navium.

[2]) venustissima, *H.*

Sole natum Olavus[1].

Eadem æstate Olavus rex Norvegiæ creatus est unacum Magno, fratre suo. Regina Ellisiva, hujusque filia Ingigerda, cum Olavo privigno suo ab occidente advenerat. Advenerat et cum Olavo Skulius, filius dynastæ Tostii, Gudinii filii, postea dictus regis nutritius, et Ketil Krokus, frater ejus; qui utrique excellenti erant prudentia, et apud regem Olavum multum gratia valebant. Ketil Krokus in Halogiam concessit, ubi rex Olavus ei amplam conditionem uxoriam conciliavit, et præfecti privilegia dedit; a quo multi proceres originem ducunt.

Cap. 124. Post paulo quam Olavus rex Norvegiæ creatus est, Skulius jussu regis in Angliam trajecit, et petivit, ut copia funeris regis Haraldi sibi fieret; qua statim impetrata, in Norvegiam revenit. Funus regis Haraldi Nidarosum deportatum, et in æde Mariæ sepultum, quam ædem ipse exstruendam curaverat. Constat inter omnes, regem Haraldum sapientia et sagacitate, sive consilium subito esset capiendum, sive longis consiliis sibi aliisve prospiciendum, omnibus Norvegiæ regibus præstitisse; fuit omnium hominum ad arma audacissimus, et in reportanda victoria fortunatissimus, quemadmodum jam aliquamdiu audire licuit. Sic Thjodolvus:

Strenuus vastator Selandiæ
incolarum audaciam exhibuit;
animi fortitudo dimidium victoriæ

---

[1]) Ordo: *Otvin a) Engla þrýstir, hèlt austr liði sinu: konúngr Rauma b) braut stóran straumsæ c) um stýri. Allr herr tók glaðr við öflugum stilli, þá er d) hringlestir kom hèðra vestan. Ólafr borinn sólu.*

a) Sic conjeci; *otvins, A*; *ottvins, H. b*) *tauma, M. c*) Sic dedi sec. *M*; *straum sækonúngr, A. d*) omitt. *H.*

efficit: id exemplo Haraldi probatur[1]. Rex Haraldus erat pulcra facie et augusta, crinibus flavis, barba flava, longo mystace, altero supercilio aliquanto superiore, manibus ac cruribus crassis, sed apta proportione; statura ejus erat quinque ulnarum; erat in inimicos crudelis, et injurias severe puniebat. Sic Thjodolvus:

Rex prudens compertam
civium insolentiam castigat;
subditi principis facinorum,
quæ patravere, pœnas luunt.
Homines, quæ sibi onera
compararunt, ferre coguntur;
Haraldus ita pœnas distribuit,
ut æquo jure omnes gaudeant[2].

Fuit rex Haraldus dominationis bonorumque cupidissimus; in amicos, qui ipsi probarentur, munificentissimus; sic Thjodolvus:

Navale prælium qui committit,
selibram mihi pro carmine
dedit; is gratiam suam
tantum promeritis concedit[3].

Rex Haraldus erat annorum quinquaginta, cum cecidit. Nullæ de eo memorabiles relationes ad

---

[1]) Ordo: *Aldyggr eyðir Sclund- a) byggja b) naut áræðis; hugr ræðr hálfum sigri manna: Haraldr sannar þat c).*

a) *Sælund, H*; *Selunds, Hk.* *b*) Sic *Hk.*; *byggir, A,* prave. *c*) Nescit hanc stropham *M.*

[2]) Ordo: *Ráðgegn konúngr refsar þegnum reyndan ofsa; [hykk, at a) rekkar hilmis haldi upp, því er valda. Hljótendr sverðs hafa slíkar byrðar, er sèr brjóta: Haraldr skiptir svá heiptum; hverr nýtr sanns við annan b).*

a) Sic *Hk.*, *hykkat, A.* *b*) Omitt. hanc stropham *M.*

[3]) Ordo: *Vekjandi snekkjo a) hjaldrs lèt veitt b) mèr c) mörk fyrir verka; hann lætr tilgerðir valda hylli sinnar d).*

a) Sic *Hk.*; *sækja, A.* *b*) Sic *Hk.*; *vitt, A.* *c*) Sic *Hk.*; *mjök, A.* *d*) Nescit hanc stropham *M.*

nos pervenerunt, antequam quindecim annos natus cum fratre, rege Olavo, prælio Stiklastadensi interfuit; a quo tempore triginta quinque annos vixit, quo omni tempore a bellis ac motibus nunquam vacavit. Rex Haraldus nunquam prælio fugit, sæpe vero, si quando multitudine adversariorum oppressus esset, effugia quærebat. Omnes, qui eum in præliis aut inter populationes sequebantur, uno ore professi sunt, constitutum in magno subitoque periculo id consilii capere solitum, quod utilissimum fuisse omnes post intelligebant. Haldor, filius Brynjolvi Ulvaldi Prisci, vir magnæ auctoritatis et prudentiæ, cum audiret quosdam judicantes, fratres, regem Olavum sanctum et regem Haraldum Sigurdi filium, dissimiles ingenio fuisse, sic locutus est: ego cum his fratribus versatus sum, utrisque amicissimus, et utriusque ingenium probe novi, neque ullos duos homines ingenio inter se similiores deprehendi. Erat enim uterque prudens, et ad arma audacissimus, ingenio severo; pœnarum rigidi exactores, imperii diligentes, pecuniarum et dominationis cupidi, monitoribus non faciles. Rex Olavus incolas ad christianam religionem probosque mores amplectendos coëgit, tergiversantesque crudeliter punivit; cujus in judicando æquabilitatem et justitiam principes populi iniquo animo ferentes, seditionem adversus eum moverunt, ipsumque in ipsius regno prostraverunt, quam ob causam sanctus factus est; Haraldus vero imperium et gloriam armis sibi paravit, omnesque quos potuit populos subegit, quare in aliena terra cecidit. Uterque in vita quotidiana honestatem et decorum sectabatur, uterque peregrinationibus clarus, in rebus gerendis et consiliis exsequendis strenuus; unde famam sibi nominisque celebritatem pepererunt.

Cap. 125. Skulius, regis nutritius, erat prudens et excellens, eximiaque oris pulcritudine. Idem aulicis regis Olavi præfectus, in comitiis verba fecit, administrandæ reipublicæ cum rege particeps. Rex Olavus Skulio pollicitus est, se ei provinciam Norvegiæ, quæ ipsi optime probaretur, cum omnibus reditibus et vectigalibus daturum. Skulius, gratiis regi de oblata conditione liberaliter actis: alias potius res abs te petere malo, inquit, fieri enim potest, cum alius successerit rex, ut hæc donatio rescindatur; malo aliqua prædia accipere, prope ab emporiis sita, in quibus ipse soles sæpissime versari et conviviis Jolensibus interesse. Rex, hoc concesso, ei prædia ad orientales regni fines sita, prope Konungahellam, Osloam, Tunsbergum, Bergas et Nidarosum, adsignavit. Quæ prædia in optimis pæne cujusque loci prædiis fuere, et postea in possessionem eorum, qui ab Skulio descendunt, venerunt. Rex Olavus Skulio cognatam suam, Gudrunam Nevsteinis filiam, nuptum dedit; mater Gudrunæ erat Isrida, filia Sigurdi Porcæ et Astæ, matris sancti regis Olavi et regis Haraldi. Filius Skulii et Gudrunæ erat Asolvus Reinensis, qui in matrimonio habuit Thoram, filiam Skaptii, filii Ögmundi, filii Thorbergi; filius Asolvi erat Guttormus, pater Bardi, patris Ingii regis et ducis Skulii.

DE MAGNO ET OLAVO, HARALDI FILIIS.

DE MAGNO ET OLAVO, HARALDI FILIIS.

Cap. 1.

Rex Magnus Haraldi filius proxima post mortem regis Haraldi, patris sui, hieme solus Norvegiæ imperavit; postea vero duas hiemes unacum fratre Olavo regno præfuit, tumque ambo reges erant, Magno[1] partem regni borealem, Olavo[2] orientalem[3] administrante. Regi Magno filius erat, nomine Hakon, ab Thorere Steigensi educatus, optimæ spei adolescens. Post casum regis Haraldi Sigurdi filii Svein, Danorum rex, pacem, inter Norvegos Danosque factam rescissam esse declaravit, causatus, inducias in longius tempus non factas, quam dum utrique reges, Haraldus ac Svein, viverent. Quam ob rem copiæ ex utroque regno magno studio evocatæ sunt. Haraldi filii universam Norvegiæ militum naviumque copiam in expedito habuerunt. Sic Stein:

Pugnando acer Anglorum
hostis copias bellicosorum
militum jubet omnia freta
regni hastis circummunire.
Regnum Fjalensium domini
haud facile expugnatu erit
conflictum gladii cientibus.
Se regem multo optimum[1].

---

[1]) Olavo rege, ***H.*** [2]) Magno, ***H.*** [3]) meridionalem, ***H.***

[1]) Ordo: *Sóknörr Engla a) stillir biðr [lið eggdjarfra seggja b) stika c) öll sund ðörrum fyrir sinu landi. Jörð*

[Rex Svein cum classe Danica ab austro profectus est; quem in partem aliquam classiariorum regis Olavi incidisse, et cum his conflixisse, Stein his versibus indicat[1]:

Juvenes Dani cum loricis
et galeis e navibus in
mare descenderunt; sonitus
metalli madidi exstitit.
Saucii viri ab australi
maris parte pessum sidere;
albi undarum cumuli eorum
corpora in litus ejecerunt[2].

Fila d) drottins mun eigi verða auðsótt sverða sókn-herðendum e). Sik miklu beztan gram.

a) Egða, Agdensium, *Fagrsk.*, tum *stillir* de rege accipiendum. *b) eggdjarfr frama seggi*, bellicosus præstantes milites (jubet etc.), *Fagrsk. c) stikka, H. d) fíra*, virorum, *Fagrsk.* e) Sic dedi, Fagrskinnam secutus, quæ habet *són herðendum* et ex variante *söng-herðendum*, cantum (sonitum) gladii incitantibus, i. e. viris præliatoribus; *söknherðir veit, A*, nimirum librarius voluit versum ultimum cum antecedentibus construere, non intelligens, intercalarem esse.

[1]) Loco eorum, quæ inde a signo sunt, *M* habet: idem porro cecinit:

Novi, quo loco impiger Olavus
prima vice in expeditione
ensem cruentavit; mihi
dicendorum memoria suppetit.
Rex optimus enses splendidos
mari sangvine tinxit, extra
Hallandiam, (ubi)
milites gladios cruentabant.

Ordo: *Ek veit, hvar óslækinn Ólafr rauð mæki úti fyrsta sinni; mér deilast minni til mála. Fjölgóðr konúngr hlaut fögr sverð lituð blóði til hafs fyr utan Halland; fyrðar ruðo branda.*

[2]) Ordo: *Danskir drengir gengu utanborðs til jarðar með brynjur ok hjálma: dynr úriks a) málms b) varð gjörr. Sárir*

Fratres, rex Olavus et Magnus, exercitum suum [et copias præsidiarias[1] in boreali regni parte comparabant; sic Stein:

In emporio, ubi rex sanctus
quiescit, princeps bello acer
(potens enim rex est) Sveinem
hærediis suis prohibebit.
Rex Olavus cognato suo
haud dubie valde favet.
Filius Ulvi totum Norvegiæ
regnum ab eo frustra postulabit[2].

Ubi vero cognoverunt, regem Sveinem cum copiis ab austro adventare, austrum versus litora legentes obviam ei contenderunt, satis magnam classem ducentes; sic Stein:

Rex vero fortis animi, acrem
exspectans pugnam, signa
bellica ab oriente moveri
jussit, prælium commissurus.
Longæ navium tabulæ a borea
copias paulo majores Stadum
prætervexerunt; trivere reges
duo cetosa classibus æquora[3].

---

rekkar sukku til grunna sunnan hafs c)*: hárr hranngarðr varp hausum þeirra á þröm jarðar.*

a) *úrigs*, id., *M.* b) *máls, A,* prave. c) vel construe *rekkar sunnan*, viri ab austro (Dania) advenientes, et *til hafs grunna*, ad ima maris.

[1]) ad terram defendendam, *H.*

[2]) Ordo: *Í Kaupángi, þar er heilagr gramr hvílir, mun sóknstrángr banna Sveini sín óðul: hann er ríkr jöfur. Ólafr konúngr* a) *mun unna sinni ætt hála; arfi Úlfs`þarf-at kalla þar* b) *til alls Noregs.*

a) i. e. sanctus. b) *því*, *Hk.*

[3]) Ordo: *Enn hraustgeðr* a) *konúngr bað halda herskildi austan, at gerva gunni: gramr bjóst við rönnum* b) *styr. Laung borð færðu út litlu meira lið fyrir norðan Stað: tveir döglingar tráðu túnvöll reyðar.*

Tum pacis internuntiis inter reges intercedentibus, rex Olavus ac Norvegi polliceri, se pacem inter regem Haraldum et Sveinem factam servaturos, alioquin prælio decertaturos: vero esse simile, putaturos Danos, si odiis inter se certarent, impetum in se satis acrem ab Norvegis fieri, etsi rex Haraldus occidisset. Quæ minæ cum oblatis ab rege Olavo pacis conditionibus adjicerentur, sequentes versus compositi sunt:

Olavus verbis, et ad bellum et ad
pacem spectantibus, regnum
ita defendit, ut rex id
sibi vindicare non auderet[1].

Mox tempore locoque conveniendi condicto, compositio inter reges, pax inter regna facta est. Rex Magnus in morbum incidens, quæ impetigo dicitur, tantopere affectus est, ut lecto affixus aliquamdiu jaceret. Obiit Nidarosi, ibique sepultus est; is universi populi gratiam sibi conciliaverat.

Cap. 2. Olavus, mortuo fratre Magno, solus rex Norvegiæ fuit. Sic Stein Herdisæ filius:

Rex, in vindictam promtus, solium
firmiter obtinet, ex quo terra
celsa potitus est; soboles
Agdensium domini increvit.
Præclarus Römorum princeps,
cujus laudes memini, regnum
ensibus infestis et gladiis tuetur.
Magnanimus novit sub[2].

---

a) *hraustgæðr*, id. (*æ* pro *e*), *H.* b) Sic *H*; *römmu*, *A*; *ramman* (acc.), *M.* c) *tjáðu*, *H*, prave h. l.

[1]) Ordo: *Ólafr varði jörð ógnarorðum ok a) friðmálum, svá at allvaldr b) þorði eigi c) kalla til.*

a) omitt. *H.* b) *alvaldr*, *A*; *allvalda* (gen. plur.), *M*, *Hk.* c) *engi*, nemo, *M*, *Hk.*

[2]) Ordo: *Konúngr heldr ólaust stóli, sízt heiptbráðr jöfurr*

Rex Olavus grandi erat corporis statura, membrisque concinnis. Inter omnes constitit, neminem visum esse facie pulcriori specieve augustiori: coma erat flava, instar bombycis, et eleganter sedebat; color corporis lucidus, oculi in primis pulcri, membrorum apta proportio; sermo plerumque parcus, in comitiis non magna facundia, super vina hilaritas, inter otium familiaris garrulitas, in dictis comitas. Omni tempore, quamdiu ejus regnum stetit, pacis studiosus erat, quare dictus est Tranquillus. Sic Stein:

Bellicosus Thrandorum princeps
magna cum dexteritate toti regno
pacem conciliare studet; id quod
civibus perquam gratum est.
Populo placet, quod territor
Anglorum, propositi tenax,
cives ad pacem colendam cogit.
Sole natum Olavus[1].

Vetustus in Norvegia[2] mos erat, ut solium regis esset in medio scamno laterali cubiculorum tricliniarium, regina regi ab sinistra adsidente; quæ sedes principalis regia appellata est. Locus, ab utroque latere sedi principali proximus, amplissimus, foribus proximus, humillimus habebatur. In utraque extremitate cubiculi fores erant; sedes vero regia in scamno, soli obverso, esse

---

náði hári foldu; ætt Egða drottins þreifst. Mætr hilmir Rauma verr grund köldum a) málmi ok röndu b); ek man skjöldúngs lof: Riklundaðr [veit undir c).

a) *köldu, H.* b) *rendu, H.* c) *veik undan, H.*

[1]) Ordo: *Eggdjarfr þengill þrænda vill leggja öll lönd í frið við ærna snilli: þat líkar skötnum vel. Þjóð hugnar, er a) þrályndr Engla ægir kúgar þegna til friðmála. Ólafr borinn sólu.*

a) *en, H; þat er, M, Fagrsk.*

[2]) nec non in Dania et Svecia, add. M.

debuit. Altera sedes principalis erat in scamno humiliori contra regem, qua sede primus regis consiliator sederet, ut ei propinaret; et quidem ad regis propinationem sedere, maximus honos habebatur, quod testatur Arnor dynastarum poëta:

> Fortes viros verbis compellavi,
> cum quavis hieme contra regem
> bellicosum accubui; princeps
> sæpiuscule poculis indulgebat[1].

Hoc loco Arnor gloriatur, se dynastæ Thorfinno propinantem in sede principali humiliori sedisse, quando cum eo in Orcadibus versatus sit. Rex Olavus excelsum scamnum per transversa cubicula tricliniaria faciendum, regisque solium in medio scamno transverso ponendum curavit; idem primus cubicula fornacibus calefactoriis et pavimentis lapideis, tam hieme quam æstate, instruenda curavit.

Cap. 3. Rege Olavo imperante nova emporia in Norvegia sunt instituta. Rex Olavus emporium Bergis posuit, ibidemque id temporis frequens exstitit sedes [potentium virorum, et statio adnavigantium[2] ab exteris terris mercatorum. Ibidem ædem Christi ex fundamentis magni illius templi lapidei inchoandam curavit, cujus exigua pars absoluta est, ædem vero ligneam ex prisca æde Christi perficiendam curavit. Rex Olavus magnam illam ædem symposiacam Nidarosi, multasque alias in aliis emporiis faciendas curavit, cum antea compotationes sodalitiæ celebratæ essent; tunc Nidarosi usurpabatur ingens illa campana sodalitia, Oppidi ornamentum dicta; ibidem sodales ædem Margaritæ, [templum lapideum[3],

---

[1]) Ordo: *Ek hèt á góðar skipa sagnir, þá er sátum hvern vetr gagnvert hrafns verðgjafa a): gramr drakk jafnan lið.*

a) verð gefa, H; vær gjafa, Fagrsk., sed in var. *verðgj.*

[2]) omitt. *A.* [3]) omitt. *H.*

exstruendam curarunt. Imperante rege Olavo deversoria et compotationum pompæ instituebantur; tum cultus ad ostentationem compositus introduci cœpit: alii usurpabant caligas, ad pompam magnifice exornatas, quæ continuis plicaturarum ordinibus ad crura adstringebantur; alii tibias annulis aureis circumdabant; tunc quoque usurpatæ sunt tunicæ talares, a latere tæniis fibulatæ, manicis quinque ulnas longis et adeo angustis, ut ope ligularum inducendæ et ad axillam usque plicaturis corrugandæ essent; calcei altius revincti, toti filis bombycinis variati, quidam aureis filis distincti, multusque alius ad pompam cultus tum invaluit. Rex Olavus in imperio retinendo diligens erat, pecunias vero suis largiter distribuebat. Quod Stein testatur:

Rex auri liberalis, qui cuspides
cruentat, populum annulis
delectat: princeps virorum facit,
ut convivæ muneribus gaudeant.
Strenuus rex Norvegiæ magna
Norvegis munera donat:
Anglorum hostis largus est.
Sole natum Olavus[1].

Id temporis magnus erat rerum necessariarum proventus in Norvegia, variæque res ad lautiorem cultum pertinentes importatæ sunt, ut, nullo post Haraldum pulcricomum rege, populus lautius, quam eo imperante, viveret. Universus populus regem Olavum ex animo diligebat, multa enim, quæ rex Haraldus per vim imperaverat et per avaritiam obtinuerat, indulgentia erga popu-

[1]) Ordo: *Hoddörr þengill, sá er rýðr odda a), gleðr her hríngum: bragníngr bragna lætr bekksagnir fagna gjöfum. Nenninn Noregs konúngr gefr Norðmönnum stórum: Engla þverrir er örr. Ólafr borinn sólu.*

a) *brodda,* tela, *H.*

lum relaxavit et temperavit. Suis rex Olavus summam benevolentiam, et omnibus regni incolis tranquillitatem concessit, quod intelligi potest ex ipsius verbis, quæ aliquando in magna illa æde symposiaca locutus est, quando ibi cum suis læto hilarique animo accumbebat. Nimirum quibusdam regem his compellantibus, „nos multique alii magnopere lætamur, domine, quod tam blandus et humanus erga omnes es", excepit rex: cur non lætus sim, qui vobis adsideam in hoc sodalitio, quod cognato meo, sancto regi Olavo, dicatum est, populumque mihi subjectum et lætitia et libertate frui, oculis meis videam. Patre imperante hic populus bellicis motibus et terroribus expositus fuit, quare plurimi aurum et res pretiosas, quæ illis erant, absconderunt; ego vero nunc in quolibet vestrum, quæ vestra sunt, splendere video: vestra lætitia et libertas gaudium et voluptatem mihi afferunt.

Cap. 4. Rex Olavus eis moribus aulicis usus est, ut pincernas mensis adsistere juberet, qui sibi omnibusque viris nobilioribus, mensæ secum accumbentibus, pocula infunderent; habuit et ministros a candelis, qui ad mensam tot candelas, quot nobiles accumberent, tenerent. Extra abacum erat sella aulæ magistri, in quá aulæmagistri regii aliique principes sedebant, qui introrsum conversi solium spectabant. Rex Haraldus, pater ejus, ceterique reges, qui ante eum fuerant, ex cornibus ferinis bibere, translatoque circa ignem poculo, ei pocula memorialia propinare, qui contra sedebat, consverunt. Rex vero Olavus cui quisque vellet, ut propinaret permisit. Sic Stuvus poëta:

> Novi, victoriosum prælii
> concitatorem, quocum
> conversari plurimum prodest,

me bono animo excipere:
quando rex liberalis annulis,
aquilas libenter pascens, Högi
convivans aureo cornu
ipse mihi propinaret[1].

Rex Olavus secum habuit centum et viginti aulicos[2], sexaginta speculatores[3], et sexaginta domesticos, qui ædibus regiis quæ opus erant adveherent, aliaque quæ juberet rex operarentur. Quærentibus colonis, cur convivia ab incolis apparata obiens se majori militum numero stiparet, quam permitteret lex, regesve superiores usi fuissent, rex ita respondit: [reipublicæ administrandæ adeo impar sum, ut duplo majori quam pater satellitum numero stipatus minus quam ille metuar[4]; verum tamen hoc ideo non facio, ut vos opprimere aut in deteriorem conditionem adducere velim.

Cap. 5. Rex Svein Ulvi filius decem annis post casum Haraldorum morbo obiit. Post eum filius ejus, Haraldus Hein (coticula), quatuor annos Daniæ imperavit; tum Knutus Sanctus, alter filius regis Sveinis, septem annos; deinde Olavus, tertius regis Sveinis filius, octo annos. Rex Olavus Haraldi filius uxorem duxit Ingiridam[5] regis Sveinis Ulvidæ filiam, Olavus vero Svei-

---

[1]) Ordo: *Ek vissa gagnsælan hildar hyssi* a) *fagna mér af góðum byr griðar (ný́zt* b) *er at kanna hann): þá er gjarn bræðir blóðstara, grimmr baugum, gekk sjálfr með gyltu horni drekka á mik at Haugi.*

a) *hyssa* (ab *hyssi*), id., *H*; *hvessi* (*ve* pro *y*), id., *Hk.* b) *nyztr*, *Hk.* et meum exsc., eod. sensu.

[2]) cum priscæ leges juberent regem sexaginta aulicos habere, add. *M.* [3]) cum superiores reges triginta habuissent, add. *M.* [4]) remp. ducentis et quadraginta viris stipatus non melius administrare possum, quam Haraldus nonaginta, *M.* [5]) Ingigerdam, *H.*

nis filius, Danorum rex, Ingigerdam[1] duxit, regis Haraldi filiam, sororem Olavi Norvegiæ regis. Rex Olavus Haraldi filius, a quibusdam Tranquillus, a multis Rusticus appellatus, ex Thora, filia Jonis[2], filium procreavit, nomine Magnum[3], qui puer, venustate insignis bonæque spei, in aula regis Olavi est educatus. Rex Olavus ædem lapideam Nidarosi exstruendam curavit, eo loco positam, quo corpus sancti regis Olavi primum conditum fuerat; cujus altare ei loco superstructum est, ubi sepulcrum regis fuerat. Ea ædes in laudem et gloriam sanctæ trinitatis inaugurata est; eodem scrinium regis Olavi deportatum, altarique superimpositum; hic multa miracula [ad sanctas reliquias[4] regis Olavi edita sunt.

Cap. 6. Olavus Tranquillus amicus erat Knuti Danorum regis, affinis sui; hi tempore locoque condicto in Albi convenerunt, quo loco convenire reges soliti erant. Hic rex Knutus hortatus est, ut exercitum in Angliam mitterent, [quod cum Danorum reges, tum in primis rex Olavus tantis injuriis ab Anglis affecti fuissent[5]. Jam alterutrum fac, inquit rex Knutus, aut acceptis a me sexaginta navibus expeditionis præfectus esto, aut ego imperator copiarum ero, tu vero mihi sexaginta naves auxilii ergo tradito. Cui rex Olavus: hæc quidem res, quam in medium protulisti, rex Knute, animo meo congruit, sed valde inter nos dissimiles sumus; tui cognati ea usi sunt fortunæ benignitate, ut amplam partem Angliæ subegerint, magnamque gloriam sibi comparaverint, velut rex Knutus Potens, cujus cum

[1]) Ingiridam, *H.* [2]) Arnii Humilis, *M.* [3]) cognomine Nudipedem, add. *M.* [4]) propter sanctitatem, *H.* [5]) ut cum cædes cunctorum Danorum, tum inprimis cædem regis Haraldi ulciscerentur, *H.*

nepos ex sorore sis, probabile est, te ejus similem fore; cum vero rex Haraldus, pater meus, in Angliam expeditionem fecit, viri excellentissimi in patria fuerunt, quales ab eo tempore Norvegia non tulit, primus omnium ipse princeps, rex Haraldus, qui omnes prudentia et fortitudine superavit. Quæ expeditio cum omnibus rebus optime parata esset, tamen eum quem nosti exitum habuit, ut pater meus ibi mortem obiret. Quam ob rem, cum ipse perspicere possim, quam impar sim hujus expeditionis imperio, te opto, qui meis opibus adjutus proficiscare. Itaque rex Olavus sexaginta naves ingentes, egregie armatas et firmis copiis instructas, quibus viros excellentes et præfectos præfecerat, regi Knuto dedit; omnibus magnificentiam apparatus laudantibus. Commemoratum quoque est in historia Knuti[1], solos Norvegos, cum copiæ in unum convenissent, Danique regem exspectare nollent, omissa expeditione non dilapsos; hinc ab rege Knuto laudatos, veniamque redeundi domum concessam; regi Norvegico eximia munera pro auxilio missa; Danos gravi ira exactos, ingentique pecunia multatos.

Cap. 7. Æstate quadam cum missi ab rege Olavo mercedes prædiorum regiorum collegissent, interrogati ab rege, quo loco liberalissime excepti essent: in provincia quadam, inquiunt, ubi rusticus quidam senex habitat, multarum futurarum rerum præscius; qui a nobis multis de rebus interrogatus, responsa dedit: et opinamur, avium vocis intelligentem esse. Rex: cur ista nugamini? vanissima hæc esse puto. Accidit aliquo tempore[2], ut rex Olavus terræ littora legens per freta quædam navigaret; tum interrogat: quænam sunt loca culta hic in continente?

[1]) Historia Knutidarum cap. 41-43. [2]) aliqua æstate, *H.*

Respondent sui: de hac provincia tibi, domine, retulimus, nos hic liberalissime excipi. Rex: quænam sunt ædes, quæ hoc loco paululum ab littore sunt? Illi: hæc domus est sapientis illius viri, de quo tibi retulimus. Vident equam prope ad domum adstare. Ite jam adeo, inquit rex, et equam interficite. Nolumus, inquiunt, damni quidquam ei inferre. Rex: penes me hujus rei arbitrium esto; caput equæ præcidite, caventes ne sangvis defluat: dein caput in scapham deportate et sub foris abscondite, ne conspici queat. Illi jussa regis fecerunt. Tum rex: jam colonum arcessite, cavete vero ne ei, quid equæ feceritis, dicatis; hoc vita vobis stabit. Eunt, colono mandata regis aperiunt. Qui cum advenisset, rex: cujus prædium est, quod incolis? Tuum, inquit, tibique mercedes redeunt. Rex: iter monstra præter promontorium, nam tu horum locorum haud dubie peritus es. Senex scapham conscendit, qua vecti regii navem præcedebant; et cum paulisper remigasset, cornix navem supervolans horrendum garritum edidit. Quam cum adspiceret colonus, rex: an observatu dignum, colone, putas, [qua cornix ista volet[1]? Minime vero, inquit colonus. Eo ipso momento altera cornix navem supervolans frigulavit. Hic colonus, remigii pæne immemor, inani motu remos versavit. Rex: haud parum admiraris, quid garriat cornix ista. Colonus: nondum magnopere admiror, et tamen suspicor, quid dicat. Tum tertia cornix allapsa proxime navem advolavit, et immanissime garriit. Hic colonus remos abjicere et contra surgere. Cui rex: quid adeo cornix ait, colone, cum tantopere afficiaris. Ille: haud a me, ut id sciam, exspectari potest. Cedo, inquit rex. Cui colonus:

[1]) quid cornix ista frigulet, *M.*

Loquitur annicula,
rei ignara;
loquitur[1] bimula,
neque eo[2] magis credo;
trimula vero[3] loquitur[4],
neque verum[5] mihi videtur[6];
me remigare ait
equæ in capite,
te vero, o rex,
res meas furatum.

Siccine, inquit rex, mene furti insimulas! haud sane bona verba de me facis. Colonus: ita est, domine, haud bona verba sunt; verum opinor te dolo aliquo me circumvenisse. Recte dicis, colone, inquit rex, hoc joci ergo feci, experturus, an tam sapiens esses, quam esse dicebaris; ego tibi de equa satisfaciam. Eximiis dein muneribus donato rex mercedes fundi, quem incoluit, condonavit. Qua re, ut multis aliis, rex Olavus ostendit, se plurimos reges liberalitate præstare. Viris potentioribus ac principibus eximias naves aliasque res pretiosas muneri dedit; teste Steine:

Liberalis regum progenies
naves scalmis munitas
et pictas mercatorias donat,
munificentiam exhibere studens.
Populus divitiis Olavi fruitur;
dispice, num quis rex alius
tantum pecuniæ hominibus præbeat.
Se regem multo optimum[7].

[1]) *segir*] omitt. *H*; *segr*, *M.* [2]) *at*] *þvi*, id., *H.* [3]) si, add. *H.* [4]) *segir*] *segr*, *M.* [5]) *likligt*] *gliclict*, id., *M*; *likt*, id., *Hk.*; *likara*, *H.* [6]) *þykkjat*] *þikira* (*Hk.*), *þiccira* (*M*), id., usitate.

[7]) Ordo: *Örr ættstuðill jöfra gefr hábrynjuð skip ok steinda knörru: hann vill synja a) huöggvi sinnar. Þjóð nýtr auðar*

Aulicos suos rex Olavus, præ ceteris regibus, armis et vestimentis splendide ornavit. Quod memorat Stein Herdisæ filius:

Generosus princeps loricas viris
galeasque donat, ac si nihili
has res faciat; quæ tegumenta
satellites regios condecorant.
Fidelis rex juvenes jubet
gravem Hamderis apparatum
ab se accipere; sic princeps
labores satellitibus rependit[1].

Omnibus, qui ei obsequium præstare voluerunt, quique alicujus pretii fuerunt, hos auro et argento aut rebus pretiosis donavit. Sic Stein:

Olavus, liberalis regum progenies,
sectum aurum donat ad gratiam
conciliandam, ut nulli omnino
regum excellentium tantum dare possit.
Perquire, talia quis faciat;
rex principum sereno sub cœlo
natorum præstantissimus est;
is animo est ad dandum prono[2].

Cap. 8. Rex Olavus in prædiis majoribus,

Ólafs; sé þú, hverr annarr koníngr reiðir mönnum slikt fé. Sik miklu beztan gram.

a) *dyuja*, *H*, prave h. l.

[1]) Ordo: *Kynstórr hilmir gefr firum brynjur ok hjálma, svá at virðir eingis; þau klæði prýða hirð koníngs. Dyggr þengill lætr drengi þiggja af sér þúngar Hamdis a*) *gerðar: vísi launar verðúng svá vás.*

a) Sic *Raskius*, ut versum καταληκτικον evitaret; *Hás*, Odinis, meum exscr.; *Hárs*, id., *H*, *M*; *Hálfs*, Halvi, *Hk.*; quæ omnia suis rationibus nituntur.

[2]) Ordo: *Ólafr, mildi kour hildinga, gefr höggvit gull til hylli, at a*) *alls b*) *eingi sujallra jöfra má svá. Spyrrþú c*), *hverr d*) *gjörva mun glikt e*); *gramr er borinn fremstr koníngmanna undir f*) *heiðum himni; hann er gjöflundr g*).

a) omitt. *Hk.* *b*) *gallz*, *M*; *galli*, *Hk*, utrumque adverso metro. *c*) *spurþo*, id., *M.* *d*) *hve*, *Hk.* *e*) *slikt*, id., *H*, sed invito metro. *f*) Sic *H*, *Hk.*, *M*; *undan*, *A.* *g*) Sic *Hk.*; *gjöflund*, *A.*

quæ ei in diversis provinciis erant, sæpius commorari solebat. Qui cum in Ranriko, provincia regni orientali, Hökstadis, amplo quod ei fuit prædio, ageret, in morbum incidit sibi letalem, cum annos viginti sex Norvegiæ imperaverat; rex vero creatus est, anno post mortem regis Haraldi, patris sui. Funus regis Olavi Nidarosum deportatum et in æde Christi, quam ipse exstruendam curaverat, humatum est. Fuit apud omnes cives, ut supra demonstratum est, præ ceteris regibus gratiosus; et Norvegia, eo imperante, rerum affluentia et splendidis operibus magna ceperat incrementa.

EMENDANDA ET ADDENDA. Scr. hist. Isl. Vol. 4. præf. p. VII. lin. 1. *rángssáttir* l. *rángsáttir*. p. 7. lin. 9. Rögnvald l. Rögnvaldus. p. 29. lin. 10-11. Gudrödi, venationis regis l. regis Gudrödi Venatoris. p. 41. not. lin. 7. *fóra* l. *fíra*. p. 51. not. lin. 8. *fèrri* l. *ferri*. p. 54. not. lin. 5. *Fögr* l. *Tögr*. p. 70. not. lin. 3. *systr* l. *systur*. p. 75. lin. 13. aqud l. apud. p. 101. not. lin. 9. *gergu* l. *gengu*. p. 111. lin. 28. tissimo l. tissime. p. 121. lin. 9. feriit l. percussit. p. 129. lin. 28. pevenerunt l. pervenerunt. p. 130. lin. 32. ucla l. cula. p. 134. not. lin. 18. post *G. I.* adde: *iðit*, *A.* p. 144. lin. 7. Hic l. His. p. 147. not. lin. 5. *munum* l. *meinum*. p. 148. lin. 5. Late l. Latæ. ibid. not. lin. 8. *breidr* l. *breldr*. p. 149. lin. 13. bovum l. boum. p. 151 lin. 1. vero l. enim. p. 164 lin. 26. feriit l. percussit. p. 169. lin. 24. maxime l. maximi. p. 174. lin. 15. disvadebant l. dissvadebant. p. 182. not. lin. 23. siglarum l. siglorum. p. 187. not. lin. 3. *sparlig* l. *snarlig*. p. 197. lin. 6. non l. ne. p. 199. lin. 11. post „manere" comma ponatur loco coli. p. 218. lin. 2. omnio l. omnino. p. 223. lin. 14. meaque l. meæque. ibid. lin. 17-18. pro „homines pagani religione sunt" legendum: omnes fere Thrandheimi interioris incolæ religione pagani sunt. p. 224. lin. 6. ad l. et ad. p. 229. lin. 15. afficeris l. afficieris. ibid. lin. 25. pæceptis l. præceptis. p. 230. lin. 25. post "statura" adde: [2]). ibid. lin. 27. pro [2]) l. [3]). ibid. lin. 28. pro [3]) l. [4]). ibid. lin. 30. pro [4]) l. [5]). ibid. not. lin. 2. adde: [5]) panis, add. *C, E, G.* p. 242. lin. 25. ro l. lo. p. 243. lin. 4. præfecto l. profecto. p. 244. lin. 34. feriit l. percussit. p. 254. not. lin. 3. *þjóðir* l. *aldir*. p. 281. lin. 16. Gunnsteinum l. Gunnsteinem. p. 308. lin. 30. saria l. sario. p. 314. lin. 22. memoriæ l. memoria. p. 320. lin. 21. regis l. regi. ibid. lin. 29. vexentur l. vexantur. p. 327. lin. 19. apellari l. appel-

lari. p. 332. not. lin. 3. *Ygur* l. *Ýgr.* p. 339. lin. 22. nequeunt l. nequeant. p. 341. not. lin. 2. post *ekkjur* adde: *nè danskar meyjar.* p. 342. not. lin. 6. (i. e. *lekkat*) l. (i. e. *lækkat*). p. 245. not. lin. 5. *ytri* l. *ýtri.*

Vol. 5. pag. 2. not. lin. 1. *flæa* l. *flæja.* ibid. lin. 6. *flýa* l. *flýja.* ibid. lin. 12. rabit l. rebit. p. 4. lin. 9. obsolvamus l. absolvamus. p. 14. lin. 17. ante „inclamans" adde: suos. p. 17 lin. 5. e l. a. p. 21. not. lin. 4. posteriori loco *biðiat* l. *biðiat.* ibid. lin. 12. *konur* l. *konr.* p. 24. not. lin. 3. *u*) l. *e*). ibid. lin. 11. Olave l. Olavo. p. 32. not. lin. 1. *ullu* l. *ollu.* p. 35. lin. 29. possiderat l. possederat. p. 36. not. lin. 13. apel- l. appel-. p. 39. not. lin. 4. post *samna* adde: *d*). p. 44, lin. 7. dele „hoc." p. 46. lin. 22. pone comma post „res," et in sequ. lin. innotnerat l. innotuerant. p. 50. lin. 19. nihilomnius l. nihilominus. p. 67. not. lin. 6. post *etju* adde *K.* p. 71. lin. 1. crederim l. crediderim. p. 77. lin. 26. erat l. erant. p. 79. lin. 9. eum l. cum. p. 96. not. lin. 7. post *S* adde: rectius *jálfoðs.* p. 97. not. lin. 6. post *öglis* adde *landa.* p. 98. lin. 21. Mecurii l. Mercurii. p. 106. lin. 13. ædificatos l. ædificatas. p. 114. lin. 15. adde *) et not. *) Constructio: *þar knegu a*) *bjöllur hringjast sjálfar yfir hans borðvegs b*) *sæng, ok þjóðir heyra hvern dag klokkna hljóð yfir konúngmanni.* *a*) *knèðu, C,* forte depravatum ex *knáðu,* impf.; *hánga,* pendent, *K.* *b*) *boðvex, D, H,* mendose. p. 115. not. lin. 4. Ott. l. OH. p. 118. lin. 27. commitendi l. committendi. p. 125. not. lin. 11. *hömlr* l. *hömlur.* p. 127. not. lin. 2. *bann* l. *hann.* ibid. lin. 6. *gultt* l. *gullt* (i. e. *gyllt*). p. 128. not. lin. 4. *tjálgr* l. *tjálgur.* p. 130. lin. 13. videbatur l. videbitur. ibid. not. lin. 7. *fús* l. *füss, deya* l. *deyja, meyar* l. *meyjar.* ibid. lin. 8. post *ef* adde: *d*), et sequ. *d*) l. *e*). p. 131. not. lin. 4. *ek leyni* l. [*ek leyni f*). p. 134. lin. 1. Thorgeirum l. Thorgeirem. p. 137. not. lin. 11. dele „nt". p. 138. not. lin. 16. post *skulut* adde: *b*). p. 139. not. lin. 16. post *braguingi* exciderunt: *Konúngr, ek hygg rán leiðast rekkum þinum.* p. 144. not. lin. 2. *Óðæsinn* l. *Ódæsinn.* p. 145. lin. 3. post „acie" adde: erant. p. 157. lin. 30. cum l. eum. p. 159. lin. 13. Thraneheimum l. Thrandheimum. p. 173. lin. 12. suas l. suæ. p. 183. not. lin. 6. post *lít* adde: *a*). p. 184. lin. 15. Rege — dicente l. Rex — dicens, omisso sequ. „Sigvatus". ibid. not. lin. 10. terque l. iterque. p 213. lin. 30. ullo l. ulli. p. 220. lin. ult. dele „in". p. 222. lin. 26. rare l. rari. p. 243. not. lin. 1. *læt* l. *lætr.* p. 266. lin. 16. committere l. promittere. p. 307. lin. 30. et l. est. p. 316. lin. 9. eum l. cum. p. 325. not. lin. 5 *æzstar* l. *æztar.* p. 329. not. lin. 11. retineri potest h. l. lectio cod. Flat. *landsfólk,* etsi verbum *gæta* sæpius cum genitivo construatur. p. 330. not. lin. 9. post *sólar* exciderunt: *matta máltól nýtast mèr!* ibid. lin. 10. quæ in nota *c*) proposui, prava sunt. p. 331. not. lin. 1. *gerðust* l. *gerðist.* p. 337. not. lin. 12. post *teili* exciderunt: *ek veit sönn deili á því.* p. 338. lin. 11. fortis l. forti. p. 348. not. lin. 9. *þessi* l. *þersi.*